DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM

Pars Secunda,

Quæ

Celebres aliquot ANTI-ANABAPTISTICAS Controuersias complectitur.

AVCTORE

FRIDERICO SPANHEMIO

SS. Theologiæ Doctore, & primò in Geneuensi, post in Lugdunensi Batavorum Academia Professore.



GENEVÆ,

Sumptibus Petri Chouët.

M. DC. LII.



Rara Pietate & Eruditione
insigni Viro Dei,

IEREMIÆ PICTETO,

SACRORVM MYSTERIORVM
in Ecclesia Genevensi Administro
Vigilantissimo,

S. D.

E. SPANHEMIVS F. F.

INTER *eos cuniculos*, VIR REVERENDE, *quibus labefactata Christi Ecclesia lethale vulnus in propria viscera sæpius adactum gemuit, agmen continuo duxit fictum pietatis schema, & ementita profligatissimæ vitæ sanctimonia. Ita vt quæ sola humanæ felicitatis compendium absolvunt, & certissima sunt cœli pignora, eadem impio ac nefario obtentu speciosa scelerum autoramenta tot innoxias animas in ferale Sathanæ barathrum præcipites dederint. Sub hac quippe*

larvâ personati homines, non sponte solùm ad quævis flagitia prorumpentes, sed bonos etiam sæpius, & insidiarum, quæ illis struebantur, ignaros in infaustam errorum societatem traxêre. Qui enim piâ cogitationum altitudine toti videbantur sideribus illati, & singulari quadam vitæ innocentiâ exuisse hominem, illi facile & obluctante nemine disseminabant virus, quod paullatim in teneras ac imbelles mentes illapsum, omnia veræ pietatis semina lentâ tabe conficiebat. Sic injectæ compedes antequam agnoscerentur autores, & irretiti semel his laqueis animi detectam serius fraudem non in aliquam emensi iam spatij pœnitentiam, sed in præposteram vlterius progrediendi audaciam traduxêre. Si vero vetus illa fuit, & nascentis jam Ecclesiæ calamitas, sic adultæ longè maxima, & eò quidem major, quod veritate à tenebris omnibus & offuciis vindicata, caligare amplius ad eius conspectum sine immani & spontanea cæcitate nemo amplius possit, & nullus veniæ obtentus errorum vel autoribus vel asseclis videatur in posterum relictus. Quod si varia ejusmodi monstra orbis protulit, & larvatos mystas, certè vix deteriores alios vidit, quàm quos in Anabaptisticæ sectæ patriarchis superium seculum cum horrore simul & multarum animarum dispendio conspexit. Vbi enim exigua fanaticorum aliquot caterva externâ quadam vitæ innocentiâ & ab omni

vel

vel inprimis fastu aut nouandi pruritu alienâ in ſpeciem indole, magnum apud ſuos nomen eſſent aucupati, tum paullatim portentoſa dogmata procudere, cœleſtes afflatus ementiri, iiſq; rudes quoſvis & imperitos dementare primùm aggreſſi ſunt. Hinc quò plures ab Eccleſiâ diſceſſionem facerent, quò nulla ſuperiorum reuerentia coerceret novaturientes, Magiſtratuum autoritas tyrannidis obtentu exploſa; ſpecioſum libertatis nomen præfixum; vexilla in eius gratiam erecta, & omnes ad excutiendum triſte ſeruitutis iugum ſolenni quaſi claſſico excitati. Enimvero quum impatiens ſit vt plurimùm dominantis homo; quum nihil ſerius quàm obſequium admittat, nihil patiatur difficilius, non mirum ſi turbarum omnium vel autores vel flabella ſub illo recuperandæ libertatis velamento ſævam imperandi libidinem & tyrannicum animum occultantes, magno multorum & clariſſimorum etiam civium concurſu partes ſuas nobilitarint. Ita quum ab his diuini ord nis contemtoribus peccandi impunitas ſimul ac fiducia eſſet oſtenſa, certatim quivis vel criminum conſcij, vel egeſtate preſſi, vel incauto zelo abrepti ad illos Brutos cœlitus ſcilicet ablegatos confluunt, ſocietatem ineunt, ex agris in vrbes, ex vrbibus in florentiſſimas paſſim Prouincias, & Regna erumpunt. Vt verò vna hæreſis fœcunda eſt aliarum Lerna, & ex vnâ impurâ ſcaturigine innumeri riui lutulenti profluunt,

sic non mirum si eò progressa semel fanaticorum audacia ad alia dein proruperit molimina; si creuerit ingens errorum seges, & primi illi furores nouorum cottidie fuerint irritamenta. Sed non defuêre continuò cœlestes animæ, quæ serpenti malo medicinam facere, virus sistere, impetus frangere, & devias mentes ab imminenti exitio retrahere incredibili studio & duraturis zeli ac industriæ monimentis allaborarunt. In quo virorum agmine sanctißimæ memoriæ Parens non ignobilem sibi vindicasset locum, si quam exorsus fuerat telam pertexere, & omnia illius gurgustij retrimenta ac sordes vel per occupationes alias, vel per nutantis valetudinis spiramenta illi euerrere licuisset. Vbi enim ad capessendam illam prouinciam superiorum placito fuisset excitatus, nihil opportunius illi adimplendæ credidit, quàm in limine totam illorum hominum histrioniam propalare, furores & infernos halitus exagitare, atq; ita detracta illis larva, & dogmatum juxta ac animorum turpitudine ostensa securius dein cum iis congredi; vim lacertorum experiri; & iugulatis erroribus vinctos illos ac triumphatos in veritatis castra transferre. Verùm intercesßit illius hac in parte destinationibus supremus vitæ & necis Arbiter, qui illum in primo etiamnum conflictu vires hostium pertentantem subtraxit illis curis, & vmbratili pugnæ subductum æternæ quietis laureâ donauit. Quum tamen in primis

mis illis conatibus & editis jam Disputationibus grauissima Fidei dogmata accuratè excussa & ab hæreticorum cauillis solide vindicata animadverterent multi, Veteris Canonis autoritatem assertam, Apocryphorum errores notatos, furores Enthusiastarum explosos, & legitimum Consequentiarum ex Scripturis vsum indicatum, facile illorum precibus in evulgando hoc magni operis antipagmento mihi aquiescendum censui. Quum verò tuis potissimum hortatibus factum sit, VIR REVERENDE, *vt hoc opus cum priori Syntagmate in lucem exeat, non miraberis si intrepide se tibi sistat, & grauissimi iudicij tui autoritatem inter prima famæ aucupia reponat. Immo quum superius scriptum præfulgido Amplissimæ dignationis & ingentium virtutum Fratris patrocinio superbiat, non anxiè mihi laborandum fuit, cuius nominis præscriptione se à vitilitigatorum morsibus vindicaret hic fœtus. Nemo autem hic suspenso erit animo, cur illos ego, quos non artissimæ solum necessitudinis vincula, sed virtutum vel inprimis ac morum similitudo, & idem in res nostras studium coniungunt, pari etiam veneratione voluerim complecti. Enimvero numquam animo possum replicare beatam illam & sanctam, quæ inter te & desideratissimum Parentem acerrimè viguit, animorum necessitudinem, quin liquescam totus, & stabili quodam mentis impetu in propiorem tui cul-*

tum rapiat. Nec illum affectus ſolum tui, ſed virtutum vel inprimis magnitudo exprimit: quas ſingulas ſi vellem attrectare hoc loco, vererer ne meritiſsimis etiam laudibus onerata tua modeſtia aliquid tui in nos amoris ſinceritati iret detractum. Dicam eas ſolùm obiter, quas vt ſeculo maiores, nec alibi facile obvias in te potiſsimum coluit ὁ μακαρίτης, *candidiſsimam nempe animam & totam cœlo deuotam; vitam ab omni ſchemate & morum lenociniis alienam; doctrinam ab omni fuco & oſtentatione intactam; omnium denique virtutum, quæ virum Dei probant & abſolvunt, pulcherrimum concentum. Videbat te nihil minus quam perſonatum Theologum aut fucatarum mercium propolam fumos ac phaleras venditantem, ſed veriſsimum Eccleſiæ Antiſtitem rara integritate, incredibili zelo, & decenti grauitate exhibentem. Accedebant alia, quæ in te etiam adoleſcente ſuſpexit, variæ & recunditæ eruditionis ubertas; eximia rerum Theologicarum peritia; ſagax & neſcium tamen dolorum pectus, & caſtigatiſsimi denique iudicij acrimonia. Vt nihil jam dicam de fidiſsima illa creditæ tibi gregis cuſtodia; de pia illa & aſsidua in obeundo grauiſsimo munere ſollicitudine; de illo immenſo pro Sionis egregio & incremento fervore; de illo vigili ſemper & imperterrito in tuenda & aſſerenda veritate animo. Illæ ſunt artes,* VIR REVERENDE, *quibus te & venerabilem bonis & formi-*

formidandum improbis præstitisti; quibus Deo tuo plenus citra ambitum etiam & votũ magnam indies famam, sed nullis probrosis aut morum aut doctrinæ notis inustam aucuparis; quibus deniq; jam olim in illa ipsa Academia inclaruisti, cui ego qualemcunq; ingenij cultũ, tu eruditionis primitias, hæ Disputationes lucem & existimationem debent Non possum verò hoc loco manum de tabula tollere, quin præmaturo & inopino excessu ademtũ terris nouissimè Clarissimum MERMILLIODVM *denuo hic nobis sistam: cujus ad magnæ non surgentem amplius, sed erectam jam indolem, subactum multiplici eruditione ingenium, & Orthodoxias tenacissimam mentem una impensè cum bonis omnibus colebamus. Illud solum, sed infra illius merita dicam, amisisse in illo ingens præsidium Academiam, fidissimum Doctorem Ecclesiam, amicum candidissimum multos, omnes inexhaustæ diligentiæ, industriæ, & probitatis verissimum exemplar. At non opus est ut ulterius hians adhuc vulnus tangam: immo potius ut non profuturos planctus in calidissimas preces ad Deum convertam, ut ad eam quam ille ingressus est gloriæ possessionem, Te partim singulari vitæ innocentiâ, partim pulcherrimis & sanctissimis monitis, quàm diutissime prælucere in terris patiatur. Dabam Geneuæ* XIV. *Cal. Augusti, Anno æræ Christianæ* CIↃ CI LII.



INDEX DISPVTATIONVM Anti-Anabaptiſticarum

Additis

RESPONDENTIVM nominibus.

FINIS.

Monendus es, Amice Lector, typothetarum incuriâ omissam lineam integram sub initium pag. 263. quam hîc inserendam duximus,

presfit, Jud. 16. 28. 29. Vbi ista [illegible] considerari possunt. 1. Quòd Christus &c.

DISPV-



DISPVTATIONVM EXTRAORDINARIARVM Anti-Anabaptisticarum.

PRIMA GENERALIS,

Partim Historica, partim Dogmatica.

DE

ORIGINE, PROGRESSV, SECTIS, NOMINIBVS & Dogmatibus Anabaptistarum.

THESIS I.



Nti-Sociniano & *Anti-Remonstrantico* Disputationum extraordinariarum Collegiis *Anti-Anabaptisticum*, Superiorum authoritate, veritati firmandæ vindicandæque adjuncturi, ad pleniorem argumenti, quod, cum bono Deo, tractandum suscepimus, elucidationem, *Prolegomena* quædam vel *Præcognita* compendio præmittenda censuimus I. De Sectariorum istorum *Origine*. II. De eorundem *Progressu*. III. De variis in quas scinduntur *Sectis*. IV. De iis quibus insigniri solent *Nominibus*. V. De *Dogmatibus* eorun Heterodoxis. VI. De eâ, quâ in errorum confutatione, & veritatis confirmatione in his Disputationibus usuri sumus, *Methodo*.

II. Quod ad *Originem* hujus hominum generis, quod communiori *Anabaptistarum* nomine vulgo censetur, attinet, istius Sectæ incunabula sibi vindicat Annus cIↄ Iↄ xxi. quo primùm cœpit se ϑαρρίζειν, & orbi Europæo inferre. Illi qui primi ei obstetricati leguntur, fuêre *Nicolaus Storch, Marcus Stubnerus*, & vel inprimis *Thomas Muntzerus*, homines è superiori Germaniâ oriundi, quibus pietas obtentui erat, vita in speciem composita, animus verò novandi avidus, ad famam ambiens, & ad facinora natus factúsque. Horum institutis hæsit ad tempus *Martinus Cellarius*, gente Suevus, *Capnionis* Discipulus & *Melanchtoni* familiaris; sed qui postmodum istius, ut & *Lutheri* monitis, resipuit, & cum Secta nomen

vetus gentilitium excussit, novo *Borrhai* nomine adscito, sub quo Philosophicæ primùm Facultati, pòst Theologicæ in celeberrimâ Vniversitate Basileensi adscriptus, publicatis, præter scripta Logica & Mathematica, libris aliquod commentariis in Vetus Testamentum se Ecclesiæ Dei commendavit, donec pestilenti anthrace correptus ibidem supremum diem in Ecclesiæ Orthodoxæ communione obiret Anno cIↃ IↃ LXIV.

III. *Nicolaus Storch* & *Marcus Stubnerus* diversis studiis plebem incautam sibi conciliare sategêre, iste eruditione & ἀγχινοίᾳ quadam in S. Scripturæ expositione, ille, literarũ quippe rudis, eloquentiâ populari, enthusiasmis & secretorum cum Deo colloquiorum famâ, uterque πομπολογίᾳ, & technis variis. Cautiùs tamen & lentiùs ab istis actum, ferociùs verò & impotentiùs à *Thoma Muntzero*, cujus auspiciis funesta illa Rusticorum seditio, qua Germania superiori seculo graviter admodum concussa fuit, in nervum erupit, & cum illâ fructus novi istius Evangelii à *Storchio* & *Stubnero*, plejeborum animis impressi. Utriusque verò vita reliqua & catastrophe inter incerta habentur. De *Muntzeri* molitionibus & horrendis, qui eas excepêre, motibus sigillatim agendum.

IV. *Occasionem* in partes secedendi, & Dei Ecclesiam scindendi arripuêre homines fanatici ex libro *Lutheri de Libertate Christianâ*, qui habetur *Operum ejusdem* Tomo II. & prodiit primùm Anno cIↃ IↃ XX. postquam in eo legêre, *Christianum hominem omnium Dominum esse, & nulli subjectum.* Quæ verba sano sensu à *Luthero*, Eximio Dei Servo, scripta, & prolixa ἐξηγήσει declarata oppositóque aphorismo, *eundem omnium servum esse, & omnibus subjectum*, exposita, detorta fuêre in sensum sequiorem ab hominibus suæ pariter & alienæ quietis impatientibus, & ea occasione apud plebem in privatis primùm gurgustiis, pòst ex ambone etiam cruda Principum imperia traducta expilationes objectæ, libertas sub regno Christi omnibus parta, jactata, nec tantùm de Pontificis Romani tyrannide, verùm etiam de ἀγνοήμασι multis à primis Reformatoribus in Ecclesiâ toleratis querelæ institutæ, & sic duæ ordininis publici columnę labefactatæ, Magistratûs dignitas, & Ministerii sacri reverentia, ac utriusque authoritas. Inde de novâ & perfectiori Ecclesiâ condendâ, novaque ejus πολιτείᾳ actum, & ista occasione cogitatum, de ejus Mystis novo Baptismo initiandis. Et ne Baptismi prioris obstaret religio declamatum in Pædobaptismum, ut vanum, immò illicitum, infantibus quippe ejus haudquaquam capacibus collatum, quum Sacramentum istud non nisi adultis, & sui judicij ac suæ spontis hominibus debeat conferri. Et ut altiùs plebis animos subiret novitiæ istius Ecclesiæ, quam hi Doctores è ruderibus excitatam volebant, ardor, praxin pietatis ipsi præ se ferre & inculcare aliis studio habebant. Hinc & publicarum concionum & privatorum congressuum themata ordinaria erant, *detestandum* esse *peccatum, carnem macerandam, excitandum spiritum, charitatis officia exercenda, crucem Domini ferendam, jejuniis vacandum, vestitu tenui, victu modico, cultu corporis ad neglectum potius, quàm ad elegantiam composito, & parcis admodum verbis utendum esse.* Satis verò dici nequit, quantum hac τέχνῃ humani generis hostis se in Angelum lu-

cis

cis transformando, & βάϑη sua occultando promoverit, & quàm obnoxios sibi reddiderint homines etiam non malos novi isti Euangelistæ, ficto illo pietatis & sanctitatis schemate.

V. Ita præparatis animis *Thomas Muntzerus*, Cygneæ primùm, pòst Alsteti in collimitio Thuringiæ & Saxoniæ sito oppido Pastor ulterius sibi progrediendum ratus audaci facinore se obstrinxit, immò animum ad quævis flagitia obfirmavit. Quum enim animadvertisset *Lutheri* nomen ob *Libertatem Ecclesiasticam* restitutam passim inclarescere, & omnium animos in illum converti, se quoque nobili instituto omnibus commendandum censuit; & *libertatis* sive *politicæ*, sive, ut quandoque loqui solebat, *naturalis* instaurationem & vindicias subditorum à jugo & tyrannide (sic enim Principum & Magistratûs dominium homo ordinis divini contemptor vocare solebat) profiteri ausus est. Quod facinus cum *Luthero*, quo cum Wittenbergæ aliquoties congressus fuit, nec persuadere posset, nec probare, sed ab eo increpitus, & de tranquillitate publicâ haudquaquam solicitandâ, immò de ordine à Deo instituto suspiciendo seriò monitus fuisset, in *Lutherum* ipsum insurgere & denotare cœpit, & queri *Lutherum* æquè ac Papam Romanum peccare ab illo quidem Reformationis opus aliquatenus promotum, sed multo adhuc fermento infectum relinqui, immò *Lutherum* ipso Papâ deteriorem esse ob Euangelium carnale tantùm promulgatum. Nec destitit de Magistratus tyrannide paratragœdiare, & inculcare plebi, *omnia natura libera esse & communia: excutiendum esse Principum æquè ac Pontificis Romani jugum*, & quia illi blandis monitis haudquaquam cedant, sed bona & capita subditorum libidini suæ vectigalia esse velint, iustissimis armis id omnibus vindicandum esse, quod omnium esse Deus voluerit. Classico isto excita, & novæ cujusdem libertatis dulcedine pellecta passim plebs funestis se motibus implicuit. Ad lacum Acronium turbatum, in Alsatia & Suevia globi factiosorum coacti, & libertas passim jactata, spretâ, immo excussâ omni, quæ principibus debebatur, reverentiâ & obsequio.

VI. Quum Satan hac actione non renascentem solùm Ecclesiam scindere, ejusque faciem fœdare, verùm etiam reformationem templi Dei recens institutam exosam potestatibus reddere conatus esset, quasi eâ debitum Principibus jus in subditos abrogaretur, & novum Euangelium ad turbas tantùm præiret & seditiones, dici non potest, in quod sanctum illud reformationis Ecclesiarum opus odium adductum fuerit apud homines veteri superstitioni adhuc affixos. Nec enim tumultus isti suis Authoribus, paucis videlicet hominum seditiosorum capitibus, sed ipsi Doctrinæ Euangelicæ & omnibus ejus Doctoribus imputari cœpere. Idque tanto magis, quod novi isti Anabaptistarum Patriarchæ familiares antea iis fuissent, quorum operâ Deus in reformandâ Domo suâ usus fuerat, & *Lutherum* in eâdem secum sententiâ esse jactarent. Hûc accedit, quòd concitata ab iis plebs se Euangelio nomen dare solique S. Sacræ hærere, & libertatem conscientiarum armis vindicare velle videretur.

VII. Ut verò labem istam sibi æquè ac doctrinæ Euangelicæ adsper-

ſam abſterſum irent Heroes illi, qui in templo Dei remetiendo fidem ac integritatem ſuam Eccleſiis paſsim probarant, ſuam & Dei cauſam publicis ſcriptis ſibi agendam cenſuêre. Quod inter aliòs acriter præſtitêre *Lutherus, Melanchton, Zuinglius, Bullingerus, Menius, Regius*, alii, & in ſeditiones & ſeditioſos graviter invecti, ſubditos perduelles, de ſuo erga poteſtates ſuperiores officio, ex Dei verbo monendo, tribunitios illos concionatores perſtringendo, & omnes ad quietem & debitam Principib. ſuis reverentiam hortando, nihil reliqui fecêre, ut impetum hominum ad ſcelera & cruces furibundis animis ruentium ſufflaminarent. *Lutherus* vel imprimis concitatior non παραινετικὰ tantùm ſcripta contra ſeditioſos, verùm etiam νουθετητικὰ emiſit, & peculiari libello *contra latrones & homicidas Ruſticos* vulgato ipſe claſsicum in illos cecinit, Principes hortatus, ut vi & armis latrociniorum iſtorum impetum ſiſterent, & eos ad quietem cogerent, qui perſuaderi nollent.

VIII. Doctores iſti novi *Muntzerus* cum aſſeclis, efferati potius quàm mitigati monitis iſtis, tumultuantur magis magiſque, *Lutherum* Doctoreſque alios ψυχικοὺς nihil niſi carnalia ſapere quiritantur; & ab iis *aliquot* quidem *frondes de Anti-Chriſtianiſmo ſucciſas* jactant, ſed *arborem & radices adhuc ſupereſſe*, quæ exſcindi debeant, & quas exciſas velint. Et cùm in ſcripto Dei Verbo nullum erroribus & turbis à ſe concitatis præſidium reperirent, ad novas ſe & furores ſuos tuendi artes confugiunt, Entuſiaſmos & inſpirationes ſecretas jactant, & paſsim incautæ ac ſibi obnoxiæ plebi inculcant, *hominem vivere in omni verbo, quod procedit ex ore Dei*, adeóque non ex libris tantùm & ſcriptis ſapiendum eſſe, ſed operam dandam, *ut*, ex præſcripto Apoſtoli, *propheteent omnes*. Hinc promiſcuè quivis fermè ſalſamentarius ſpiritum jactare, revelationes fingere, enthuſiaſmos *Storchi* & *Muntzeri* exemplo comminiſci, Cathedram cerdonibus & μωροσόφοις aperire, & quicquid ſplendidorum deliriorum dictaſſet ulli αὐτὸ δὴ τὸ πνεῦμα, pro Dei verbo, extra & contra ſcriptum Dei verbum obtrudere, conciones publicas Euangelicorum ſuggillare, in fidem Lutheranam, quaſi bonis operibus vacuam invehi, quædam dogmata & myſteria ſua non niſi apud ſacrorum ſuorum candidatos proferre, circa alia, ſepiarum inſtar, atramentum ſpargere, ne pervideri poſſent, miris artibus ſe in domos & familias illatebrare, conventicula in abſtruſis angulis cogere, ſe ad egenos potiſſimùm & abjectæ ſortis homines ſubmiſſos profiteri, & omnis generis ſtrophis animos hominum credulorum invadere & dementare.

IX. Latâ ſemel portâ errori per Enthuſiaſmos aperta, quævis dogmatum novorum portenta hominibus plebejis & ad novitates prurientibus obtruſa fuêre, & turbulenta ingenia ad novum quendam in Politiâ æquè ac Eccleſiâ ſtatum in orbem Europæum introducendum erecta fuêre. Et ne vel aliqua conſcientiæ religione, vel fide Principibus jurejurando obſtricta prohiberentur, ſpargi cœptum, *juramenta* ſub Novi Teſtamenti œconomiâ illicita eſſe, adeoque ea ſive jam præſtita, ſive præſtanda ipſo jure invalida eſſe. His fundamentis in anteceſſum jactis, paſsim tribu-

tribunitiis concionibus velut ad pileum vocata plebs, coitiones factæ, seditiosi armati certatim in Principes suos, & funestis ac ciuilibus armis vastatæ, ac multo sanguine tinctæ florentissimæ Prouinciæ fuere.

X. Harum seditionum tuba & flabellum præcipuum fuit *Muntzerus*, qui, conciliatâ sibi apud incautam plebem autoritate, apertè profiteri cœpit, se diuino mandato excitum tum Principibus impiis puniendis, tum mutando regimini Politico. Saxoniâ eâ de causâ à *Friderico* Saxoniæ Electore pulsus, & hinc inde per Germaniam & Helvetiam divagatus, seditionis semina vbique sparsit, & tandem Mulhusium, celebre Thuringiæ oppidum, regressus, eo audaciæ, factiosorum & sibi obnoxiorum hominum ope, processit, vt & Magistratum abrogaret, & Sectariis suis Curiam repleret, immò Politicarum æque ac Ecclesiasticarum rerum cognitionem & judicium sibi vindicaret, hoc dogmate sparso, *judicia sub Nouo Testamento ex solo Dei Verbo constituenda & administranda esse.* Vt verò animos promiscuæ plebis, cui ordinariè exiguus census esse solet, sibi arctè deuinciret, non tantùm Monasteria prædam publicam esse voluit, & spolium obvium, verùm etiam communionem bonorum, exemplo Ecclesiæ primitiuæ Apostolicæ, imperauit, & iis quibus res lauta domi erat, assensum vel argumentis persuasit, vel vi metúve pejorum extorsit. Quum nihil in speciem fauentius auribus plebis vel exactionibus attritæ, vel Superiorum duriore quandoque imperio pressæ, vel *res inopes* habentis admoueri posset, & *Muntzerus* literis seditiosis passim per emissarios suos disseminatis, dogma istud vnà cum præconio de omnimodâ libertate vulgaret, in compluribus Prouinciis motus ingentes sequuti fuere, in Thuringiâ, Sueviâ & Franconiâ potissimùm, vbi rusticana plebs maximo numero coacta ad arma ruit, Magistratus imperia & dignitatem spernit, arces ac fortalitia, vt pedicas suæ libertati injectas, demolitur. *Muntzerus* hominum istorum, plus satis jam furentium, animos accendit, metallarios è fodinis Mansfeldicis ad tumultus & prædam vocat, se *Dei servum ad impios exscindendos diuinitus constitutum* omnibus denuntiat, & *sibi gladium Gedeonis à Deo commissum* jactat, subscriptione istâ in literis suis ordinariè adhibitâ, *Thomas Muntzer, seruus Dei contra impios*, item, *Thomas Muntzer cum gladio Gedeonis.* Furibundi hominis animum accendit magis magisque *Henricus Pfeifferus*, qui ex Monacho rabula factus, & visionem cœlestem mentitus, copias ac factiosos cogit, & aciem educit. Saxoniæ, Brunsvici, & Hassiæ Principes cum Comitibus Mansfeldiæ ad arma à perduellibus compulsi exercitum parant, & post monita varia nequicquam adhibita, agricolarum potius quàm militum manipulos, qui montem Franckenhusio oppido vicinum insederant, adoriuntur, & jam ante pugnam trepidantes, ac frustra tremulâ *Muntzeri* voce ad fortitudinem & constantiam excitatos, fundunt & profligant, Franckenhusium expugnant, & Muntzerum, qui eò se fugâ proripuerat, & morbum velut diuturno languore emaciatus simulabat, singulari Dei prouidentiâ, à seruo Nobilis cuiusdam, ex literis quibusdam prope lectum decumbentis in perâ conditis, agnitum, & è latebris protractum cum socio *Pfeiffero* in custodiam dant. Ubi compli-

cum nominibus per fidiculas & tormenta expreſsis, ſcelus ſuum, & multarum myriadum mortes gladio ultore, propè Mulhuſium, unà cum *Pfeiffero* propè Iſenacum capto, percuſſus, deſperabundus propemodum ſub carnifice luit Anno cIↃIↃ xxv. Arma victricia alibi etiam in Sueviâ, Thuringiâ, Franconiâ, Bauariâ, Alſatiâ, Auſtriâ, & Stiriâ à Principibus circumferuntur, globi hominum agreſtium paſsim palantes diſsipantur, vrbes à factioſis hominibus occupatæ vel expugnantur, vel ad deditionem coguntur, & aliquot capitum ſuppliciis coërcentur multi, terrentur omnes, ſiſtitur malum graſſans & priſtina Prouinciis iſtis tranquillitas velut poſtliminio reſtituitur.

XI. Fanaticis & ſeditioſis iſtis hominibus armis in Germaniâ ſuperiore repreſsis, & perduellionis fomite multo ſanguine extincto, recruduit malum iſtud in Heluetiâ, & Anabaptiſtica dogmata antea à *Muntzero* iſtis locis peregrinante, ſparſa, & ab aliquot verbi præconib. pronis aurib. & animis excepta, plebi priuatis publicisque concionibus inculcata fuère, è quibus primipili erant *Felix Mantzius* & *Conradus Grebelius* Tigurini quorum ille ad Hebraicam, iſte ad Græcam profeſsionem fruſtrà ambiuerat, vt & *Balthaſar Hubmeierus* Waldshutenſis oppidi paſtor, qui cùm non voce tantùm, ſed libro etiam de Anabaptiſmo publicato multorum conſcientias turbaſſet, *Huldricus Zuinglius*, ſtrenuus veritatis aſſertor, hominem turbulentum edito ſcripto confutauit. Et Tiguri cum duobus prioribus ſolenni diſputatione, poſt duas alias Anno cIↃIↃ xxv. Menſibus Januario & Martio prius habitas, Menſe Nouembri in ipſa Curia publicè triduo integro congreſſus, eorum contra Pædobaptiſmum ſiue argumenta, ſiue cauilla, quibus eum à *Nicolao* Papa demum inſtitutum contendebant, fortiter cum plena ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως retudit. Diſputatione iſta triumphato Anabaptiſmo, *Zuinglij*, *Leonis Iudæ*, & *Caſparis Megandri* operâ, & veritate in aperto conſtitutâ, Senatus Tigurinus ſolenni edicto Pædobaptiſmum ſancit, & Anabaptiſmi Doctoribus ſilentium & quietem imperat.

XII. Nec tamen adhuc ceſſatum à turbonibus, quin potius clandeſtinis coitionibus non tantùm Anabaptiſmus multis ciuium denuò perſuaſus fuit, verùm etiam multa capita, quæ ſe nouis illis patriarchis addixerant, iterum tincta fuère. Ei rei operam ſuam commodarunt *Guilielmus Raubli*, *Panicellus Brotlein*, *Georgius Blaurock*, *Ioannes Denckius*, *Andreas Stulzius*, & præ aliis *Hubmejerus*, qui cùm Euangelij doctrinam prius Waldshuti, oppido Heluetiis contermino, docuiſſet, & poſtmodum ad Anabaptiſtas defeciſſet, adeoq; ciuibus inter ſe ob diuortium iſtud ſententiarum commiſsis, Auſtriacorum armis, & idolomaniæ Pontificiæ denuo vrbem objeciſſet, Tigurum confugerat, & ibi clam apud Myſtas ſuos latitabat, donec à Senatu deprehenſus, & in Curia cauſam dicere juſſus, à *Zuinglio* ex Dei verbo errorum variorum reus peragereтur. Ille verò palinodiam publicam vltrò pollicitus in ipſa cathedra errores ſuos denuò populo occinit. Increpitus hoc nomine, & ſibi à Satanâ iſta inſpirata faſſus, tandem poſt pollicitationes multas & ejurata Anabaptiſtica dogmata vrbe dimiſ-

ſus

sus fuit. Vt verò in vetitum niti solent homines, & negata cupere; sic suﬄamine isto haudquaquam cohiberi potuit promiscua multitudo, quin fanaticorum istorum placitis, magnâ arte & eloquentiâ à Doctoribus Anabaptistarum commendatis, clam faueret, accedente ad dogmatis nouitatem vano quodam commiserationis affectu in Euangelistas istos, qui miseri potius esse videbantur quàm mali, & suæ potiùs tranquillitatis quàm fidei prodigi, pertinaciâ illorum constantiæ deputatâ. Ita vt Senatus Tigurinus seuero tandem edicto ei rei intercedere cogeretur Anno cIↃ IↃ xxx. capitis pœnâ in Anabaptistarum Doctores decretâ, & grauibus in eorum receptatores mulctis. Dogma *Hubmeieri* inter alia fuit spiritum Adami non consensisse in peccatum, adeoq; integrum mansisse post peccatum, nec libertatem suam amisisse, sed tantùm carnem.

XIII. Quin & *Basileensis* ager infelici isto lolio consitus, & ibidem ab Anabaptistis turbatum fuit, quibus cum *Oecolampadius* Theologus grauis, Anno cIↃ IↃ xxv. & cIↃ IↃ xxvii. & cIↃ IↃ xxix. Basileæ super articulis *de Pædobaptismo, Anabaptismo, Magistratu, Iurejurando* congressus, causæ quidem abundè satisfecit, actoribus verò peruicacibus non item, ita vt Prudentissimi Senatûs, & strenui gloriæ diuinæ vindicis in Anabaptistarum sectariis coërcendis authoritate Ecclesiæ Basileensis tranquillitati simul & puritati consulendum ibidem fuerit.

XIV. *Bernensis* quoque Reipublicæ quies ab hominibus istis, *Ludovico* præsertim *Hetsero*, *Ioanne Trayero*, & *Iohanne Secklero*, solicitata fuit, & Anabaptistis ad publicam disputationem Anno cIↃ IↃ xxviii. admissis, errores reuicti, & eorum Antesignani à *Bertholdo Hallero* & *Francisco Kolbio*, verbi Ministris confutati fuêre. Quum tamen nondum sibi satisfactum in angulis mussitarent Anabaptistæ, ne non veritas de errore palam triumpharet, ab Amplissimo Senatu Bernensi solennis denuò disputatio Anno cIↃ IↃ xxxii. Mense Julio Zofingæ in Argovia in agro Bernensi indicta fuit, quæ inter Bernensis Ecclesiæ Ministros & Anabaptistarum Doctores ibidem instituta, & per nouendium integrum protracta, à Notariis publicis excepta, & publici juris facta, ad multorum animos in veritate confirmandos, alios verò ab errore reuocandos, multùm momenti attulit. Et cum sub Annum cIↃ IↃ xxxix. Anabaptistæ quidam nouos in Bernensi agro motus excitarent, Magistratûs vigilantiâ & seueris Edictis Secretarij coërciti, & malum gliscens repressum fuit.

XV. In *Galli* quin etiam *Fano*, oppido Heluetiorum pagis fœdere junctо, non leues turbæ datæ à *Conrado Grebelio*, eiusque discipulis, & id omnibus machinis, suggestionibus clancularіis, concionibus publicis, scriptis, & quibusuis illiciis tentatum, vt vrbs ista inclyta Pella fieret, & receptus huic hominum generi, sed singulari Dei beneficio, *Zuinglij* scriptis, *Ioachimi Vadiani* zelo, & prudentiâ Magistratûs ei rei intercessum, & turbones vrbe eiecti fuêre. Nec parum Anabaptistis publico bonorum omnium odio in istâ vrbe exponendis conduxit horrendum *Thomæ Schuckeri* discipuli *Melchioris Rinckij* Anabaptistarum Coryphæi, facinus. Is enim confertâ id genus hominum concione aliquando coactâ, raptum & inspi-

rationem cœlestem mentitus, fratre *Leonhardo Schukero* in genua procumbere jusso, gladium petit. Rogatus à Patre, & Matre, aliisque adstantibus, quid sibi vellet isto apparatu, respondit; bono animo essent, nihil se facturum nisi quod à Patre cœlesti sibi revelatum foret. Omnium animis ad novum spectaculum erectis, insanus iste Propheta stricto ense fratris caput à trunco uno ictu recisum in terram provolvit, & ingentem adstantibus terrorem incussit, parentibus verò suis cordolium altum expressit & multos gemitus. A Magistratu ob immane istud fratricidium comprehensus, condignas scelere suo pœnas dedit, nullâ tamen flagitij admissi pœnitentiâ ductus, sed in pegmate adhuc professus, hanc Dei voluntatem sibi cœlitus revelatam fuisse. Contigit tragicus iste casus in Fano Galli Anno cIↄ Iↄ XXVII. qui Magistratûs Christiani animum non parum commovit, & in rabiosos istos Prophetas, Prophetarumque istorum filios concitavit, & ad severa, contra Anabaptistarum in suâ urbe & ditione moram, edicta compulit. Hominum verò istorum discessus Vrbi quidem Sangallensi quietem, vicino verò *Abbatis Cellensis* agro novos motus peperit, hominibus inquietis hinc inde ad res novandas, & cœptum ibi Reformationis opus turbandum dilapsis.

XVI. Hoc theatro etiam excussus Sathan aliud in florentissimis multis Germaniæ vrbibus erectum sibi voluit, & *Argentorati ab Hofmanno, Wormatiæ à Cantio, Augustæ à Iacobo* quodam Pellione, *Vlmæ à Kleibero*, ab aliis alibi Anabaptistarum doctrina spargi & disseminari cœpit, quorum conatibus à Magistratu simul & fidis Dei servis obviam itum, homines turbulenti repressi, & pestilentia dogmata publicis congressibus revicta, & edictis solemnibus repressa fuêre, quamvis sub dolosis semper cineribus latitaret ignis accensus à fanaticis Doctoribus, qui subinde erupit variis in locis.

XVII. Helvetiâ verò & Germaniâ superiori excussi Anabaptistæ multi in Moraviam concessêre, & se ibidem adjunxêre factiosis id genus hominibus, qui ad novitates pruriebant. Cœtibus multis, variis artibus, collectis, & emissariis pluribus in Provincias & Regna vicina ablegatis, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Austriam & Silesiam eadem pestis invasit. Quam cum seditiones passim consequerentur & turbæ, quidam ex iis comprehensi molitiones illas capite luêre; è quibus fuit *Balthasar Hubmeierus*, qui rebus in Moravia turbatis, Viennam abductus, ibidem exustus fuit. Quod ab Anabaptistis Martyrio deputatum, animos illorum accendit potius quàm mitigavit, vel compescuit, nec ob id minus omnes machinæ adhibitæ sectæ firmandæ propagandæque, sive quas zelus sine scientia hominibus non malis suggerebat, sive quas Sectariorum Duces callido commento excogitavêre. E quibus non minima fuit publicatio supra commemorati dogmatis de *communione bonorum*, quod pronis auribus & animis exceptum fuit à promiscua hominum colluvie, cui res parva domi, & omnis in alieno spes erat. Id tamen aliquatenus Sectariorum progressus retardavit, quod, ut inquietum est humanum ingenium, in partes ire cœperint Anabaptistæ Moravi, & ex vna Secta duæ fierent,

rent, *Hutterianorum* una, *Gabrielistarum* altera, à Choragis duobus, *Iacobo Huttero*, & *Gabriele Scherdingo* sic dictæ, qui primi facem Sectariis reliquis in Moravia prætulerunt.

XVIII. Vt verò Germania superior obnoxia fuit Anabaptistarum turbis, sic non immunis fuit à Spiritu isto vertiginis Germania inferior, sed florentissimæ Provinciæ, Westphalia, Frisia & Hollandia per novos Apostolos conturbatæ graviter fuêre, à quibus, non nisi Dei verbum & revelationes cœlestes crepantibus, & externa quadam vitæ compositæ specie se commendantibus, ingens hominum multitudo corrupta, & fermento illo Anabaptisto infecta fuit. Præcipuè verò *Monasterium* celebris Westphaliæ Vrbs à Prophetis novis infessa fuit. Quod quidem certis velut gradibus factum. Cùm primùm *Bernardi Rotmanni* operâ Euangelij doctrina in Vrbe ista diffundi cœpit, ingens hominum multitudo se ei adjunxit. Pontificiis nequicquam eo nomine tumultuantibus, *Rotmannus* Marpurgo ad se mitti petit Pastores aliquot, quorum consilio & operâ cœptum reformationis negotium promoveri posset. Submissis *Petro Vvirthemio* & *Godefrido Stralen*, *Rotmannus* cum Collegis Pontificios Doctores ad Disputationem solennem provocat, errores eorum scripto consignat, & eorum confutationem ex sacris litteris pollicetur. Quum verò Pontificij se impares ad congressum, & dogmatum suorum ex Scriptura defensionem faterentur, submoventur à publico docendi munere, & templa occupantur ab Euangelicis. Canonici & illorum asseclæ coràm Episcopo de Monasteriensium iniquitate conqueruntur; iste per literas & Legatum præcones novos Vrbe ejiciendos, suos verò restituendos monet. Quum tamen nequicquam nimis rem ageret Episcopus & Euangelicorum numerus major esset, quàm ut in arctum cogi possent, Illustrissimi Hassiæ Landgravii interventu negotium istud componitur, Euangelicis præconibus templa certa assignantur, Cathedrale Canonicis, & Episcopo jus suum, illis proventus etiam ordinarij relinquuntur. Quum ex eo tempore mensibus aliquot sine tumultu suis quique sacris operati essent, Monasterium clam confluxêre Anabaptistæ quidam, Anno Domini cIↄ Iↄ XXXIII. è quorum numero antesignani fuêre *Iohannes Matthias*, Pistor Harlemensis, & *Iohannes Bocoldus* Sartor Leidensis, qui clam à civibus quibusdam excepti nocturnos cœtus cogunt in angulis, novum Catechismum docent, Pædobaptismum damnant; Mystas suos non novâ tantùm Baptismi doctrinâ, verum etiam iterato ritu imbuunt, & bonorum communionem urgent. Quum novitij isti Doctores, *Iohannes Leidensis*, præsertim, pellaci quadam dicendi vi, & ficto pietatis schemate, habens ἦθος cæteroquin ἄξιον τυραννίδος, incredulorum hominum animos invasisset, in ingentem numerum nova Secta brevi temporis intervallo excrevit, cùm ei se passim adjungerent omnes ii, quos vel æs alienum premeret, vel res angusta domi, immò quibus animus ad facinora & turbas pronus erat. Quibus accessit peregrinorum hominum colluvies eò ab Anabaptistis ex vicinis & Provinciis evocata, quorum adventu audaciores facti Prophetæ novi Ministris Euangelicis super Pædobaptismo

litem movent. *Rotmannus*, obliquato velo auram popularem secutus, Anabaptistis primò segniter se opponit, postmodum contrà fidem datam latus præbet, & ad eos apertè deficit, ut & *Hermannus Strapeda, Henricus Rullius, Godefridus Stralen*, aliique. Scissâ denuo in partes & factiones Vrbe, Senatus Publicam Disputationem incidit super doctrinâ, congrediuntur Anno cIↄ Iↄ xxxiii. mense Augusto *Rotmannus* & Sectarii alii cum *Hermanno Buschio, Ioanne Glandorpio, Petro Virthemio, Ioanne Holtmanno*, & eorum Collegis. Quum & hîc veritas de errore triumphasset, Senatûs consulto Anabaptistis edicitur, ut Vrbe excederent. Anabaptistæ discessu simulato, se in suis abdunt gurgustiis, & Civium multorum favore freti clandestinis concionibus causam suam & dogmata nova tuentur, confirmant, diffundunt. Tumultus varii excitantur in Vrbe, Viri graves & Orthodoxiæ faventes, vel animo præcipientes secuturam cladem, vel metu fracti Vrbe excedunt. A disputationibus devenitur ad pugnam, & qui ante latitare cogebantur, in aciem contra Euangelicos procedunt. Tandem pace & libertate conscientiarum utrimque sancitâ, dissidia componuntur, sed ad tempus duntaxat. Nec enim id vertiginosis hominibus & ad turbas & res novandas erectis satis videbatur, libertatem sibi suisque impetrasse, quin potius ad omnimodam omnia pro arbitrio regendi, versandique licentiam ambiunt. Prophetę novi *Iohannes Matthias & Iohannes Leidensis* ecstases & enthusiasmos fingunt, horrendis clamoribus per circulos & compita emissis omnes ad pœnitentiam vocant, prodigia multa sparguntur in vulgus, *Osnabrugo, Vresaliâ, Vvarendorpio*, & vicinis oppidis aliis Anabaptistarum mysteriis imbuti evocantur sub promisso splendido centupli pro relictis bonis accipiendi. Senatores plerique Vrbe excedunt, exauthorantur reliqui, Vrbis facies innovatur, Consules novi creantur à Prophetis, & inter illos *Bernhardus Cnipperdollingh*, homo novandi vetus, manu promptus, & ad turbas factus. Cui adjunguntur Senatores, omnes eiusdem instituti & comatis homines, Ecclesiasticis cœtibus præficitur *Iulius* quidam *Frisius*. *Rotmannus*, alii, Monasteria & templa diripiuntur, ingens prędа convehitur, & communis censetur, immò bonorum omnium communio novo Edicto sub capitis etiam pœnâ à Prophetis novis sancitur, omnes præter Biblia libri flammis abolentur, Scholæ abrogantur, immò & conventus Ecclesiastici publici, Prophetis crebrò ingeminantibus, *beatum illud tempus adesse, quo omnes docendi sint à Deo*. Et cùm ab Episcopo obsideretur Ciuitas, Prophetæ novi vim parant, munimenta excitāt, campanas in machinas bellicas conflant, & distributis operis plebem non tantùm fictis logis circumducunt, verùm etiam insanis laboribus atterunt, & authoritatem suam sævitiâ & crudelitate in contradicentes firmant. *Ioanne Matthia*, qui temerè se ex Vrbe in confertum hostium globum cum exiguâ manu effuderat, paulo post sublato, & turbatis civium animis, *Ioannes Leidensis* rem restituendam ratus, ejus mortem, ut & genus mortis, sibi iamdudum prædicta fingit, omnes ad spes novas & miraculosam ab obsidione liberationem cum *Rotmanno* erigit, & propulsato hostium aliquoties infeliciter muris succedentium impetu prædictionibus suis fidem conci-

liat.

liat. Inde velut in ecstasin raptus, & triduo elinguis, tandem Duodecem-Viros factiosos, velut jussu Patris cœlestis, *novo Israeli* præficiendos clamat, ipse sibi, ut Dei vates, authoritatem singulis mandata divina edicendi servat, polygamiam, adulteriis & libidinibus suis velandis, sancit, in dissentientes sævit, & multis cædib. tyrannidem suam munit, ita ut ex hominis istius flagitiosi arbitrio non fortunæ solùm, sed capita etiam & vitæ civium omnium penderent, qui prophetas vel verbo illuderet, Majestatis postulatus hominum nequissimorum libidini victima fieret, & divina humanaque jura omnia proculcarentur. Quin etiam eò usque hominis nefarii prorupit vesania, ut aurifabri cuiusdam Warendorpiani, enthusiasmum & reuelationem mentiri, ac ab eo subornati, astu, & insanientis populi stupore, in thronum Regium terræ filius evaderet, & regnum Histrionicum in oppressa Vrbe exerceret, Regium apparatum, supellectilem, ac satellitium sibi compararet, promiscuis stupris, cœdibus, & inaudita tyrannide sæviret, Principatus & Ducatus inter suos pro arbitrio distribueret, & per emissarios suos *Regnum Sionis* promulgaret, passimque ad seditiones & turbas plebejos homines armaret, immò vix fidem aliquando apud posteritatem habitura flagitia molíretur, titulo isto etiam fanatico sibi adscripto, *Ioannes Rex novæ Hierosolymæ, Rex justitiæ super universum orbem.* De quibus prolixè videri possunt *Ioannes Sleidanus* Comment. lib. x. *Lambertus Hortensius Montfortius* libro de Tumultibus Anabaptistarum, & *Ioannes VVigandus* Episcopus Pomezatiensis in volumine de Anabaptismo publicato. Quæ Histrionia, vel Tragœdia potius eousq; duravit, donec, Ciuitate ad summam inediam redactâ, & Prophetarum suorum furores ac crudelitatem suam serò nimis nequicquam agnoscente, per stratagema expugnatâ, & *Ioanne Leidensi* unà cum *Cnipperdollingo* & antesignanis aliis comprehenso, post colloquia Anno cIↃ IↃ xxxvi. inter illos & *Antonium Corvinum*, ac *Ioannem Kymæum* Theologos Hassiacos sine fructu instituta, uterque justissimas horrendorum flagitiorum pœnas cum furoris sui sociis daret, ignitis forcipibus discerptus ac variè excarnificatus, ut qui non uno letho dignus esset, & hodieque in caveâ suspensus posteritatem docet, *Discere justitiam & non temnere divos.*

XIX. Nec tamen sive horrendis istis Anabaptismi fructibus, sive clade Monasteriensi Anabaptistarum animi in diuersis Belgii provinciis fracti fuêre, & quamvis Monasteriensium furores à se damnari multi profiterentur, certum tamen, & Doctores eorum præcipuos à Monasteriensibus Prophetis submissos in Provincias varias fugisse, & *Mennonem Simonis*, utut in Monasteriensib. multa damnaret, eos tamen pro fratribus, quamvis infirmis agnovisse, & professum fuisse, cladem illorum non obstitisse quominus Deum haberent propitium. Et sanè *Menno Simonis* ex *Vbbonis Philippi* iste è *Bartholomæi Compastoris* Schola prodiit, cuius Apostolatus ad *Ioannem Matthiam*, celebrem Monasteriensium Prophetam refertur, à quo ille primò cum *Theodorico Cuypero*, *Classio Alcmariensi*, aliisque emissus fuit. Quantopere verò factiosus ille Spiritus in *Frisia & Hollandiâ* tumultuatus fuerit, quos motus Amstelodami præsertim, & hic L[illegible], ignomi-

per Bataviam passim & Frisiam excitârit, & quàm nefas molitiones in urbium istarum perniciem struxerit, docet prolixè *Lambertus Hortensius* libro citato. Et quamuis tumultus isti in capita Authorum suorum reciderint, & à Magistratu ac verbi divini Ministris furoribus istis & erroneis dogmatibus passim occursum fuerit, ita altas tamen in Provinciis istis radices hoc hominum genus egit, & simulatâ simplicitatis, sinceritatis, humilitatis & charitatis singularis specie, & peculiari erga sacrum Dei verbum religione plebejorum præsertim animos dementavit, & in hodiernum usque diem dementat, ut homines etiam multi non mali, & pietatis studio flagrantes, Prophetarum istorum partibus accedant, & Reformatorum multorum licet etiam in Reformatæ doctrinæ præjudicium vertant; Quin etiam Doctores eorum Confessionibus & scriptis partim *Didascalicis*, partim *Apologeticis*, partim *Elenchticis* erroribus suis hodieque patrocinantur, adeò ut omni operâ ei rei intercedendum, & solicitâ curâ providendum sit, quî in errorem abreptæ, vel errori innutritæ conscientiæ Deo denuò lucrifieri possint, & à contage simili præservari illi, quos hactenus pestilens illud sidus nondum afflavit.

XX. Vt verò Babelis veteris Architecti linguis inter se confusis scelus suum, pœnamque commeritam ipsi publicavêre: sic pari ratione non scotomate tantùm singulari Deus Anabaptistas percussos, verùm etiam linguas eorum diuisas voluit, & justissimo judicio permisit, ut non tantùm Sectarii isti à se invicem discederent, & in partes abirent, verùm etiam ut mutuo infestis animis calamisque, velut Madianitæ novi, inter se concurrerent, & anathematismis mutuis in propria viscera sua grassarentur. Nec tantùm Anabaptistæ Moravi à se invicem abeunt, verùm etiam Belgæ inter se scissi, alii in aliorum familias fulminant, & ob leves etiam causas in se mutuò anathemata stringunt. In Sectarum omnium, in quas hoc regnum divisum est, nomina, πολιτείας & dogmata, quibus à se invicem discedunt, inquirere, tædiosæ admodum indaginis foret, immò vix illi ἴσως ἂν nisi sacris hominum istorum tincto, innutritoque. Id quidem in confesso est, classes multas jam olim numeratas, hodieque adhuc numerari Anabaptistarum, quæ nomen traxêre vel à *Doctoribus*, quorum placita potissimùm sequuntur, vel à *vitæ genere*, quod profitentur, vel à *locis* in quibus receptum habuêre.

XXI. Ad *primam Classem* quod attinet, quidam vocabantur jam olim *Muntzeriani*, qui sub seditioso isto Doctore, immò Duce nomina sua professi, se impiis ejus dogmatibus, & flagitiosis molitionibns implicuêre. *Huttitæ* dicti alii à *Ioanne Hutto*, qui Magistri exemplo, *se corporalem Dei Israelem* vocabant. *visiones* jactabant & *enthusiasmos*, sed diros & tragicos, *Chananæos omnes gladio exscindendos, judicii diem instare, tubam Angeli audiri*. Hinc multi ex iis facultates suas prodigere cœpêre, ut non profuturam seculo futuro sarcinam. Sed qui postmodum spes inchoare longas jussi, se ad extremam inopiam redactos, & Magistri insaniam suamque credulitatem magno sibi constare serò nimis animadvertêre. Aliis nomen hæsit *Augustinianorum* ab *Augustino* quodam, homine Bohemo, qui animas fidelium à visione Dei,

ante

ante ultimum judicii diem, exclusas, & cœlum nondum reseratum esse, præterea dogmata alia fanaticis aliis communia asserebant.

XXII. Alii vocati fuêre *Hoffmanniani à Melchiore Hoffmanno* homine versatili, & facundiâ populari instructo, qui Argentinæ, inclarescere cœpit, & ingentem discipulorum turbam post se traxit. Huic Patriarchæ etiam eorum, qui in inferiori Germaniâ succreverunt Anabaptistarum tradux adscribi solet. Postquam enim Embdam concessisset Anno. cIↃ IↃ. XXVIII. & ibidem merces suas multo mangonio, & singulari, quâ pollebat, eloquentiâ fucatas extrusisset, magnus hominum ad novitates prurientium confluxus, & ingens ad novam Sectam accessio facta fuit, ac tanta Euangelistæ illi conciliata authoritas, ut à discipulis suis haberetur pro Eliâ mittendo in terras ante ultimum judicii diem. Argentoratum ob vaticinium senis cujusdam Frisii, reversus, & Anabaptismum publicè professus, Ecclesiam Argentinensem non parum turbavit. Synodo super eâ re coactâ Mense Iunio Anno cIↃIↃ XXXII, ad publicam cum Verbi Ministris Disputationem admissus fuit, & dogmata ac somnia hominis fanatici confutata. Quum ne sic quidem quiesceret, & Anabaptistæ Argentoratum novam *Hierosolymam* esse jactarent, in qua novum *Christi regnum* erigendum foret, & *Cornelium Poltermannum* velut Enochum Eliæ illi adjungerent, ac res ad turbas spectaret, *Hoffmannus* in carcerem à Magistratu compactus fuit. Ex quo Anabaptistæ eum cum 144000 signatorum egressurum jactabant, qui terram percussuri essent anathemate, & obices omnes sibi objectos perrupturi. Eliam etiam & Enochum suum *duas faces* futuros & *oleas duas*, quibus nemo posset nocere, & siquidem id molirentur homines, igne ex eorum ore prodeunte, hostes eorum consumendos esse. Quum verò nequicquam exspectassent isti Prophetarum filii sui Eliæ liberationem, tempore à Vatibus aliis prædicto, *Hoffmannus*, ne fides sibi periret, vel suis fiducia, è carcere scribere cœpit, suis per biennium quiescendum esse, exemplo Esdræ & Aggæi, quorum opera templo Dei instaurando imponsa pari ratione biennio cohibita fuerit, donec Deus excitârit Spiritum Cyri. Additâ itaque erroribus suis pertinaciâ, tandem in carcere facto functus omnes suorum spes elusit. Dogmata *Hoffmanni* præcipua fuêre: *Verbum non assumpsisse carnem ex Maria Virgine, nec ex carne ejus, peccato quippe infectâ & maledictâ: Christum unam tantùm naturam habuisse. Salutis assequendæ rationem esse ἐφ' ἡμῖν, & eam à libero arbitrio vel perfici, vel excuti. Pædobaptismum ab hoste potius Dei hominúmque quàm à Deo esse.* Ad hanc classem pertinent etiam *Gabrielitæ & Hutteriani* Anabaptistæ Moravi, à Doctoribus suis ante nominatis his nominibus insigniti. Sic *Mennonitæ* alii ex Anabaptistis jam olim dicti, hodieque dicuntur à *Mennone Simonis* celebri Anabaptistarum Apostolo, qui ex quodam Frisiæ pago propè Harlingam ortus, è Papatu quidem emersit, sed Anabaptisticis erroribus immersus, circa ortum humanæ Christi naturæ, Pædobaptismum, Magistratus officium, & alia id genus dogmata, non tantùm Hæreses varias amplexus est, verùm etiam eas voce, colloquiis, scriptis passim disseminavit, & quamvis cum *Martino Micronio, VVismariæ* Anno cIↃ IↃ LIV solenni Disputatione congressus, nullâ

Sophisticâ vim veritatis vel eludere posset, vel declinare, in suis tamen erroribus spargendis & defendendis perstitit, donec Lubecam inter & Hamburgum Anno cIↄ Iↄ LIX. vel, ut alii volunt, cIↄ Iↄ LXI. Sexagenario major Oldesloæ obiret. Inconstantiam & contradictiones vertiginosi istius Doctoris, & scripta *Mennonis* docent, & Doctores Orthodoxi satis superque demonstrarunt. Ab hoc *Mennone* plerique Anabaptistæ Belgæ *Mennonitæ* vocari vulgo solent, quamvis non omnes ex iis hujus Doctoris placita sequantur. Propriè dicti *Mennonitæ* in partes etiam ivêre, & alii ex iis *Mennonitæ veteres, Recentiores & Iuniores* alii dicti fuêre.

XXIII. His Anabaptistarum classibus, quæ à Doctoribus nomen suum traxêre, accenseri etiam solent à quibusdam I. *Servitiani*, II. *Georgiani*, III. *Swenckfeldiani*, propter Catabaptismum, Anabaptismum, Enthusiasmos, & dogmata multa heterodoxa, quæ cum Anabaptistis communia habuêre.. *Servetiani* sic dicti à *Michaele Serveto* Hispano, qui ob execrandas & [illegible] in S. Trinitatem, & Dei Filium blasphemias, summâ cum obstinatione effusas, & flagitia alia, non solo *Calvini* summi & sanctissimi Theologi impulsu, quod à quibusdam, ex merâ ærugine, spargitur, sed maturo consilio, & re cum Rebuspublicis & Ecclesiis Helveticis communicatâ, Genevæ exustus, impiam animam inter blasphemias in rogo adhuc sparsas effudit, & Pontificiorum æquè ac Euangelicorum judicio dignissimus habitus fuit, qui ultricibus flammis periret.

XXIV. *Davidiani* verò à *Davide Georgio* Delffensi Batavo nomen habuêre, impostore famoso, & horrendarum blasphemiarum æquè ac propudiosarum libidinum Magistro, qui eousque audaciæ & impietatis progredi ausus fuit, ut præter dogmata quædam alia, in quibus cum Anabaptistis conspiravit, se pro Christo Dei venditare, æterno æterni Dei Filio præferre, sibi vaticinia Prophetica de Christo Servatore à Sanctis Dei Viris enuntiata applicare, & fanatica ac impia dogmata sua sacrosancto Dei verbo anteferre ausus fuerit, homo [illegible], immò portentum & dehonestamentum generis humani. Quas blasphemias cum deliriis aliis in *librum Mirabilium* congessit, ubi etiam docet, Doctrinam in Scripturâ sacrâ traditam, imperfectam, immò puerilem & carnalem esse, & velut in infantiâ mundi traditam. Et quamvis blasphemiæ istæ vix ulli mortalium persuaderi posse videantur, dici tamen satis non potest, quantam hominum multitudinem in partes suas pertraxerit flagitiosissimus mortalium duobus potissimùm mediis, 1. Externâ vitæ sanctimoniâ, & assiduo ac ardenti in speciem preces ad Deum fundendi studio. 2. Cautâ & versutâ dogmata sua dispensandi & instillandi aliis ratione, ab uno sensim sibi gradum struendo ad aliud, miris modis hominum credulorum animos invadendo, & fidem ac authoritatem sibi conciliando, nec horrenda ista mysteria nisi Mystis jam planè sibi obnoxiis, & secretò quidem, tradendo; quibus artibus, accedente decorâ quadam, & ad Majestatem compositâ vultus specie, innumeris manum adiit, & per [illegible] multos per complures annos circumduxit, simulque discipulos suos argento emunxit, donec, blasphemiarum suarum pœnas meritas,

veritus

veritus, cùm & à *Mennone Simonis* & à *Melchiore Hoffmanno*, & ab Anabaptistis aliis graviter perstringeretur, ejurato nomine gentilitio, & nomine sibi novo *Ioannis à Bruck* imposito, aliò sibi demigrandum duxit, ubi nec de nomine, nec de facie notus esset. Delegit verò sibi Basileam, Urbem inclytam, quò rerum suarum sedem transferret, & cùm, persecutionib. tum in his Belgii Provinciis in Reformatos passim grassantibus, se ex eorum exulum numero profiteretur, qui Christi causa solum mutare cogerentur, à pientissimo Magistratu, & exulibus ob Dei causam extorribus favente, receptum impetravit, cùm familia & Sectariis aliquot suis. Ubi virus suum texit diu homo sinuosus, & Magistratui fidem obstringendo, Ecclesiasticos cœtus frequentando, officiis variis multorum animos sibi conciliando, & liberali cultu, victu, satellitio etiam composito, suavi quoque ac prudenti conversatione, plebis simul, & illorum qui in dignitate erant constituti, gratiam occupando, tuto & splendidè quidem, suburbano sibi ultra amplas in Urbe ædes comparato, vixit, donec Anno Domini CIↃ IↃ LVI. circa Mensem Septembrem diris conscientiæ morsibus, & supplicii imminentis metu potiùs, quàm morbo contabuit, quum animadverteret & à peregrinis quibusdam Belgis Basileam confluentibus sibi larvam detrahi, & Sectariorum suorum etiam animos nutare. Quod mirum tamen esse possit, triennio demum post obitum istius impostoris, honestè in Æde Leonhardi tumulati, aulæo diducto fabula panditur. Blasphemiæ hominis scelesti deferuntur ad Senatum, Sectarii illius in Curiam accersuntur, quæstio habetur de defuncti nomine, patriâ, vitâ, doctrinâ, *Davidis*, & asseclarum ædes & scrinia excutiuntur, literæ & libri comportantur, Theologis & Jurisconsultis singula discutienda exhibentur. Blasphemiis & fraudibus plani illius detectis, solenni Senatus consulto schedæ & libri ejus omnes flammis ultricibus carnificis manu exuruntur, effiges facinorosi hominis curru ferali per compita circumducta rogo injicitur, cadaver infame in publicum supplicij locum feretro inclusum deportatur. & in cineres redactum aboletur. Sectariis isti impostori antea familiaribus, qui se à Magistri blasphemiis alienos fuisse, & esse pertendebant, vitæ gratia fit à Senatu, ejusque prudentiâ & pietate obviam itur hæreseos istius contagioni, omnes ejus disseminandæ viæ obstruuntur, & ejuratâ publicè in Templo nefarii Doctoris communione, ac dogmatibus, iidem ad sacra admittuntur. Cætera quæ ad hanc historiam pertinent executi fuêre *Iohannes Vvigandus* Episcopus Pomezaniensis. & Author Historiæ *Davidis Georgij* recens à Viro Cl. *Iac. Revio* hîc publicatæ.

XXV. *Schvvenkfeldiani* sic dicti fuêre à *Casparo à Schvvenckfeld ab Ossigâ*, Equite Silesio, è Ducatu Lignicensi ex nobilissimo genere orto, qui se veræ Religioni docendæ propagandæque divinitus destinatum profitebatur, & ob singularem morum gravitatem, vitæ compositæ studium, & precum ardorem multorum animos sibi obnoxios habuit, *Valentinum* præsertim *Crautvvaldium*, & *Sigismundum Vvernerum* Professores & Pastores Lignicenses, quorum operâ in disseminandis dogmatibus suis usus

fuit. Anabaptistis *Schwenckfeldius* cum sequacibus accenseri solet, ob multas quas sparserunt positiones, Anabaptisticis conformes partim, partim affines: Docuit inter alia: *Naturam humanam Christi non esse creaturam, sed deificatam carnem*, vel *absorptam à divinitate*: Contrariam sententiam tuentes *Creaturistas* esse *Scripturam literam mortuam esse*, secus docentes *Vocalistas* & *Literalistas* esse; *Illuminationes* & *revelationes magnificiendas esse*: Accedunt dogmatibus illis ea quæ de *Pædobaptismo, Magistratu, Iuramentis*, & *Missione* Pastorum commentatus est *Schwenckfeldius* LXXX. libris quos de Religione linguâ patriâ publicavit. Quum verò à *Friderico* Lignicensium Duce Anno CIↃ IↃ XXVII. proscriptus fuisset, præcipuas Superioris Germaniæ provincias peragravit, & Norібergæ, Augustæ. Ulmæ, Argentorati, aliisque in locis dogmata sua sparsit, & Nobilitatis vel imprimis animos suadâ suâ, & peculiari quadam sanctimoniâ sibi conciliavit, & adeo occupavit, ut hodieque in multis Germaniæ locis, præsertim in equestribus familiis dogmatum istorum πεφυλαγμένη memoria, & occulta quædam veneratio hæreat. Obiit tandem septuagenario major in Suevia Anno CIↃ IↃ LXI. eo elogio cohonestatus, *Caput regulatum illi defuisse cor bonum non defuisse*.

XXVI. A *vitæ genere* & *professione* diversa Sectæ variæ etiam inter Anabaptistas denominatæ fuerunt. Alii enim *Apostolici*, alii *Separati* à mundo, vel *Spirituales* merè, alii *Cathari*, alii *Silentiarij*, alii *Euchitæ*, alii *Adiaphoristæ*, alii *Enthusiastæ*, & *Ecstatici*, *Libertini* alii, alii *Hamaxarii* & *Borboritæ* vocari cœperunt. *Apostolici* nomen illud traxerunt ex eo quod se Apostolorum imitatores profiterentur, uxores, liberos, professiones, manuarias artes desererent, absque calceis, perâ, pecunia hinc inde divagarentur, pedes sibi invicem lauarent (unde & *Podonipta* dicti) & omnia juberent esse communia. *Separati enim à mundo* vel *Spirituales* vocati fuerunt qui nolebant ulla in re configurari seculo præsenti, sed in vestitu, cibo, somno, incessu sanctimoniam & singularitatem affectabant, conventus publicos, nuptiarum solennitates, convivia, musicam & alia id genus seculi oblectamenta horrebant, immò risum omnem ex præscripto Sectæ & vitabant ipsi, & perstringebant in aliis. *Cathari* dicebantur, qui non infantes duntaxat à peccato immunes esse, sed etiam suæ sectæ homines adultos tales esse posse & debere, & ex talibus constare Ecclesiam contendebant. *Silentiarii* dicti fuerunt ii, qui non multiloquium tantùm vitandum censuêre, sed & privatas super religione concertationes, nec concionibus publicis locum esse docuêre, eò quod ostium occlusum esset, & tempora mala, nec mundus dignus, cui prædicetur Euangelium. *Euchitæ* dicti, qui vim omnem mala averruncandi, & bona in se derivandi transcribebant precibus, & illis solis vacandum contendebant, nec media conquirenda ad vitam secularem necessaria, sed à Deo immediatè omnia exspectanda censebant. *Adiaphoristæ* illi censentur inter Anaptistas, qui Pædobaptismum, jusjurandum, Politicorum munerum administrationem, externam verbi prædicationem, sacramentorum dispensationem & usum fidei confessionem, & alia id genus referebant inter adiaphora, docendo,

cendo, Spiritum supplere defectum rerum externarum, nec ob fidei professionem ulli de vitâ periclitandum. *Enthusiastæ* & *Ecstatici* dicti illi, qui præ aliis inspirationes divinas, ecstases, & secreta cum Deo colloquia jactant, prophetias suas pro Dei verbo obtrudunt, & eas scripto verbo præferunt, immò istud ex somniis suis dijudicandum contendunt. *Libertini* vocantur illi, qui à divinis & politicis legibus se per Christum exemptos gloriari, & communionem uxorum cum dogmatibus id genus aliis impuris promulgare, & praxi suâ confirmare non sunt veriti. *Hamaxarii* & *Borborita* dicti fuêre alii, eò quod, scissione factâ à Mennonitis veteribus ob Anathematismorum severitatem, quosvis excommunicatos à Sectis aliis in communionem suam reciperent, & sic quodvis cœnum conveherent. Hujus sectæ authores fuerunt Anno cIɔ Iɔ LV. *Henricus Naeldemannus & Georgius Heyns.* Quid quod ante annos non ita multo *tres Sectæ* novæ inter Anabaptistas Flandros ortæ reliquarum numerũ auxerunt, quæ in se mutuò anathematismis variis grassantur. Occasio divortii istius novi fuit subtilitas *Thomæ Beenckens* Franekerarorum Anabaptistarum Episcopi, qui domo quadam venum expositâ, amici eam sibi destinantis consilium elusit, eique callidus licitator arte prævertit. Hanc emptionem ut legitimam & sine dolo malo factam probarunt ex Anabaptistis multi, vel inprimis *Iacobus Petrus vander Meulen*, Harlemensium Anabaptistarum Episcopus, improbarunt alij, & non solùm contractum illum, ut dolosum, damnarunt, verùm etiam fraudem illam excommunicatione dignam censuerunt. Et hac occasione à multis in partes itum, nec Sectarii defuêre utrisque. His verò inter se litigantibus intercessit Classis quædam tertia *mediorum* vel *neutrorum*, improbantium quidem emptionem illam ut cum fraude conjunctam, censentium tamen peccatum illud tanti non esse, ut excommunicationis rigorem mereretur. Interea tres istæ Sectæ, utut in præcipuis fidei articulis conformes, dira in se anathemata strinxerunt, & ejusdem communionis contesserationem sibi invicem pertinaciter negarunt.

XXVII. Ad *tertiam Classem* quod attinet, à *locis* etiam & *regionibus*, è quibus vel prodiêre, vel in quibus nidulati sunt Anabaptistæ, & receptum habuêre, distributi jam olim fuerunt in *Germanos, Helvetios, Moravos, Belgas: Germani* itidem in *Suevos, Francos, Saxones, Monasterienses:* in *Frisios, Flandros, Batavos, VVaterlandos: Frisii* itidem in veteres & recentes. Immò & ab urbibus quandoque denominati fuerunt, & vocati *Antverpiani, Embdadani, Franequerani, Leovardienses, Ziericzeenses*, &c. Istorum omnium consensum vel dissensum sigillatim & accuratè percensere nihil attinet, nec verò id fieri facile potest, quum nihil versatilius sit isto hominum genere, & dogmata Theologica ab iis astragalorum instar hinc inde versentur, ipsi quoque ambiguis admodum phrasibus utantur, & mentem suam cothurnis variis involvant, levissimis etiam de causis, ob *excommunicationis* præsertim *dogma* & *praxin*, à se invicem discedant & in partes eant.

XXVIII. His in antecessum expensis liquet, quibus Sectarii isti in-

ſigniantur *Nominibus*, & quâ de causâ iis inſigniri ſoleant: Sunt verò ea vel *generalia* vel *ſpecialia*: *Generalia* ſunt *Catabaptiſtarum*, *Anabaptiſtarum*, *Enthuſiaſtarum*, *Fanaticorum* & *Libertinorum*. Patet verò *Catabaptiſtas* eos vocari, eò quod invehantur in Pædobaptiſmum, eumque non ſolùm ut inutilem, ſed etiam ut illicitum ex Dei Eccleſiâ proſcriptum velint: *Anabaptiſtas* verò, quod baptiſmum vel infantibus in tenerâ ætate, vel adultis extra cœtus ſuos collatum, repetitum velint, & actu in illis repetant, qui ſe eorum ſectis addicunt. Patet etiam eos *Enthuſiaſtas* vocari ob ἐνθουσιασμοὺς, ἐκστάσεις, raptus & alia id genus, quibus & ſecretas ac divinas inſpirationes affingunt, & ob quas ſomniis iſtis ſive in Scripturæ expoſitione, ſive in dogmatum fidei definitione, ſive in ſpecialium vitæ actuum directione non locum tantùm, ſed & authoritatem αὐτόπιστον eſſe, aliqui ſaltem ex iis, voluerunt. Quâ de causâ etiam *fanaticorum* nomen iis hæſit. *Libertinorum* verò nomen, ut patet, multi ex illis habent, ſive à dogmatibus tantùm, quæ ſupra recenſita, ſive à *dogmatibus & praxi* ſimul, unde *Libertini* inter Anabaptiſtas alii *dogmatici* tantùm vocari potuêre, alii *Antitactici*, factioſi & *Epicurei*, quorum aliqui in poteſtates inſurrexêrunt, alii promiſcuum conjugum uſum, & alia id genus impura & carnalia dogmata praxi ſuâ expreſſerunt. Nominibus iſtis *generalioribus* accedunt etiam *ſpecialia*, alia à *Doctoribus*, à *vitæ genere*, vel *profeſſione* alia, alia ab iis, in quibus ſedem fixêre, *locis*, quæ ex ſuperioribus à nobis recenſitis peti poſſunt.

XXIX. Ad *Dogmata* jam ipſa erronea Anabaptiſtarum quod attinet, tot ea ſunt, ob tot varias, in quas diſtrahuntur, Sectas, ut eorum numerus vix ſubduci poſſit. Quamvis verò dividi queant in ea quæ Anabaptiſtis *communia* ſunt cum multis Hæreticis aliis, ſive veteribus, ſive recentibus, & in ea quæ iſti hominum generi ſunt *ſpecialia*, tamen, melioris ordinis gratiâ, omnes & ſingulos Anabaptiſtarum errores ad certos locos Theologicos nobis revocandos cenſuimus. Complectemur verò iſta diſtributione non illa tantùm dogmata, quæ *Anabaptiſtæ* vel *Catabaptiſtæ* omnes ſive veteres aſſeruêre, ſive recentes hodieque aſſerunt, ſed & illa quæ *multis* illis, vel *aliquibus* ſaltem placuêre jam olim, vel hodiéque adhuc placent, ut & diſtributio plena ſit, & eorum quos errarunt hactenus, errántve adhuc errorum corpus integrum Lectori repræſentemus. *Michaelis Serveti* tamen & *Davidis Georgii* furores, à quibus Anabaptiſtæ plerique immunes ſe ſemper fuiſſe & eſſe hodieque ſunt profeſſi, non attingimus, ut nec *Svvenckfeldii* deliria.

XXX. *Claſſes* verò duas conſtituimus *generales*, ad quas referri poſſunt heterodoxa omnia Anabaptiſtarum dogmata: vel enim verſantur *circa Canonem* ſacrum, vel *circa* ea, quæ Canone illo docentur, *fidei dogmata*, & *inſtituta*.

XXXI. Ad *Canonem* ſacrum quod attinet, errant Anabaptiſtæ 1. Circa *Materiam* Scripturæ S. 2. Circa *Formam* ejus. Circa *Materiam* peccant. I. Μείωσιν vel ἀφαίρεσιν, dum ſcripta Veter. Teſtamenti, ut ad Iudæos duntaxat, non verò ad Chriſtianos pertinentia, velut iſtis inutilia traducunt, ſoloſque Novi Teſtamenti libros fidei vitæque noſtræ regulam eſſe cen-

ſent,

sent. Nec probationes articulorum fidei Christianæ ex Veteri Testamento ductas, æquè ac ex Novo admitti volunt, nisi quando doctrinæ Christi non sunt contrariæ, supponendo, vel scripta utraque in aliquibus sibi invicem adversari, vel minoris authoritatis esse Testamentum Vetus præ Novo. *Colloq. Francoth.* & *Leovard.* & *Confess. Mennonitarum*. II. Peccant προσθέσει, I. Dum aliqui ex illis libros Apocryphos Canonicis quandoque exæquant, & ex iis etiam articulos fidei probari posse censent; Sic *Menno Simonus* libris Canonicis Scripturæ S. opponit interdum apocryphos, & *Mennonitæ* ejus sectarii in suâ *Confessione* Sapientiæ & Ecclesiastici libris sua dogmata superstruunt. Sic *Reinierus VVybrands* in Catechismo suo Amstelodami Anno cIↄ Iↄ cxl. publicato, S. Scripturam partitur in libros Veteris & N. Testamenti, & hos in Canonicos & Apocryphos; Quamvis & iste super hoc argumento sibi parum constet, & Anabaptistæ alii cum Orthodoxis hîc facere videantur. 2. Dum non tantùm scriptum Dei verbum, sed & revelationes, enthusiasmos, somnia & *immediatam* Dei vocem audienda, ac ad ista, & secundùm ista, Ecclesiæ regimen, & actiones quasvis, temerarias etiam & periculosas instituendas esse docuêre, ut ex *Monasteriensium* doctrinâ & praxi, & colloquio *Antonii Corvini*, & *Ioannis Kymæi* Theologorum Hassiacorum cum *Ioanne Leidensi* Anno cIↄ Iↄ xxxvi. Bevergæ habito patet. III. ἀλλοιώσει peccant, dum diversam doctrinæ fidei substantiam in V. & Novo Testamento tradi contendunt, Mosen & Christum sibi invicem opponunt, & Christum in N. Testamento novam fidei doctrinam, perfectiorem justitiam, & promissiones non temporales duntaxat & terrenas, ut in V. Testamento, sed æternas insuper proposuisse docent *Coll. Embd.* & *Leov.*

XXXII. Circa *Formam* quin etiam Scripturæ S. dupliciter peccant Anabaptistæ. I. Circa *Formam internam*, dum eum tantùm Scripturæ sensum admittere volunt pro genuino, qui totidem literis & syllabis expressus est, nec consequentiis & illationi unius ex alio, quidam saltem ex illis, locum esse volunt. Quod patet tum ex colloquiis super expositione verborum Ioh. I. 14. *Verbum caro factum est*, ubi τὸ ῥητὸν, & literam urgent præcisè, tum ex querelis, immò triumphis eorum, Pædobaptismum expressis verbis ex Scriptura S. probari non posse. Ob eandem rationem explosum voluit τὸ ὁμοούσιον *Petrus Iohannes Moyerus* in colloquio habito cum *Daniele Radeo*. II. Circa *Formam externam*, dum vulgatis & vernaculis versionibus, ob ἀπειρίαν & ἀπαιδευσίαν suam hærendum volunt, nec eas ad originales textus revocandas, nec eò ab Orthodoxis Doctoribus recurri debere contendunt. Sic in *Coll. Embdano* urgent Anabaptistæ, ut tres Personæ sibi ex *Lutheri* versione αὐτολεξεὶ probentur. Et quia in eadem *I. Iohan.* nomen non extat, eo urgeri noluêre. III. Dum suorum Doctorum interpretationem, *Nicolai Biscerii* præsertim, quæ multimodis corrupta est, pro sanâ obtrudunt, ut ex colloquiis variis cum iis habitis patet.

XXXIII. *Secundum* verò genus *errorum* latissimè se diffundit, quod errant circa ea, quæ è *Canone* ipso ducuntur *fidei dogmata & instituta*, quæ, melioris distinctionis causâ, revocamus tum ad *credenda*, tum ad *facienda*,

sive in *statu publico*, sive in *vitâ privatâ*. *Credenda* distribuimis 1. In ea quæ credi volunt *de Deo*. 2. In ea, quæ credi jubent *de Mediatore* Dei & hominum. 3. In ea quæ credenda proponunt *de ipso homine*, sive quoad *statum institutum*, sive quoad *statum destitutum*, sive quoad *statum restitutum*, sive quoad *statum præstitutum*. *Facienda* etiam partimur in ea, quæ fieri & observari debere censent vel à *totâ Ecclesiâ communiter*, vel à *membris* Ecclesiæ *sigillatim*. iisque tum *publicis*, quæ vel *Politica*, ut Magistratus, vel *Ecclesiastica*, ut ii qui operantur sacris, tum *privatis*, qualia sunt fideles reliqui.

XXXIV. *Anatome* ista *generalis* continet sub se innumera fermè capita. Ut enim error erroris ferax est, & ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τἄλλα ἕπεται, sic idem Anabaptistarum Sectis evenit. Lerna immò Ilias errorum sese infudit in Ecclesiam Christianam, & ab uno errore gradus sensim factus ad ad alios, ex quo Anabaptistæ Enthusiasmis & somniis suis locum esse voluerunt, prout idem traditionum dogmaticarum cataractis semel laxatis, in Ecclesiâ Romana contigit. Quamvis id observatum etiam velimus, magnum inter Anabaptistarum Sectas, sive quæ antehac fuêre, sive quæ hodieque adhuc reperiuntur, discrimen esse, & aliquas ex illis gravius errare, & periculosius, alias minus graviter & minus periculosè. Nec enim eadem ab omnibus Dogmata vel propugnata fuerunt olim, vel hodieque propugnantur; sed quædam *omnes*, quædam *multos*, quædam *aliquos* tantùm adstipulatores habent, unde non omnia omnibus impacta volumus, sed ostensum duntaxat, quousque se diffuderit ista hominum fanaticorum, qui Sectis illis nomina dederunt, licentia, ex quo à Dei Ecclesiâ discedere & in partes ire voluerunt,

XXXV. Circa *Primum caput*, videlicet eorum, quæ de Deo credi volunt, peccant Anabaptistæ. I. Quoad *Nomina Dei*. II. Quoad *Naturam* ejus. III. Quoad *Personas* Sacræ Trinitatis. IV. Quoad *proprietates* Dei essentiales. V. Quoad *decreta* Dei. Quoad *Nomina* Dei errant Anabaptistæ 1. Dum nomen *Iehova*, quod essentiæ designativum est, & quod Deus sibi uni proprium esse vult, adspernantur, & id ἄγραφον esse supponunt, eò quòd in versionibus multis non reperiatur. *Coll. Embd.* & *Confess.* eorum. 2. Dum Personas Sacræ Trinitatis Dei nomine, ob id quod habent dominium, potius, quàm ob naturam, quam habent, divinam, insigniri volunt: *Iac. Outerm.* in Art. 3. Dum vocem ὁμοούσιον tum ut ἄγραφον, tum ut ambiguam explodendam contendunt. Idem ibidem, & *Confess. Anab.*

XXXVI. Quoad *Naturam* Dei peccant Anabaptistæ; 1. Dum ὁμοουσιακῶς negant, unam eandemque esse Patris, Filii & Spiritus Sancti essentiam, & dum τριουσιακῶς non *plures* tantùm *indefinitè*, sed & *tres essentias definitè* constituunt. *Iac. Outerm. in Artic. & Apol. & Corn. Cuyper in Apol.* 2. Dum locorum etiam intervallis essentias Personarum distinguunt, & Patris essentiam in cœlo, Filii verò in terrâ *exclusivè* in Baptismo Christi fuisse docent. *Ibid.* 3. Dum unitatem, quæ Deo adscribitur, restringunt ad unitatem voluntatis, consensûs, doctrinæ, operationis, & dominii, prout duo Reges unum esse dicuntur, qui eadem imperant, & prout tum discipuli Christi, tum fideles unum dicuntur Iohan. 17. 21. Ad Galat. 3. 28: *Iac. Outerm. in Art.*

XXXVII. Quoad *Personas* peccant Anabaptistæ, 1. Dum *Personæ* nomen ut confictum & ambiguum explodunt, In *Confess.* 2. Dum Patri uni nomen Dei præcipuè adscribi, eumque ideo solum verum Deum vocari volunt. Ioh. 17. 3. In *Confess.* 3. Dum quidam ex iis in Dubio relinquunt, an filius Dei ab æterno à Deo Patre fuerit genitus, an verò ita vocetur, quod ab æterno à Deo Patre fuerit genitus an verò ita vocetur, quod ab æterno præcognitus fuerit, & nobis destinatus. Immò *Iac. Outerm.* disertè Christum à Prophetis Deum vocari contendit, & æternum Dei filium esse, quia præcognitus fuerit in Mediatorem pro nobis ante initium mundi. Sic *Claes Claess in Simpl. Prob.* docet non clarè in Dei verbo dici, an Filius Dei ante incarnationem sui alia Persona fuerit quàm Pater. 4. Dum idem docet ibidem, non nobis esse imperatum, ut inquiramus, an tres Personæ ab æterno usque ad incarnationem Christi indistinctæ semper fuerint, quoad essentiam, an non. Nec inquirendum esse, an Spiritus S. a Patre distinctus sit, vel non. Item inquiunt, se non dividere Personas, sed Patrem, Filium & Spiritum S. indistinctos fateri. Nec doceri in Sacris literis, tres esse Personas distinctas. *Coll. Francoth. & Embd.*

XXXVIII. Quoad *proprietates* Dei *essentiales* peccant, 1. Dum negant *infinitatem & omnipræsentiam* essentialem Dei, asserendo incomprehensibilem Dei essentiam non implere cœlum & terram, sed divinam ejus potentiam, ejusque dona, & prius perperam dici. *Cuyp.* & *Outerm. Apol.* Immò Filium hominis non fuisse essentialiter in cœlo tunc, cùm Nicodemum alloqueretur in terris. *Outerm. ibid.* Sic in Baptismo Christi, Patrem fuisse in cœlo, non in terrâ, Filium in terrâ, non in cœlo. Nec Spiritum S. esse in omnibus locis. *Outerm. in Art.* 2. Dum negant *immutabilitatem* Dei, Filium enim Dei mutatum fuisse, Verbum mutatum fuisse in carnem, Christum in incarnatione divinam vitam & gloriam suam reliquisse, & desiisse Patri similem esse essentiâ simul & proprietatibus. *Iidem* & *Tvvisck in Resp.* 3. Dum negant *invisibilitatem* Dei, Patrem enim visum iri distinctè cum Filio in judicio, docet *Outerm.* Sic secundam Personam visam fuisse, cum Christus factus esset homo, & sic homines vidisse gloriam unigeniti filii Dei. *Idem*, Sic *Cuyperus* docet, Spiritum Sanctum etiam visum esse, Iohannem enim non columbam, sed Spiritum Sanctum in similitudine columbæ vidisse.

XXXIX. Quoad *Decreta* etiam Dei peccant *Anabaptistæ*. I. Circa decretum *generale Providentiæ* divinæ; I. Dum ejus *latitudinem* evertunt, 1. Negando, Deum de rebus omnibus æterno decreto statuisse, vel omnia dirigere, immò asserendo, absurdè dici, Deum eventus omnes ab æterno ordinasse, qui sequi debeant, vel modum & media per quæ sequi debeant. *Knuyt.* in *Præf. lib. de Prec.* & *Outerm.* in *Dem.* 2. Negando, Dei Providentiam se extendere ad mala & ea dirigere; aliàs enim Deum peccati authorem constitui. *Outerm. in Dem. Knuyt. in Pref. Tr. de prec.* II. Dum ejusdem providentiæ *firmitatem*, & *immutabilitatem* labefactant, docendo, non ita immutabile esse decretum illud, quin ab hominibus ei intercedi, & ejus executio impediri posit, immò contrarium absurdum esse, & tollere le-

ges, præmia & pœnas, istas enim aliàs injustas futuras. *Outerm. Knuyt. ibid. & Claesʃm Epist.*

XL. Peccant verò etiam. II. Circa decretum *speciale Prædestinationis*: Et quidem circa *electionem*. I. Quoad *causam* ejus *impulsivam*. 1. Dum electionem liberrimam singularium quarundam personarum ad vitam negant. *Confess. Mennonit.* 2. Dum affirmant, electionem ad vitam inniti prævisioni fidei & obedientiæ, & finalis in utraque perseverantiæ, eos nimirum electos ad vitam, quos prævidit Deus ab æterno in Christum credituros, & ei obsecuturos esse, inque fide & obedientiâ perseueraturos. *Confess. Mennon. & Outerm.* in *Dem.* II. Quoad *firmitatem* ejus, eam nimirum talem non esse, quin mutari possit, prout homo se gerat; cùm enim mutabili conditioni superstructa sit, eam non posse non esse mutabilem. *Idem*, & *Ioh de Ries* in *Confess. Fidei.*

XLI. Peccant verò Anabaptistæ pariter etiam quoad doctrinam de *Reprobatione*. I. Quoad *causam* ejus *impulsivam* 1. Dum negant, Deum ex liberrimo beneplacito suo constituisse aliquos ex humano genere lapso incorruptione suâ relinquere. *Ibid.* 2. Dum docent, reprobationem inniti prævisioni infidelitatis, impœnitentiæ, & obstinationis in utrâque, adeóque illos à Deo reprobari, quos & infideles & impœnitentes futuros, & in infidelitate & impœnitentiâ perstituros prævidit. *Ibid.* II. Quoad *firmitatem* ejus, dum reprobationis æquè ac Electionis decretum mutabile fingunt, conditionatum quippe, & ob mutabilitatem conditionis tale, adeóque Electorum & Reproborum numerum augeri posse, minuive. *Ibid.*

XLII. Quoad *Mediatorem* Dei & hominum incarnatum varios quoque errores errant Anabaptistæ, sive *Personam* ejus spectemus, sive *officium*, sive *geminum* ejus *statum*. In Doctrinâ de *Persona* Christi errant. I. Circa *originem carnis* Christi. 1. Dum negant, filium Dei factum esse carnem per assumptionem naturæ humanæ, sed ita factum volunt per conversionem potius, Verbum enim ipsum factum esse carnem. *Iac. Outerm. in Artic.* Immò Verbum carnem factum esse, perinde ut aqua in vinum mutata est in Canâ Galilææ *Anab. Antverp. Menno Sim. in Coll. cum Micr. Coll. Embd, & Knuyt. Confess.* 2. Dum negant, corpus Christi ex Mariæ Virginis substantiâ ortum traxisse, sed vel ex semine Dei Patris, vel ex substantiâ eius, vel ex verbo Dei, vel ex ignotâ materiâ aliâ. *Men. Sim. cont. Micr. & in Confess.* 3. Dum docent, non esse de fide, unde carnis suæ originem Christus traxerit, nec necessariam esse distinctam ejus rei cognitionem. *In Exhort. Eccl. Vn. & Iob. de Ries in Confess. ad Sen. Roter.* II. Circa *naturam* ipsam Christi *humanam*. 1. Dum negant, Christum hominibus per omnia similem factum, excepto peccato, & asserunt, temerarium esse, dicere, Christum secundùm humanitatem creaturam esse, & inferiorem Deo, immò carnem Christi divinam carnem esse. *Iac. Pet. Vander Meulen Institut. & Matth. Ierriaensz. Epist. Christ.* 2. Dum negant, Christum habuisse veram animam humanam nostræ similem, *Colleg. Embd.* 3. Dum negant, duas in Christo naturas esse cum proprietatibus suis essentialibus. *Apol. Mennon. cont. Micr. & Coll. Embd.*

XLII.

XLII. Sic in Doctrina de *Officio Christi* peccant etiam variè Anabaptistæ. 1. Quoad *officium Propheticum*. 1. Dum Novum Testamentum nonnisi post Iohannem à Christo ipso revelatum fuisse contendunt, tum quum actu publicè officium suum administraret. *In Def. & Apol. Necess.* 2. Dum volunt ibidem, Christi doctrinam ante passionem ipsius, non tam quoad omnes partes observari debuisse, quàm post mortem ipsius. Petrum enim restitisse malo, nec ob abnegationem Christi fuisse ab Ecclesiâ remotum. Aliter verò jam fieri debere. 3. Dum volunt, doctrinam & Legem Mosis ita à Christo sublatam, ut nos non amplius obliget, ut enim Veteres per legem regebantur, sic Christianos regi per prædicationem Euangelii. C. *Boeckaerts Serm. Coll. Franc. Ioh. Pet. vander Meulen Collat. Script.* 4. Dum contendunt, Christum legem decem præceptorum reformasse, & novam ac perfectiorem condidisse. *Coll. Francoth. & Embd. & Confess. Mennon.* Sic docent, verbi gratia, quoad *primum præceptum*, in Veteri Testamento Deum Patrem tantùm invocatum fuisse, Christum verò demum in Novo Testamento docuisse discipulos suos Patrem invocare in nomine Filii. *Conf. fid.* Sic *tertium præceptum* perfectius esse volunt sub Novo, quàm sub Veteri Testamento, sub Veteri enim juramenta permissa, & perjuria tantùm vetita fuisse, sub Novo verò juramenta omnia planè prohibita esse, *Apol.* Sic quoad *præceptum quartum*, in Novo Testamento Sabbathi observationem merè ceremonialem à Christo redditam volunt, & internum tantùm Sabbathum Christianis esse necessarium. *Conf. fid. & Apol.* Sic *præcepto sexto* in Veteri Testamento vindictam, *septimo* divortium & polygamiam ob imperfectionem præceptorum Veteri Testamenti permissa fuisse, sub Novo verò ista permissa non esse. *Apol.*

XLIII. II. Quoad *officium Christi sacerdotale* peccant Anabaptistæ. 1. Dum non sufficere volunt, Christo Deo passionem, & mortem adscribi ut *subjecto attributionis*, sed & naturam divinam *subjectum inhæsionis* ejus constituunt, quasi Christus secundùm naturam non verè & merè humanam, sed secundùm naturam divinam in humanam velut conversam passus & mortuus fuerit, adeoque vel veram Christo Deitatem negant, vel passionem ejus in *δοκεῖν* Marcioniticam convertunt. *Iac. Outerm. Resp. & Apol.* Aliâs enim non posse dici nos redemptos esse per mortem Filii Dei, Deum privari honore debito, qui ob salvationem nostram ipsi debeatur. *Conf. Mennon.* 2. Dum negant, Christum animâ suâ sensisse iram Dei, & pœnas inferorum. *Coll. Embd.* 3. Dum Christum Deo Patri omnes omninò homines sine discrimine reconciliasse contendunt, & aliud *acquisitionis, applicationis* salutis objectum aliud constituunt, illud latius, istud strictius. *Coll. Francoth. Conf. Mennon. Iac. Outerm. Claes Claess.*

XLIV. Quoad *officium* Christi *Regium* etiam peccant, I. Dum carnale à Christo Regnum in terris ante decretorium judicij diem egrediendum somniant. *Monast. lib. de Myst. Script. & Lib. Restit.* II. Dum potentem Christi virtutem negant quâ suos in partâ illis semel salute, & mediis ad eam ducentibus constanter servat. *Conf. Mennon. Claes Claess. Epist.*

XLVI. Circa *statum* quin etiam *geminum* Christi peccant. I. Quoad *statum exinanitionis*; Dum docent, Christum non occultasse in exinanitione suâ, sed verè se abdicasse gloriâ suâ divinâ. *Conf. Menn. Iac. Outerm. Apol.* II. Quoad *statum exaltationis*. 1. Dum negant, Christum seipsum excitasse ex mortuis, sed tantùm excitatum fuisse à Deo Patre. *Cuyp. Apol.* 2. Dum docent, Christum in ascensione suâ, non occultatam ante naturæ divinæ gloriam denuò manifestasse, sed per eam revera amissam ante gloriam divinam, & similitudinen cum Patre denuò plenè recuperasse. *Conf. Mennon. Iac. Outerm. Apol.*

XLVII. Circa *Hominem* etiam, & *quadruplicem* ejus, secundùm diversos *status* considerati, œconomiam multimodis peccatur ab Anabaptistis. I. Quoad *statum institutum*. 1. Dum negant primi hominis *sanctitatem*, eum nimirum justitiâ & sanctitate originali instructum à Deo conditum fuisse, sed in tali tantùm dispositione, in quâ utramque per vitam sanctam assequi posset. *Brev. Inform.* 2. Dum negant, primi hominis *immortalitatem*, & aliqui ex illis volunt, eum nec mortalem conditum fuisse, nec immortalem; Alii, eum ex se & naturâ suâ mortalem conditum fuisse, immò certò moriturum, etiam absque peccato fuisset, & mortem necessariam ei futuram fuisse, ut transferri posset in gloriam. *Ant. & Corn. Iacobi contr. Pupp.*

XLVIII. II. Quoad *statum destitutum* peccant. 1. Dum tollunt peccatum originis, negando omnes homines per unius inobedientiam peccatores, filios iræ, ac morti obnoxios factos fuisse. Etsi *aliqui* ex illis id non absolutè negare videantur. *Coll. Franc. Conf. Mennon. Ioh. de Ries Conf.* 2. Dum alii pladè negant, dari in infantibus inclinationem & proclivitatem ad malum, immò eos in eodem statu creari volunt, in quo primò conditus fuit Adamus. *Alii* fatentur, dari in infantibus inclinationem aliquam ad malum, sed eam negant ex originali aliquâ corruptione profluere, verùm homines actu tantùm Sathanæ, & pravis exemplis, ad peccata actualia pellici, inclinationem verò ipsam ad peccandum ita naturæ insitam esse, ut tamen nec peccatis accenseri debeat, nec damnationi ex se obnoxia sit, sed actualia tantùm & voluntaria peccata. *Conf. Mennon. Brev. Inform. Claes Claess. Conf.* 3. Dum Libero Arbitrio in statu peccati libertatem ad bonum & malum, & vires sufficientes ad boni intellectionem, volitionem & operationem, adeòque ad conversionem adscribunt. *Coll. Embd. & Leov. Conf. Mennon. Iac. Outerm. Apol.*

XLIX. Quoad *statum restitutum* peccant. 1. Dum docent, omnes omnino homines, sine discrimine, sive Iudæos, sive Gentiles, sive fideles & salvandos, sive infideles & damnandos per mortem Christi promiscuè Deo conciliatos & in statum gratiæ restitutos fuisse. *Coll. Franc. & Embd. & Conf. Mennon.* 2. Dum negant, inter Iudæos & Gentiles in Veteri Testamento discrimen ullum fuisse, nisi quoad ceremonias legis, & quoad externam & corporalem puritatem vel impuritatem. *Apol. Necess.* 3. Dum corrumpunt beneficium *Iustificationis*, partim *antecedenter*, partim *formaliter*, partim *objectivè* consideratum. *Antecedenter* quidem, quatenus

præpara-

præparationes homini velut ab homine proficiſcentes ad ſui juſtificationem adſcribunt, auditionem nimirum vocis filii Dei, deſiderium & petitionem gratiæ, famem & ſitim ſpiritualem. Et quatenus docent, cooperationem iſtam neceſſariam eſſe, ut homo oblatæ juſtificationis particeps fieri poſſit *Claes Claeſſ. Conf.* *Formaliter* verò, dum docent Deum nos juſtificare per opus fidei & obedientiæ mandatis Chriſti exhibitæ. *Iohan. Pet. vander Meulen Inſt. Chriſt. Claes Claeſſ. Conf.* *Objectivè* etiam doctrinam de juſtificatione corrumpunt, dum docent omnes omninò homines per juſtitiam & obedientiam Chriſti juſtificari. *Colloqu. Embd. Iac. Outerm. Apol. Neceſſ.* 4. Dum corrumpunt beneficium *ſanctificationis*, partim *antecedenter*, docendo, Deum regenerationem in nobis non operari ſine noſtra cooperatione. *Apol. Fund. Iac. Outerm. Dem.* partim *formaliter*, dum regenerationis perfectionem viatoribus hac in vitâ adſcribunt, adeò ut à peccato omni immunes eſſe poſſint. *Inform. Brev.* partim *conſequenter*, dum beneficium ſanctificationis omninò à Dei filiis excuti, & amitti poſſe docent, adeoque univocè tales, quandoque totaliter & finaliter deficere, & æternam damnationem incurrere. Id enim patere ex hortationibus ad perſeverantiam, ex ſolicitudine regenitis incumbente, & ex exemplis *Confeſſ. Mennon. Confeſſ. Cl. Claeſſ.* 5. Dum circa *fidem* errant, partim *Originaliter*, negando, Deum ſolum eam in nobis & ſine noſtrâ cooperatione operari, ſed fidem & Dei & hominis opus eſſe. *Iac. Outerm. Demonſt. Claes Claeſſ. Confeſſ.* partim *Formaliter*, dum negant, fidem eſſe fiduciam de remiſsione peccatorum ex Dei gratiâ propter Chriſtum, ſed eam cum obedientiâ mandatorum confundunt, docendo, fidem confiſtere partim in fugâ mali, partim in operatione boni *Iohan. Petr. vander Meulen Præfat. in Inſtruct. Chriſt Tract. de 7. Artic. à Men. non. confirm.*

L. IV. Quoad *ſtatum præſtitutum* etiam peccant Anabaptiſtæ. 1. Dum *quoad locum* animarum docent, animas filiorum Dei corpore ſolutas non recipi in cœlum ante decretorium judicii diem, ſed in receptaculis incognitis, & in S. Scripturâ non expreſsis euſque detineri. *Conf. Mennon. & Cl. Claeſſ.* 2. Dum *quoad ſtatum* eorundem docent, animas filiorum Dei viſione Dei carere, immò cum corporibus dormire, uſque ad ultimum judicium, vel ſaltem, dormientium inſtar, omni *cognitione* tum *intellectivâ*, tum *ſenſitivâ* privari. 3. Dum negant, animas impiorum ab obitu earum ad inferos detrudi, & ibidem antè ultimum illum *διαχωρισμοῦ* diem ſcelerum ſuorum pœnas dare; immò nec dare poſſe. *Coll. Embd. Conf Mennon. & Claes Claeſſ.* 4. Dum non tantùm eorundem, quæ cecidêre, corporum reſurrectionem negant; verùm etiam ea in ſpiritus convertenda contendunt, & mortuos reſurrecturos pedibus, manibus, carne & oſsibus inſtructos negant, eò quod caro & ſangnis non poſsit hæreditariò poſsidere regnum Dei. *Coll. Franc.*

L I. Vt verò circa *credenda* graves errores errant Anabaptiſtæ, ſic non parum etiam peccant circa *facienda*, ſive *totum* Eccleſiæ *corpus* ſpectemus *communiter*, ſive *membra* ejus *ſingulariter*, eaque vel *publica*, qualia tum *politica*, ut Magiſtratus, tum *Eccleſiaſtica*, ut Paſtores, vel *privata*, quales fideles ſin-

singuli Christianam veritatem in Ecclesiâ Dei profitentur.

LII. Ad *totum* Ecclesiæ *corpus communiter* spectatum quod attinet, errant Anabaptistæ I. Dum ab Ecclesiâ eos excludendos censent, qui non sunt perfecti, supponendo Ecclesiam ex solis perfectis constare, & ex iis tantùm æstimandam esse. *Cl. Claeß. Conf. Men. Sutum.* 2. Dum Sacramenta quidem administrari à Pastoribus, & recipi a Christianis volunt, sed doceri volunt, ea nuda tantùm passionis Christi signa esse. & tesseras Christianorum, non verò sigilla nostræ cum Christo communioni. *Coll. Leov. Men. Sim. lib. de Fund. Theod. Phil.* 3. Dum negant, infantes fidelium, vel admitti, vel haberi debere pro membris Ecclesiæ. *Coll. Franc. & Embd.* 4. Dum nec Pædobaptismum à Pastoribus administrandum, nec infantes ei offerendos volunt, immò docent, eum Baptismi abusum & abominationem coram Deo esse. *Coll. Franc. Embd. & Leov. Mennon. Sim. lib. de Fund. Conf. Mennon Theod. Phil. in Enchir.* 5. Dum docent, Baptismum infantibus collatum à Pastoribus reiterandum, & a baptizatis denuò admittendum; immò expetendum esse, eos etiam rebaptizandos esse, qui in aliis Ecclesiis Christianis baptizati fuêre, ita ut suarum etiam partium homines denuò tingi velint, si ex una Secta se proripiant ad aliam. *Coll. Embd. Mennon. Sim. in Summ. Theod. Phil. in Enchir.* 6. Dum docent, S. Cœnam non nisi puris & perfectis institutam, nec nisi talibus administrandam, nec nisi à talibus petendam. *Ioh. Pet. vander. Meulen Inst. Christ.* 7. Dum preces publicas clarâ voce factas damnant, nec Psalmos omnes canendos in publicis cœtibus censent. *Franc. Kruyt. Praef Claes Claeß. Ep. Dem.* 8. Dum disciplinam Ecclesiasticam ab omnibus Ecclesiæ membris in peccantes promiscue exerceri volunt, & quidem nec monitione conveniente præmissâ, nec habitâ ratione subsequentis eorum pœnitentiæ. *Coll. Embd. & Leov. Conf. Mennon.*, 9. Dum excommunicatione in peccatores aliquos strictâ abrumpenda esse docent jura omnia & officia, tum *naturalia*, tum *civilia*; nec cum excommunicatis ullâ ratione *activè* vel *passive* communicandum esse, ita ut divortium etiam intercedere debeat eâ de causâ inter parentes & liberos, maritum & uxorem, fratres & sorores, Dominos & servos. *Coll. Embd. Conf. Men. Iac. Outerm. Apol.* 10. Dum imparibus connubiis cum infidelibus illigatos perpetuâ excommunicatione, non obstante eorum pœnitentiâ, ab Ecclesiâ excludendos docent, donec vel conversio partis infidelis interveniat, vel mors. *Coll. Embd.* 11. Dum juramenta nec exigi, nec præstari sub Novo Testamento debere censent. *Coll. Franc. Leov. & Embd. & Conf. Mennon.*

LIII. Ad *membra* Ecclesiæ *sigillatim* quod attinet, errant Anabaptistæ, & circa ea, quæ *publica* sunt, sive *Politica*, sive *Ecclesiastica*, & circa ea, quæ sunt *privata*. I. Quoad Personas *publicas Politicas* errant. 1. Dum docent, neminem sub Novo Testamento, conscientiâ illæsâ, munere Magistratus fungi posse, & ista incompatibilia esse, Magistratum exercere, & membrum esse veræ Ecclesiæ. *Coll. Franc, & Embd Conf. Mennon. & Cl. Claeß.* 2. Dum negant, Magistratus officium se extendere ad utramque tabulam legis. *Coll. Embd, Confess. Men.* 3. Dum negant Magistratui sub

Novo

Novo Testamento licere bellum indicere, vel gerere. *Cl. Claesſ. Conf. Dordr. Conſ.* 4. Dum negant, Magiſtratui licere in ullum capitis pœnam ſtatuere. Vt enim ſub Vet. Teſtamento locum habuerint pœnæ Politicæ, ſine diſciplina Eccleſiaſticâ, ſic in Novo Teſtamento diſciplinæ Eccleſiaſticæ, locum eſſe, non verò pœnis politicis, unum enim duntaxat regimen ſub utroque locum habuere. *Ioh. Pet. vander Meulen in Decl.* Minus pœnæ capitis locum eſſe, nec erga reum reſipiſcentem, quum is in gratiam debeat recipi, nec erga impœnitentem, ne animæ ipſius jactura fiat. *Men. Sim. Coll. VVism. cum Mibr.*

LIV. II. Quoad *perſonas* publicas *Eccleſiaſticas* errant Anabaptiſtæ. 1. Dum docent, Miniſtros verbi non ex Scholis & Academiis, artium & diſciplinarum ſtudiis inutritos, educendos. *Coll. Embd. Confeſſ. Mennon.* 2. Dum electionem & vocationem Miniſtrorum verbi penes omnia & ſingula Eccleſiæ membra, ſine exceptione eſſe volunt *Coll. Embd.* 3. Dum æqualitatem functionum æquè ac authoritatis Paſtoralis tollunt, & Epiſcopos â Paſtoribus vel Doctoribus ita diſtingui volunt, ut illis plurium Eccleſiarum, & Provinciæ integræ, iſtis verò unius duntaxat inſtitutio aſsignari debeat, iſtis docendi tantùm, illis & docendi & Sacramenta adminiſtrandi poteſtas competat. *Coll. Embd. Menno. Sim. Cont. Micr.* 4. Dum negant, Miniſtros Verbi annuum & ſtatum ſalarium admittere poſſe, ſed tantum ſymbolum in neceſſarios uſus, pro re natâ. *Claes Chaeſſ. Confeſ. Coll. Embd.* 5. Dum vim verbi Dei & Sacramentorum ſuſpendunt à dignitate Miniſtrorum. *Coll. Embd.*

LV. Quoad *ſingula* Eccleſiæ *membra privata* errant Anabaptiſtæ, dum docent 1. Illicitum eſſe ſub Novo Teſtamento alios in jus vocare, & litigare coram Magiſtratu. *Coll. Emb. Cl. Claeſſ.* 2. Illicitum eſſe ſub eodem *arma* ferre ſive *defenſiva* in excubiis, ſive *offenſiva* in bello, & illi operam ſuam addicere vel cōmmodare. *Coll. Leov. & Embd.*

LVI. Et hæc quidem dogmata omnia à nobis recenſita ſunt Anabaptiſtarum, quædam *omnium*, quædam *plurium*, quædam *aliquorum*, quæ omnia non tantùm à Dei verbo aliena eſſe cenſemus, ſed in Dei majeſtatem, & revelatam ejus de fide vitaque noſtrâ voluntatem graviſsimè peccare. Immò inter quæ multa exitialia ſunt, & viam ad ſalutem omninò intercludunt illis, qui ea amplectuntur, iiſque ad finem uſque hærent. Vnde, quamvis Anabaptiſtæ ea, quæ ad ſecundam legis tabulam attinent, vel quæ proximo debentur charitatis & juſtitiæ civilis & externæ munia ſerio obire, præ aliis etiam puriori Religioni addictis, videantur, quia tamen circa primam potiſsimum legis tabulam graviſsimè impingunt, eos non tantum *præter* vel *circa fundamentum* peccare, ſed errores ipſum *fundamentum* ſalutis *evertentes* errare cenſemus, & dolemus ex animo, viris multis bonis in ſpeciem, & vitæ honeſtæ ac compoſitæ ſtudioſis, externâ quadam ſanctitatis, charitatis & modeſtiæ larvâ imponi, ut & viam ad exitium ducentem inſiſtant, & damnatas in Eccleſiâ etiam veteri Hæreſes novo paxillo ſuſpendant. Quod ne per convitium illis impactum videatur, utrumque compendio demonſtratum ibimus.

LVII. *Fundamentum* salutis ab iis, qui dogmata supra commemorata profitentur, everti ex his liquet. I. Quia eos, *qui salvandi* sunt abducunt à cognitione sui. II. Quia eos abducunt à cognitione Mediatoris, *per quem salvandi* sunt. III. Quia eos abducunt à cognitione Dei, *à quo salvandi*, & *ad quem* adducendi sunt.

LVIII. *Primum caput* ex eo liquet, quia hominem privant verâ cognitione & *primi status* sui, in quo creatus fuit, & *secundi* in quem se præcipitem per peccatum dedit, & *tertii* in quem restitutus est. *Primi* quidem *status* sui cognitione hominem privant, dum nolunt ipsum agnoscere beneficium quod à creatore suo accepit sive *virtutis*, hoc est, sanctitatis, sive *felicitatis* eam consequentis, hoc est, immortalitatis. *Secundi status* etiam cognitionem illi subducunt, dum & *corruptionem* homini *inhærentem* ab origine vel negant, vel extenuant, & *reatum* ei *adhærentem* tollunt adeoque participationem peccati primi impugnant. *Tertii status* etiam cognitionem homini intercludunt, beneficium restitutionis inter illum & Deum partiendo, immò potissimam instaurationis suę partem homini transcribendo, & salutem ejus superstruendo prævisioni cooperationis bonæ inchoatæ simul ac continuatæ ad finem, immò obedientiam hominis pro acceptatione obedientiæ Servatoris sui substituendo. Vnde homo istâ Theologiâ imbutus, nec scire potest, quantum sit *natura bonum*, quod à Deo primitus accepit, nec quantum sit *malum ethicum* simul & *physicum* quod sibi attraxit, nec quantum vel quale etiam sit *gratia beneficium*, quod sibi divinitus obtigit, adeoque nec se depressum pro merito, nec Deum pro merito exaltatum ire potest.

LIX. *Secundum caput* ex eo liquet, quia & in *personam* Mediatoris invadunt, & in ejus *officium*, & in ejusdem *beneficia*. In *Personam* quidem Mediatoris, dum & *divinam* ejus *naturam* reverâ tollunt, eam in naturam passibilem & mortalem convertendo, & *humanam* nostræ similem, dum eam ejusdem nobiscum originis & substantiæ negant. *Officium* quin etiam ejusdem corrumpunt, dum ea attributa *Muneri* Christi *Prophetico* negant, quæ ei debentur, & ea illi adscribunt, quæ ei non debentur, ut ex erroribus supra recensitis patet. Sic *officium* Christi *Sacerdotale* corrumpunt, & quoad actum ἱλασμοῦ, siue *intensivè*, sive *extensivè* consideratum: *Intensivè* veram ejus passionem eo ipso negando, quod eam in naturâ divinâ exantlatam contendunt. *Extensivè*, eam ad innumeros inutiliter & nequicquam extendendo. *Beneficia* quoque Christi corrumpunt, tum *iustificationis*, tum *sanctificationis*, ut ex supradictis liquet.

LX. *Tertium caput* ex eo evidens est, quia verum Deum in idolum convertunt, I. *Naturam* ejus evertendo, & pro una tres essentias divinas locorum etiam intervallis à se inuicem dissitas confingendo. 2. *Proprietates* ejus tollendo, partim *infinitatem* ejus negando, partim *immutabilitatem*. *Infinitatem* quidem, non essentiæ, sed virtutis tantùm omni præsentiam ei relinquendo: *Immutabilitatem* verò, ut ex doctrinâ eorum de incarnatione & passione Christi patet. 3. *Operationes* ejus, ut *providentiam* Dei restringendo & circumcidendo, dum docent, nec omnia à Deo actu

regi,

regi, nec providentiam Dei in malis intercedere, nec hominem ita eâ constringi, quin ei contraire, & ab eâ recedere possit. Ex his patet Anabaptistas, & alium Deum annuntiare & alium Christum, adeoque aliud Euangelium, & fundamentum aliud ponere, præter id quod positum est.

LXI. *Hæresis* quin etiam jam olim in Veteri Ecclesiâ damnatas, & multas quidem ab iis recoqui, & recoctas Ecclesiæ Christianæ reponi demonstratum ibimus. 1. Cum *Manichæis* in Vetus Testamentum invehuntur, id abrogatum volunt, & contraria in Veteri & Novo tradi contendunt, *Epiph.* in Panar. Hær. LXVI. ubi notat, Manichæos comparasse Legem & Prophetas δένδρεσιν ἐξηραμμένοις καὶ γεγηρακόσι. Quantus iste error sit, docet *Epiph.* Hær. LXX. egregiè, τὴν παλαιὰν διαθήκην, inquit, ἐκβάλλοντες ἐκ τοῦ σώματος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. 2. Cum *Audianis* & *Anthropomorphitis* literæ S. Script. tantùm hæreri volunt. *Epiph.* Hær. LXX. 3. Cum *Tritheitis* multiplicant essentiam divinam. *Niceph.* Lib. XVIII. Hist. Eccles. cap. XLIX. 4. Cum *Samosatenianis*, *Photinianis*, *Arianis* in æternam Deitatem Filii Dei invadunt, dum loca, quæ de unitate personarum S. Trinitatis essentiali docentur, referunt ad unitatem voluntatis, non essentiæ, prout & illi contendebant, talia intelligenda esse. περὶ ὁμουσίας, οὐ περὶ ταυτότητος, vel κατ' ὁμουσίαν, οὐ κατ' ἰσότητα. Cum *Arianis* etiam voces ὁμουσίας, & ὁμοιότητος ut ἀγράφους explodunt. *Epiph.* Hæres. LXIX. quæ & Semi-Arianis suspectæ fuêre. Hæres. LXXIII. Cum iisdem Patri soli nomen veri Dei adscribi contendunt, & ex eo, quod Christus Deum Patrem suum Deum fateatur, concludunt, eum non esse æqualem Deo, quod ab Arianis etiam factum docet *Epiphan.* Hæres. LXIX. Vide etiam *Augustinum* contra *Maximinum* & *Felicianum* Arianos, Tomo VI. Cum iisdem in dubium vocant æternam Filii Dei generationem à Patre, nec cogitant, quod piè ibidem notat *Epiph* Deum genuisse filium ἀῤῥήτως, καὶ ἀκαταλήπτως, καὶ ἀχρόνως. 5. Cum *Nestorianis* & *Sabellianis* Personarum distinctionem vel negant, vel dubiam saltem faciunt. *Epiphan.* Hæres. LVII. & LXII. Quibus *Epiphanius* fidem Veteris Ecclesiæ opponit, οὐ Πολυθεΐαν, inquit, εἰσηγούμεθα, ἀνὰ μοναρχίαν κηρύττομεν, μοναρχίαν δὲ κηρύττοντες οὐ σφαλλόμεθα, ἀλλὰ ὁμολογοῦμεν τὴν Τριάδα, Μονάδα ἐν Τριάδι, καὶ Τριάδα ἐν Μονάδι μίαν θεότητα πατρὸς υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. 6. Cum *Paganis* & *Manichæis* Deum certo loco circumscribunt, & essentiæ divinæ infinitatem negant, eam cœlo includendo, vel infra id definiendo, *Damasc. Dial. de Hær. Manich.* 7. Cum *Sabellianis* & *Patripassianis* & Hæreticis aliis Deum ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον mutabilem faciunt & passibilem. *Philastr.* l. de Hær. & *Rufin. in expos. Symb. Apost.* quæ in *Oper. Cypr.* Sic cum *Tropitis* verbum fingunt conversum in carnem. *Philastr.* 8. Cum *Audianis* & *Anthropomorphitis* Dei invisibilitatem impugnant. *Epiph.* Aud. Hær. LXX. 9. Cum *Carpocratianis*, *Apellejanis*, *Valentinianis*, *Apollinaristis* & *Prodianitis* negant carnem Christi fuisse derivatam ex substantiâ Mariæ *Philastr.* & *Epiph.* Hær. XLIV. 10. Cum *Apollinaristis* & *Dimœritis* statuunt, Christum verè gloriam suam divinam deseruisse. *Epiph.* Hær. LXVII. & LXIX. Item, ὅτι ὁ λόγος εἰς σάρκα καὶ ὀστᾶ καὶ τρίχας καὶ ὅλον σῶμα μεταβέβληται, καὶ ἠλλάγη τῆς ἰδίας φύσεως. *Epiph.* Hær.

LXXVII. 11. Cum iisdem docent, Christum ... Sozom. lib. VI. c. XXVI. Niceph. lib. XII. cap. IV. & ... fuisse substantiam ipsam naturæ totius opificem. Talia verò profitentes Christianos censendos esse negat apud Epiphan Hær. LXVII. Athanasius Epist. ad Epictetum Corinth. Episcopum. 12. Cum Anastasianis & Nestorianis impugnant unionem personalem. Socr. lib. VII. hist. Eccl. c. XXXII. & Evagrius lib. VI, cap. II. 13. Cum Eutychianis negant distinctionem in Christo, sive naturarum duarum, sive proprietatum essentialium, & ... carnis Christi cum nostrâ. Evagr. lib. I. cap. IX. Niceph. lib. IV. cap. XII. 14. Cum Apollinaristis & aliis quibusdam Hæreticis negant animam humanam verè fuisse à Christo assumptam. Philastr. lib. de Hær. Nic. lib. XII. c. IV. 15. Cum Marcionitis, negant Christum animâ suâ sensisse iram Dei Tert. cont. Marc. Ign. Epist. ad Trall. 16. Cum Marcionitis & Manichæis Novum Testamentum à Christo demum publicatum contendunt, & diversa esse, immò contraria utriusque præcepta. Epiph. Hær. LXVI. Epiphanius contra docet ibidem esse μίαν & τὴν αὐτὴν συμφωνίαν. 17. Cum Iudæis, Cerinthianis & Chiliastis hæreticis veteribus terrenum Christi Regnum, & Ecclesiam fingunt sine calamitate. Iustin. in Dial. cum Tryph. Iud. & Euseb. lib. III. c. XXXIII. & Hieron. in cap. VII. Dan. 18. Cum Samosatenianis & Photinianis resuscitationem Christi soli Patris virtuti transcribunt. Epiph. Hær. LXV. & LXXI. 19. Cum Apellejanis & Origenianis de resurrectione ambiguè loquuntur. Epiph. Hæres. XLIV. & LXIV. 20. Cum Catharis, Novatianis & Donatistis Ecclesiam ex solis perfectis constituunt, & disciplinæ Ecclesiasticæ exercitium nimiâ severitate erga lapsos corrumpunt. Epiph. Hær. LIX. 21. Cum Manichæis Sacramenta in nudas tesseras convertunt, eorumque necessitatem elevant. Epiph. Hær. LXVI. 22. Cum Donatistis dignitatem Sacramentorum à sanctitate Ministrorum ea administrantium suspendunt. Aug. Tom. VII. Cont. Crescent. & Gaudent. item Cont. Lit. Petil. & in Epistolis passim. 23. Cum iisdem, Parmenianis, Mar[illegible], Eunomianis, Montanistis, & Hæreticis quibusdam aliis, Baptismum extra suos cœtus collatum, iterant. Ibid. & Epiph. Hæres. XLII. & Expos. Cath. Fid. Tom. I. Sozom. Hist. Eccl. lib. VI. cap. XXVI. & Philastr. lib. de Hær. 24. Cum Donatistis, Eunomianis & Hæreticis aliis Pædobaptismum damnant. Aug. lib. VI. Cont. Donat. capp. XXI[illegible] I. XXIV, XXV. & Conc. Milevit. Can. II. 25. Cum Catharis & Donatistis S. Cœnam non nisi puris & perfectis administrari volunt. Epiph. Hær. LIX. 26. Cum Nicolaitis, Basilidianis & Carpocratianis utramque communionem uxorum & bonorum quidam ex Anabaptistis, alii posteriorem solùm tradidere. Epiph. Hær. XXIV. & XXVII. 27. Cum illis de quibus Iudas versu 8. & aliis Antitacticis potestates contumeliose habent. 28. Cum Cataphrygibus & Gnosticis Prophetas, visiones & somnia iactant. Philastr. lib. de Hær. 29. Cum Pelagianis, Semi-Pelagianis, Socinianis, Pontificiis, Arminianis, plerosque reliquos errores errant circa triplicem hominis statum, institutum, destitutum & restitutum, & tum originalis iustitiæ bonum, tum corruptionis labem, tum instaurationis gratiam, tum beneficia eam consequentia vel extenuant, vel pervertunt, ut ex collatione articulorum

supra

ſupra commemoratorum cum Hæreticorum reliquorum doctrinâ demonſtrari poteſt.

LXII. Patet quin etiam, id humani generis hoſtem *Anabaptiſmo* molitum fuiſſe, ut *Politico* ſimul ac *Eccleſiaſtico* ordine vel euerſo, vel conturbato ſaltem & proſtituto, Rerumpublicarum & Eccleſiarum Chriſtianarum εὐταξία cõcideret. Hinc *Eccleſiaſtici* ordinis authoritas labefactata fuit, Enthuſiaſtarum ſomnia ſua venditantium licentiâ, & electione ſacris operantium transſcriptâ promiſcuæ multitudini, clauibus etiam ſacris, quæ ab *Eccleſiâ repræſentativâ* geri debent, omnium arbitrio expoſitis, & ſic ἀναρχία quædam introducta in Dei domum, & ἀταξία intoleranda. Quot verò & quàm funeſtis motibus concuſſæ fuerint Reſpublicæ, ex quo hoc doctrinæ genus ſpargi, & ad praxin revocari cœpit, Germaniæ utriuſque Superioris ſimul & inferioris Annales teſtantur, qui non niſi multo ſanguine vel extingui, vel componi potuêre. Quantum etiam authoritati *Magiſtratûs* decedat, & quantopere ejus dignitati intercedant Anabaptiſtæ, patet tum ex *dogmatibus* illorum, tum ex *praxi Muntzerianorum, Monaſterienſium*, & aliorum id genus. Et qui Magiſtratui ſuum poteſt conſtare decus, honos ſuus apud plebem Chriſtianam? ubi illa Aphoriſmos iſtos cum animo expendit ſuo. *Non poſſe eſſe membrum Eccleſiæ Apoſtolicæ, qui Magiſtratu fungitur. Coll. Franc. Chriſtum interdixiſſe ſuis omnem gubernationem Politicam. In Novo Teſtamento non haberi locum officium Magiſtratus. Cl. Claeſſ. Conf. Mennon. Dubium eſſe an fungentes Magiſtratu ſalvari poſſint. Coll. Emb. Ad juramentum in præſtandum Magiſtratui non obligari Chriſtianos. Coll. Embd. ut nec ad arma geſtanda, vel ad excubias agendas ingruente hoſte ibid.* Quod quàm periculoſum ſit & Rebuſpublicis exitioſum, demonſtratione opus non habet: nec enim ulla ratio potentior hoſtili tyrannidi publicam rem privatamq; objiciendi & omnia peſſundandi, quàm ubi faſcinum iſtud, Religionis & pietatis ſpecie fucatum, animos hominum dementat, & hoſti Patriam invadendi reſiſtere non inter adiaphora, verùm etiam inter illicita cenſetur. Quod ipſum, ne obſoletum jam & antiquatum dogma videri poſſit, novo exemplo, & illuſtri quidem, confirmatum fuit non ita pridem ab Anabaptiſtis, qui in agro Tigurino receptum retrò habuêre. Cùm enim ante paucos annos, Bello & Germanico & Rhetico flagrante, diſcrimen non leve videretur imminere Orthodoxæ Helvetiæ, territorio vel inprimis Tigurinæ Reipublicæ, Ampliſſimo ejus Magiſtratui viſum fuit, conſueta genti illi armiluſtria inſtituere. Ad exercitia iſta vocati Anabaptiſtæ non tantùm imperium iſtud detrectare cœpêre, verùm etiam aliis inculcare; *Bella pœnæ loco à Deo irato immitti. Non armis ſed morum emendatione defendi Imperium. Homini Chriſtiano fas non eſſe geſtare arma, nec armatâ manu tutari Patriam.* Quâ quidem Theologiâ, & aliis id genus documentis imbuti aliqui, patriam, conjuges, liberos, fortunas, omnia ſibi deſerenda potiùs exiſtimarunt, quàm iuſtiſſimis armis propulſandum à Patriæ finibus hoſtem. Pientiſſimus Senatus Tigurinus in hominibus illis edocendis, & ad officium revocandis, excuſſis & confutatis prolixè omnibus, quibus ſe angi teſtabantur, ſcrupulis, nihil fecit reliqui. Delegati ex utroque ordine

Politici ſimul & Eccleſiaſtici Viri, prudentia & rerum uſu præſtantes, cum illis congrediuntur, & ſeriò cavent ne quid ſibi excideret, quod in calumniæ argumentum, & violentioris proceſſus ſpeciem verti poſſet. Tantum verò abeſt ut ab aſſertionibus ſupradictis diſcederent, ut etiam interrogati, num is qui magiſtratu fungitur, & in ejuſmodi officio credit vivitq; ut Chriſtianum decet, ſalvari poſsit, aſſenſum ſuſtinerent. Proponuntur illis conditiones mitiſsimæ: *Eos immunes fore à conſuetâ juriſjurandi formulâ, & Magiſtratum ſimplici eorum aſſertione in fide obſtringenda contentum fore. Liberos eos ab armorum uſu futuros, modò precibus, votis, aliiſque piis rationibus Patriam communem juvent. Concionum quidem ſacrarum audiendarum legem illis imponi, hac tamen conditione, ut liceat illis liberrimè diſſenſum ſuum teſtari ſive apud Paſtores, ſive apud viros Eccleſiaſticos alios. De reliquo, de benevolentiâ Magiſtratus, ejuſque patrocinio ſibi omnia polliceantur officia.* Quum ne iſta quidem Senatus Tigurini lenitas pervicacium iſtorum hominum animos vel expugnare poſſet vel mitigare, rogantur, ut aliò migrent ſponte ſuâ, ne illorum ſive doctrinâ, ſive exemplo Patriæ ſalus in diſcrimen adduceretur; poteſtate etiam illis factâ, ea ſecum auferendi, quæ ad ſuſtentationem ſingulorum neceſſaria forent. Sin tamen ſive uxores, ſive liberi aliquorum ab erroribus iſtis immunes nollent è Patriâ communi migrare, æqua facultatum portio in eorum gratiam adminiſtrationi civium aliquorum relinqueretur, quos vel ipſi Anabaptiſtæ deſignarent, vel Magiſtratus fidos cenſeret, ne aliquorum diſceſſus vel ſuis fraudi, vel Reipublicæ gravis foret. Bonâ fide ſingula adminiſtratum, immò Poſſeſſoribus reſtitutum iri, ſi quidem ad ſaniorem mentem redirent. Quum iſtud etiam nequicquam proponeretur hominibus præfractis, damnantur ad ſarciendas expenſas publicas illorum cauſâ factas, & mulctæ quædam pecuniariæ illis irrogantur, quamvis exiguæ, & tolerabiles admodum. Sed & hac Magiſtratus lenitate immane quantum abuti cœpêre, detrectare obſequium, Magiſtratum tyrannidis arceſſere, calumniis & conviciis rem agere. Tandem, expugnatâ Senatus patientiâ, ne pervicacia iſta in licentiæ & perduellionis exemplum verteretur, decretum Senatus conſulto, bona obſtinatorum hominum in fiſcum publicum redactum iri. Quod quidem non fremitus tantùm illis expreſsit, & quiritationes, verùm etiam multis ex illis animum addidit ad tranquillitatem publicam ſolicitandam, & turbas per nocturna conventicula ciendas, immò eo impietatis progreſſa eſt hominum iſtorum pervicacia, ut conceptis precibus Deum poſtularent, ut peſte, fame, aliiſque calamitatibus Epidemicis, iſtam, quam iniquiſsimè ita criminabantur, Magiſtratus rabiem compeſceret. Quæ quidem in malo obſtinatio Magiſtratum invitum etiam eo adegit, ut aliquot ex perduellibus iſtis inſolentius ferocientes in Curiâ, ſub liberali tamen cuſtodiâ, attineret. Qua occaſione & à primariis è Senatorio ordine Viris, & à fidis Dei ſervis, viris eruditis & gravibus aliquoties compellati fuêre, & paterne moniti, ut feroces illos Spiritus deponerent, & de ſuâ Patriæq; ſalute ſeriò cogitarent, ſed nihil ab illis repoſitũ præter audaces & protervas

voces,

voces, & æquivocationum Cothurnos, immò eo clandestinis molitionib. processum, ut clauium adulterinarum usu se è Curiâ proriperent, & à Magistratus potestate vindicarent. Arctiori itaque custodiæ, liberali tamen, Cœnobio quippe spatioso & amœno, inclusi ad manuaria opera adhibentur, opulentiores sibi de victu prospicere jubentur, reliquis liberalitate Senatus prouidetur. Huius etiam custodiæ pertæsi, custodibus suis illicitis artibus somnum inducunt, murum perfodiunt, & circa mediam noctem feriæ primæ, post festum Paschatis Anno cIↃ IↃ cxxxvi. mæniorum etiam sanctitate violatâ, paucis exceptis dilabuntur. Et quamvis spes saltem esset, illos è Tigurino agro excessuros, reuertuntur tamen, & eâdem, qua ante, proteruiâ, tumultuantur. Nec tamen graviore adhuc pœnâ in illos animaduersum, quin potiùs Senatus hominum illorum improbitatem lenitate sua sibi expugnandam censuit, ita ut præter custodiam arctiorem nihil in illos grauiûs statueretur. Nec quicquam etiam hic reliqui factum à Verbi Ministris, & institutione, monitis, & obtestationibus id solicitè actum, vt vel ab erroribus suis & suâ pervicaciâ discederent, vel à Patriæ finibus aliò commigrarent. Illi nihil nisi libertatem urgere, & testari, fideles non debere causam dicere ex vinculis, nec ex iis fidei suæ rationem reddere. Et quamuis Colloquium viderentur postulare, tamen reverâ omnibus oblatis, quæ ad legitimam disceptationem opportuna esse possunt, tandem vota & spes omnium elusère, & effractâ eâ quâ attinebantur custodiâ, denuò se fugâ subduxêre, præter tres quatuorve, qui reliquos insequi non potuêre. Ex quibus duo inaudito se obstrinxêre voto, se nec manuariam operam ullâ in re præstituros, nec quicquam deinceps cibi vel potus admissuros. Et quod mirum videri possit, tanta unius ex illis fuit peruicacia, ut inediâ non emaciatus tantùm, sed confectus etiam contabuerit, quo exemplo territus alter sanius consilium admisit. Quæ animi obstinatio tantò dirior est, quod licuisset hominibus illis libertatem quâvis horâ à Magistratu solâ secessus è finibus agri Tigurini sponsione, vel redimere vel impetrare. Illi qui se extra Tigurinum territorium ex iis proripuêre, in finibus Patriæ diu stabulati, probris in mitissimum Magistratum congestis, eum apud exteros crudelitatis inauditæ arcessere, singulari ταυπεῖα, non sunt veriti, cum is tamen, quamuis delictorum grauissimorum reos primipilos ex iis peregisset, quæ quiuis cives alij publicè luissent, noluerit, ullum severitatis à se in isto hominum genere exemplum statui, ne id Sectæ potùis odio quàm Sectariorum flagitiis imputaretur. Quidam tamen ex hominibus illis ad Pontificios potiùs transire, & Idololatricis cœtibus se adjungere maluêre, quàm Orthodoxis accenseri. Quæ omnia fide publicâ descripta, & à nobis religiosè relata hîc inserenda censuimus, vt Anabaptisticus character, & Orthodoxi Magistratus Tigurini æquanimitas ergà seductores æque ac seductos inde patesceret. Integra huius dramatis Historia Venerandi & grauissimi cujusdam Theologi ad Rever. & Eximium quendam Ecclesiæ Gallicanæ Amstelodamensis Pastorem Epistolâ comprehensa habetur.

DISPVTATIONVM ANTI-ANABAPTISTICARVM

Secunda Κατασκευαστική,

DE VSV SCRIPTVRÆ VETERIS TESTAMENTI in Ecclesiâ Christianâ.

Thesis I.



RÆLIMINARI Disputatione *generali*, quæ compendium Theologiæ Anabaptisticæ habet, defuncti, accingimur, cum bono Deo, ad disputationes *speciales*, & ad examen singulorum capitum inter Orthodoxos & Anabaptistas controversorum. Ordiendum verò nobis, pro methodi nostræ instituto, ab iis quos Anabaptistæ *circa Canonem* sacrum errant erroribus, antequam ad ea, quæ *è Canone* ipso ab iis ducuntur sive *fidei dogmata*, sive *vitæ instituta* procedamus.

II. Quoad doctrinam *de Canone*, observatum Disputatione superiori, ab Anabaptistis peccari, 1. Ἐλλείψει. 2. Προσθέσει. 3. Ἀλλοιώσει. *Primum caput* in præsentiarum occupamus, receptam in Ecclesiis Orthodoxis circa hunc Articulum, secundùm Dei verbum, veritatem Disputationibus κατασκευαστικαῖς adstructuri, rejecto tum argumentorum, tum cavillorum Anabaptisticorum, sententiæ oppositæ in speciem faventium, examine in disputationes ἀνασκευαστικὰς sequentes.

III. In hoc verò argumento *tria* nobis exequenda, 1. *Status controversiæ* eruendus. 2. *Sententia orthodoxa argumentis* partim *inartificialibus*, partim *artificialibus*, iisq; tum *ostensivis* tum *apagogicis* adstruenda. 3. *Ἐνστάσεις* & *exceptiones*, quæ argumentis Orthodoxorum intercedere videntur, confutandæ.

IV. Ad *Statum controversiæ* ritè formandum, utriusque partis sententiæ è præcipuis Orthodoxorum & Anabaptistarum scriptis eruta Lectori proponenda, & ex earum inter se collatione de vero Controversiæ statu judicandum est.

V. Ecclesiæ Orthodoxæ circa hoc argumentum docent, V. Testamenti Scripturam ad Christianos æque pertinere ac libros Testamenti Novi, & ex utrisque tum *fidei dogmata*, tum *vitæ instituta* petenda simul ac probanda esse. Confessio *Helvetica*, Art. I. *Gallica*, Art. IV. & V. *Anglica*, Art. de *Vet. Testam. Scotica*, Art. XV. & XIX. *Belgica*, Art. IV. & XXV. *& Palatina Friderici III.* Electoris Palatini. Quibus accedunt Confessiones Euangelicæ aliæ, *Augustana*, Art. XXXI. *Saxonica*, Art. I. *VVirtenbergica*, in Præfat. & Artic. de Euang. Christi & de S. Script. & *Polonica*, Art. I.

VI. Ad Anabaptistas quod attinet, docent contrà *Mennonitæ* in Confessione sua Art. XI. *Omnes Christianos, quantum ad fidem attinet, debere se tantùm necessariò componere ad Euangelium Christi.* Sic in *Colloq. Francothal.* Act.1. §. 7. testantur Anabaptistæ, ore *Ioannis Bucholtii, se ea tantùm admittere ex Veteri Testamento, quæ probari possint doctrinæ Christi non esse contraria.* Sic in *Colloq. Leovvard.* Act. XXVIII. *Petrus van Ceulen* disertè *se contradicere* profitetur *Ruardi Acronii probationi, tam per Veteris quàm per Novi Testamenti scripta articulos præcipuos fidei Christianæ confirmari posse, & debere*, quamvis addat, *se ob id non rejicere Vet. Testamentum.* Sic *Ioh. de Ries* in Exhortatione sua Amsterodami Anno 1596. instituta, docet, *Legem & doctrinam Mosis Christianos jam non concernere, nec illis cum eâ quicquam esse negotii.* Immò *Theodorus Philippi*, in præfatione in Spiritualem Restitutionem, docet; *Ex V. Testamenti usu in probationibus sectas multas ortas, & falsos cultus varios institutos, & ex hoc fonte præcipuè fluxisse ceremonias idololatricas & pompam doctrinæ Anti-Christianæ, ut & dolendos abusus sectarum, &c.* Cum quibus & ὁμοψήφοις ex Anabaptistis hîc conflictamur, non cum iis qui saniorem super hoc argumento sententiam inter illos fovent.

VII. Ex sententiis istis oppositis liquet, 1. Καθ' ἄρσιν, Statum controversiæ propriè non esse hoc loco: An Christus legem in Veteri Testamento datam reformaverit sub œconomiâ Novi, perfectiorem substituendo, & promissis temporalibus promissa vitæ æternæ adjiciendo? Quæ Controversia pertinet ad Quæstiones concernentes Munus Christi Propheticum, & suo loco, faciente Deo, discutietur. 2. Κατὰ θέσιν, Statum Controversiæ esse hoc loco: An Veteris Testamenti Scriptura ad Christianos pertineat, & ex ea sive *fidei dogmata*, sive *vitæ instituta* peti debeant & probari? *Affirmativam* hîc tuentur Orthodoxi: *Negativam* Anabaptistæ.

VIII. Sententiæ Orthodoxæ fundamenta duûm generum constitui possunt. Quædam enim sunt, 1. *Inartificialia* sive *assumpta*. 2. Quædam *artificialia*, sive *insita*, eaque partim *ostensiva*, desumpta ex parte sive *subjecti*, sive *prædicati*, partim *apagogica* ducentia ad impossibile vel absurdum. Hâc disputatione, prolixitati vitandæ, argumenta *inartificialia* duntaxat tum propositum ibimus, tum vindicatum.

IX. Argumenta *inartificialia*, sive *assumpta* itidem in duas classes dividi possunt, quædam enim *divina* sunt, quædam *humana*; Quamvis divinis tantùm innitatur fides nostra, & humana non *ad normam fidei*, sed *ad probationem* duntaxat *consensus* cum Ecclesia Veteri pertineant. Ex divinis testimoniis, 1. Locus est Matthæi cap.5. vers. 17. 19. *Ne existimate, me venisse, ut dissolvam Legem aut Prophetas, non veni ut eam dissolvam, sed ut eam impleam. Quisquis igitur solverit unum ex præceptis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Nec legis ergo vel Prophetarum Scriptura à Christo abolita, nec ejus usus inter nos abolendus.

Except. Christum ipsum *solvisse*, hoc est, abrogasse, secundùm nos, legem & ἱερατικῶς in totum; & πολιτικῶς, secundùm id quod in ea *juris* erat *particularis & positivi*, lati Iudæis quà Iudæis, & ἠθικῶς tum respectu omnium,

omnium, quoad *justificationem*, tum respectu aliquorum, quoad *coactionem, rigorem & maledictionem.* Resp. 1. Συγχωρητικῶς, per *concessionem*, Christum sic abrogasse legem. 2. Ἀρνητικῶς, per *negationem*, ex eo sequi, Christum venisse καταλῦσαι legem & Prophetas. Hoc enim significat vel στρεβλῶσαι Scripturam illam, hoc est, *pervertere*, & sic solvere *ex parte* falsis interpretamentis, vel ἀκυρῶσαι & καταργῆσαι, hoc est, eam *evertere*, & sic solvere *in totum*, sive totali ejus abolitione, sive oppositarum Legum sanctione. Neutrum verò à Christo factum. Immò Lex & Prophetæ a Christo confirmata, tum in *suâ personâ*, partim *docendo*, partim *agendo*, partim *patiendo*, tum in *personâ suorum*, partim *mandato externo* quo Legis obsequium imperatum, partim *gratiâ internâ* quo ejus obsequium in suorum animis *inchoatum*. 3. Peccatur *paralogismo ex particularibus*, & *à dicto secundùm quid*, nec enim quod solutum vel abrogatum *secundùm aliqua*, id solutum vel abrogatum *secundùm omnia*, nec quod solutum vel abrogatum κατά τι, id solutum vel abrogatum ἁπλῶς. Quamvis itaque secundùm partes & respectus supra dictos abolita fuerit Lex, non abolita tamen est secundùm omnes, sed suos semper usus habet, ingentes quidem in Ecclesia Christiana, secundùm id enim *quod* in eâ & Prophetis *Euangelicum* est, fidei nostræ confirmandæ, secundùm id autem quod in lege morali vel Prophetis *legale est*, vitæ nostræ dirigendæ facit.

X. II. Locus extat Luc. 16.29. *Habent Mosen & Prophetas; audiant eos.* Moses ergo & Prophetæ à Christo etiam sub N. Testamenti œconomiâ audiendi dicuntur. *Exc.* 1. Id dici in parabolâ. 2. Dici Iudæis, non Christianis. 3. Dici duntaxat, Mosen & Prophetas præ resuscitatorum concionibus, non verò præ Novi Testamenti Scriptoribus audiendos esse. 4. Si verba ista vexanda sint, N. Testamenti Scriptores audiendos non fore, sed tantùm Mosen & Prophetas. *Resp.* ad 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἐπίπαν, quasi omnia quæ in parabolis dicta, vel parabolica sint, vel frustra dicta, nec ulla referri debeant ad διδασκαλίας, παιδείας, & usus alios id genus. *Inst.* Verba ista non pertinent ad *formale* parabolæ, sed ad *materiale* tantùm. *Resp.* 1. *Per concessionem*, ad *formale* parabolæ directè verba ista non pertinere. 2. Peccari *falsa hypothesi: materiali* parabolarum nulla inseri documenta. Habemus sanè hîc doctrinam generalem, quâ ratione damnationis locus evitari possit, quæ aliis Scripturæ locis non parabolicis disertè expressa, adeoque vera & utilis est, quocunque loco reperiatur. *Symbolica* itaque alibi non confirmata, *argumentativa* non sunt, confirmata verò, *argumentativa* esse possunt.

XI. *Ad* 2. *Resp.* Peccari *Elencho oppositorum*: Dicitur hoc quidem de Iudæis, sed non *exclusivè*. Nec enim hîc præceptum *speciale*, sed *generale*, datum omnibus cupientibus prævertere judicio, & effugere τὸν τόπον τῆς βασάνου. Quæ verò in eo Iudæorum, ea etiam Christianorum ratio. Et quod hîc proponitur ut *præceptum*, ejus *praxis* commendatur generaliter à Petro in Christianis, 2. Pet. 1. ℣. 19. & passim alibi. Ad 3. *Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim sententia nostra est, Veteris Testamenti Scriptores audiendos esse *præ* Scriptoribus Noui; satis verò est,

ſi audiantur *cum* illis. Ad 4. *Reſp.* 1. Peccari *Elencho oppoſitorum.* Nec enim iſta opponenda, ſed componenda potius, & utrique audiendi. Nam verba Chriſti haudquaquam *excluſiva* ſunt in ordine ad Scriptores N. Teſtamenti, ſed tantùm in ordine ad revelationes mortuorum reſuſcitatorum,& alia id genus media à Deo non inſtituta. Immò κατὰ τὸ ῥητὸν, eo ipſo, quo dicit Dominus, audiendum eſſe Moſen, & Propheras, audiendos docet Scriptores N. Teſtamenti, quia illi fideles ad hos deducunt, prout hi ad illos reducunt, quum utrique ſint ex æquo ἀντίστροφοι, &, ut Cherubini veteres, in ſe mutuò reſpiciant, & unum idemque utrique amplexentur Propitiatorium, adeoque utrique idem *objectum* habeant ac *argumentum principale,* Act.26.12. Quamvis itaque hoc non dicatur αὐτολεξεὶ iſtis locis, dicatur tamen κατ' ἰσοδυναμίαν.

XII. III. Locus eſt Ioh.5.39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipſis habere vitam æternam, & illa ſunt quæ teſtantur de me.* At ſi 1. Scripturæ V. Teſtamenti ſunt ſeriò evolvendæ ſub Novo: E. ad filios Dei in N. Teſtamento pertinent, nec illis ſunt traducendæ ut periculoſæ. 2. Si ex iis haberi poteſt vita æterna: E. utiliſsimæ ſunt Chriſtianis. 3. Si de Chriſto teſtantur: E. fidei noſtræ tum dirigendæ, tum confirmandæ apprimè conducunt, & ex iis articuli fidei probari poſſunt, & debent.

XIII. *Exc.* 1. Quoad *ſubjectum*; de Scripturis ſermonem eſſe, *indefinitè,* non de Scripturis Teſtamenti Veteris *definitè*, & argumentum duci à *non diſtributo ad diſtributum.* 1. Quoad *prædicatum.* 1. ἐρευνᾶτε *indicativum* eſſe, non *imperativum,* & *deſignativum praxeos* Iudæorum, non *officii.* 2. *Iudæorum opinionem* oſtendi, ſe vitam ex iis habere, non *rei veritatem.* 3. Iudæis etiam id dici, & ad eos, non de Chriſtianis, vel ad eos, immò de infidelibus, qui nolint Chriſtum audire, non de fidelibus qui eum audiunt. 4. Ex N. Teſtamento vitam melius haberi poſſe. 5. Scripturam N. Teſtamenti etiam de Chriſto teſtari, idque facere vel *perfectè*, vel *imperfectè*: Si *perfectè*, libros V. Teſtamenti ſupervacuos eſſe, & inutiles: Si *imperfectè*, Euangelium imperfectum fore, quod abſurdum. 6. Inde ſequi, tantùm Scripturas V. Teſtamenti ſcrutandas fore, adeoque N. Teſtamentum fore inutile. 7. Sic à vitâ excludi eos, qui non poſſunt ſcrutari Scripturas, quales innumeri.

XIV. Sed ἀνθυποφορὰ facilis eſt, & argutationum illarum ſolutio obvia. Ad *exceptionem* ductam *ex parte ſubjecti Reſp.* Poni τὸ ἐν ἀρχῇ, immò de Scripturis definitè ſermo, illis nimirum, quæ Iudæis *antonomaſticè* tales, hoc eſt, תורה שבכתב *Lex ſcripta*, tum quia libri N. Teſtamenti nondum erant ſcripti, Chriſto iſta pronuntiante, tum quia ſermo Chriſti ad Iudæos dirigitur, quibus fruſtra fuiſſent propoſitæ Scripturæ Teſtamenti Novi, tum quia de talibus Scripturis ſermo, in quibus Iudæi credebant ſe habere vitam æternam, quales tantùm erant Scripturæ Veteris Teſtamenti.

XV. Ad *Exceptionem* 1. *ex parte prædicati Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, per *conceſsionem*; Dato, Chriſtum loquutum fuiſſe *indicativè*, non *imperativè*, eodem res redit, quum praxin illam probet, non culpet. *Inſt.* Hoc *recitativè* dici, & ſine encomio, ut alia alibi, quæ à Iudæis obſervari ſolita. v.g. de

Eunu

Eunuchiſmo, Matth.19. v.12. *Reſp.* 1. Τὸ ἐν ἀρχῇ. Immò quum Chriſtus id utile eſſe doceat, eo quod iſtæ Scripturæ teſtarentur de ſe, & earum lectione Iudæi ad ſe perduci poſſent, non διηγηματικῶς tantùm dicitur, ſed ἐπιταγματικῶς. 2. Peccatur *Elencho partium*; Scrutinium enim Scripturarum imperatum alibi & commendatum, Eunuchiſmus ille non item. 2. *Reſp.* ἀρνητικῶς, ſive *per negationem*, verbum enim ἐρευνᾶτε *imperativè* potius accipiendum eſt, quàm *indicativè*, quod probatur. 1. *Authoritativè*, ab authoritate Syri *Interpretis* qui habet hîc *Imperativum* בצו *Scrutamini*, ut & inter Veteres *Theodoretus*, *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, alii. 2. *Ratiocinativè*, 1. *Ex ſcopo* Chriſti, qui eſt Iudæos inducere ad ſui agnitionem, adeoque ad lectionem Scripturarum, ut medium ad ſui agnitionem conducens, ob collationem quæ inſtitui utiliter poterat inter antegreſſas in Teſtamento Veteri de Meſsiâ prædictiones, & ſubſequens in doctrinâ ac operibus ſuis complementum. 2. Ex ἀγηλαχίᾳ verborum Chriſti, quia Scripturæ illæ teſtabantur de Chriſto: E. earum lectio probatur à Chriſto, non commemoratur tantùm.

XVI. Ad *Excep.* 2. *Reſp.* 1. Peccari *Elencho oppoſitorum*. Nec enim oppoſita ſunt in hoc argumento Iudæorum opinio & rei veritas. Nec in eo magis errabant Iudæi, quàm quod ſtatuerent Legem Moſis à Deo profectam, & Prophetas à Deo inſpiratos fuiſſe, vel unum eſſe Deum. 2. Adde, iſtam opinionem rei veritati opponendam non eſſe, eò quòd Legis ſcrutatio & laudata ſæpius fuerit, & imperata, immò imperata quandoque ſub promiſsione ſapientiæ, beatitudinis, vitæ. Deut.6.v.6. 7. &c. & 11. v.18. & 19.21. & Pſalmis 1. v.1.2. & 19. v.8.9. & 119. paſsim. *Inſt.* τὸ δοκεῖν ſignificare opinionem conjecturalem, & falſam ſæpe, ut Matth.6. v.7. Marc.6. v.49. Luc.8. v.18. & 13. v.2. Ioh.11. v.13. & 13. v.29. 1. ad Cor. 3. v.18. & 10.12. *Reſp.* 1. Peccari *Elencho* ἐκ τῶν ἐν μέρει. Sæpe enim deſignat verum de rebus judicium, ut Luc.1. v.3. & 17. v.9. Act.15. v.22.25.28. & 25. v.27. 1. ad Cor.4. v.9. & 7. v.40. ad Hebr.10.29. 2. Hîc tale deſignari, patet ex convenientiâ hujus judicii tùm cum declaratione Scripturæ S. alibi factâ, ut Pſal.19. & 119. tum cum rei veritate, niſi enim Iudæi habuiſſent vitam ex Scripturis V. Teſtamenti, nemo ex illis ſalutis viam inſtitiſſet, neç inter ὑπεροχαῖς Iudæorum una ex potiſsimis fuiſſet, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. ad Rom.3. v.2.

XVII. Ad *Except.* 3. *Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς de Iudæis hoc quidem diſertè dici, & ad eos, quibus cum ibi Chriſto negotium, falſum verò id de ſolis Iudæis, vel ad Iudæos *excluſivè* dici, nec enim de Iudæis dicitur, quà Iudæis, ſed de Iudæis, quà fœderatis & cupientibus haberi pro Dei populo, adeoque & de Chriſtianis quà talibus, & ad eos. Peccatur itaque *Elencho oppoſitorum*. Nec enim in prædicato communi opponendi Iudæi & Chriſtiani, utriſque enim ex æquo convenit Deum audire loquentem in ſuo verbo, & legem meditari dies, noctesque. 2. Retorqueri poteſt hoc ipſum κατὰ τὸ βίαιον dupliciter. Si enim 1. Iudæis conveniebat ſcrutari Scripturas Propheticas, id convenit etiam Chriſtianis, eò quod iſti ab Euangeliſtis & Apoſtolis ſtudiosè ducuntur ad lectionem & meditatio-

nem Scripturarum Propheticarum, quotiescunq; aliqua prædictio V. Testamenti dicitur impleta esse in Christo, vel circa Christum, immò disertè quoq; 2. ad Tim. 3. v. 16. &c. 2. Pet. 1. v. 19. ut & alibi passim. Et hoc ipsum appositè observat *Chrysostomus* Homil. 14. in Ioh. ὁ Κύριος, inquit, τοὺς Ἰουδαίους παρέπεμπε ταῖς γραφαῖς ἐρευνᾶν, ὅπερ πλέον ἡμᾶς εἰς ζήτησιν ἀνάγει. 3. Si ideò hoc proponitur remedium Iudæis infidelibus ut scrutando Scripturas ex infidelib. fiant fideles: Ergo idem etiam Christianis competit, ut fidei donum à Deo consequantur, vel ut in fide de Christo Salvatore jam habita confirmentur.

XVIII. Ad *Exc.* 4. *Resp.* Vel *exclusivè* hoc dici, vel *inclusivè*: si *exclusivè*, ex N. Testaméto, rejecto Veteri, vitam melius haberi posse, petitur τὸ ζητούμενον: si *inclusivè*, id ipsum retorquendum. Et sanè longè meliùs, hoc est, clariùs & pleniùs ac perfectiùs vita haberi potest, & via ad vitam, ex utriusque Testamenti, Prophetiarum videlicet & Scripturæ N. Test. collatione. Immò præterquam quod Novum Test. in Vet. fundatum est, Novum recipi non potest, quin Vetus commendetur, & quin ad illius lectionem & meditationem obligemur.

XIX. Ad *Except.* 5. *Resp.* 1. Peccari Elencho à *dicto secundùm quid.* Etsi enim N. Test. Scriptura testatur *perfectè* de Christo *intensivè*, quoad doctrinæ salutaris *substantiam*, non tamen testatur de eo perfectè *extensivè*, quoad omnem revelationis divinæ de Christo *latitudinem*, vel quoad omnem doctrinæ de Christo revelatæ modum, quia testatur tantùm de Christo exhibito post ejus exhibitionem, non verò de Christo exhibendo, longè ante ejus exhibitionem, quod testimonii genus eximium est, & utilissimum confirmandæ fidei. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Si libri N. Test. *perfectè* testentur de Christo, lib. Test. Vet. superfluos esse, tum quia illi se inniti testantur lib. Test. Vet. tum quia iteratum plurium testium de eâdem re testimonium validius est respectu nostri, & facit ad majorem fidei nostræ ἀσφάλειαν, ad Philip. 3. v. 1. 3. *Dilemma* istud retorqueri etiam potest argumento *apagogico*, eo enim admisso, sequeretur, N. etiam Test. lib. multos superfluos fore, eò quod in paucis etiam perfectum de Christo testimonium reperiatur, immò in paucis librorum Sacrorum dictis, quæ & libris, & dictis aliis dilatantur tantùm & confirmantur.

XX. Ad *Except.* 6. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Nec enim *consequens* sequitur ex *antecedente*, nec *exclusivè* id à Christo dictum, sed *inclusivè*. 2. Κατὰ τὸ βίαιον id ipsum retorqueri potest. Si enim in Scripturas V. Test. seriò inquirendum, quia vita haberi potest ex iis, & quia testantur de Christo, utique & in Scripturas N. Test. pari studio inquirendum est, quia & ex illis vita haberi potest, & illæ etiam de Christo testantur. *Inst.* Idem etiam de scriptis humanis Orthodoxis dici posse. *Resp.* 1. Per *concessionem*, talia etiam legi suo gradu & ordine, & utiliter quidem, posse. 2. Per *negationem*, ob *Elenchum partium*. Nec enim eadem ratio utrorumq; quia Scripturæ Vet. & N. Testamenti sunt θεόπνευστοι, & testimonium de Christo perhibent αὐθεντικὸν, κανονικὸν & ἀνυπεύθυνον, scripta verò humana ὑπουργικὸν tantùm & ὑπεύθυνον, ac subordinatum Scripturæ illi, quæ sola θεόπνευστος

est, ad

est ad quam testimonia humana omnia examinanda, & secundùm illam dijudicanda sunt.

XXI. Ad *Except.* 7. *Resp.* 1. Per *concessionem*, à vita excludi illos, qui in ætate capaci lectionis Scripturarum, Scripturas non scrutantur ipsi, vel Scripturas legentes, aut exponentes illas non audiunt; sufficit verò ad salutem vel ipsius Scripturæ perscrutatio, vel fides sincerè adhibita verbo *mandati* & *promissionis* ex Scripturâ ab aliis proposito. 2. *Per negationem*, nec enim medii hujus ordinarii defectus, vel privatio excludit omne medium, extraordinarium etiam, quod à Deo adhiberi potest ad supplendum defectum ordinarii, ubi ejus contemptus abest.

XXII. IV. Locus est ex cap. 15. ad Rom. 4. *Quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam antè scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Quia E. Scripturæ V. Testamenti ad Christianorum doctrinam scriptæ sunt, ut per consolationem earum spem habeant, revera Scripturæ Vet. Testamenti illis legendæ sunt. De Scripturis verò Testamenti Veteris sermonem esse Apostolo, patet, tum ex vers. 3. *antecedente*, (quo referuntur verba Davidis ex Psalm. 69. 10. cujus occasione subnectitur ἐπιφώνημα istud) tum ex eo, quod libri N. Testamenti, vel nulli, vel paucissimi adhuc scripti essent, tum quia Apostolus loquitur de iis scriptis ἃ προεγράφη, *quæ prius scripta* erant, adeoque designat Scripturas diu ante scriptas à Prophetis. *Exc.* Non sequi, si quædam ad nostram doctrinam ante scripta fuerint, omnia ob id ante scripta fuisse. *Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον hoc retorqueri, si enim quædam in Veteri Testamento ad nostram doctrinam scripta fuêre: E. non omnia rejicienda, quæ in Vet. Testamento scripta, tanquam ad Christianos non pertinentia. 2. Exceptio ista incurrit in Apostolum cujus phrasis æquipollet *universali*; ὅσα γὰρ προεγράφη. 3. Non major ratio cur quædam ad nostram doctrinam scripta fuerint, potius quàm alia: Quum omnia sint θεόπνευστα ex æquo & bono Ecclesiæ tradita, quamvis necessitatis, utilitatisque illorum quæ in Scripturis tradita sunt, gradus nolimus sublatos, nec ut omnia censemus æqualia *ratione oirginis* & αὐθεντίας, sic etiam æqualia censemus ratione vel *materiæ*, vel *usus*. Quamvis quoad *rem* omnis Scriptura θεόπνευστος sit ὠφέλιμος, etsi variatio detur circa τὸ πῶς. 2. ad Timoth. 3. v. 16.

XXIII. V. Locus exstat ad Ephes. 2. v. 20. ubi *Christiani dicuntur superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum.* Ergo Prophetica æquè ac Apostolica scripta sunt fundamentum Ecclesiæ Christianæ. *Except.* 1. Christum intelligi, qui fuerit fundamentum Prophetarum & Apostolorum, non verò scripta Prophetica vel Apostolica, aliàs duo fore fundamenta Christianorum, fundamentum verò aliud poni non posse, præter Christum, 1. ad Cor. 3. ver. 2. 2. Prophetarum tantùm mentionem fieri, non Mosis vel Legis, istius ergo usum hinc non probari. 3. Per Prophetas non intelligendos Prophetas Testamenti Veteris, sed Prophetas Testamenti Novi, quorum mentionem facit Apostolus, ejusdem Epistolæ cap. 3. vers. 5. & 1. ad Corinth. 12. vers. 28. Postponi enim Prophetas Apostolis, non præponi, de Prophetis ergo posterioribus, non anterioribus

Apostolis sermonem esse. 4. Vel Ecclesiam Christianam sufficiens habere fundamentum in Apostolis, vel non: si *prius*, non necessarium esse fundamentum Prophetarum: si *posterius*, insufficiens Euangelium ab Apostolis traditum esse, quod absurdum.

XXIV. Ad 1. *Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, dato, Christum intelligendum, qui fundamentum Prophetarum & Apostolorum, *dupliciter* hoc ipsum retorqueri potest, 1. Si Christus sit habendus pro fundamento cui superstructi sunt Christiani: Ergo Prophetica & Apostolica Scriptura ex æquo audienda, quum utraque nos manuducat ad Christum, & ex æquo de Christo testetur, quem unum Prophetæ æquè ac Apostoli respexêre, & cui uni innituntur utrique. 2. Si Christus etiam habendus pro fundamento Prophetarum & Apostolorum: Ergo harmonia datur & consensus fundamentalis inter Prophetas & Apostolos: adeoque si isti audiendi, & illi nobis pari ratione audiendi erunt, nec illis rejectis isti audiri possunt, idque tantò minus, quod Apostoli Prophetarum scriptis suum Testimonium inniti passim testentur. 2. Ἀνατρεπτικῶς nec enim necessarium, Christum istis verbis designari, & non Scripturam vel doctrinam Propheticam ac Apostolicam, quum Christus ibidem ab isto fundamento distinguatur, subjicitur enim immediatè, *existente* imo *angulari lapide ipso Iesu Christo*, adeoque fundamenti istius imus lapis angularis constituitur Christus, cui soli nos inniti debere ostenditur. Vt omnis itaque περισσολογίας cavillatio Sophistis præcidatur, nihil obstat, quominus ista distinguantur, prout & *Syrus* illa apertè distinguit. Adde, Apostolum subjicere *versu sequente*, per Christum ut per angularem lapidem conjungi & velut coadunari utrumque & Iudæorum & Gentilium populum, tanquam duos parietes ante disterminatos, quod angularis lapidis officium est, non fundamenti: 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim ob id sequitur, diversa fore fundamenta Christianorum, cum sapientissimè Paulus in *singulari* fideles superstructos dicat ἐπὶ τῷ θεμελίῳ, non ἐπὶ τοῖς θεμελίοις. Vnum itaque manet fundamentum. *Inst.* At si doctrina Prophetica & Apostolica sit fundamentum, id non erit Christus, & evertuntur verba Apostoli, 1. ad Cor. 3. vers. 2. *Resp.* 1. Peccatur *Elencho oppositorum*. Nec enim ista opponenda, sed componenda. Opponitur tantum fundamentum illud fundamentis humanis, sive paganorum sive Iudæorum, innitentibus vel revelationibus Diabolicis, vel traditionibus humanis, vel sapientiæ carnali. 2. Κατὰ τὴν βίαν. Eo ipso quia doctrina Prophetica & Apostolica fundamentum statuitur, Christus ipse fundamentum statuitur, quum doctrina illa ad Christum ducat, & quidem ad unum Christum, & ei uni innitendum doceat. Immò illa non aliter fundamentum est, nisi quia ad Christum ducit, & ei innitendum docet. Nec magis hîc diversa fidei fundamenta constituuntur, quàm quum Apocal. 21. vers. 14. murus civitatis cœlestis dicitur habere duodecim fundamenta, ob lapides pretiosos duodecim, quibus confertur doctrina Apostolica ver. 19. eò quod à singulis Apostolis unum illud fundamentum perfectè positum fuerit, æquè ac si unusquisque ex iis solus fundamentum posuisset, unde

& nomina

& nomina eorum dicuntur fuiſſe in illis fundamentis, prout & Architectorum celelebrium nomina moli ædificiorum eximiorum inſcribi vel incidi ſolent.

XXV. Ad 2. *Reſp.* 1. Peccari Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον, & à *dicto ſecundùm quid*, quamuis enim Legis mentio non fiat αὐτολεξεὶ, fit tamen κατ' ἰσοδυναμίαν, tum quia eadem Legis quæ Prophetarum ſubſtantia eſt, & Prophetæ Legis duntaxat Commentatores ſunt & Interpretes, tum quia ipſe Moſes quoque Propheta fuit, Deuter.34. verſ.10. adeoque Prophetarum nomine meritò comprehendi debet. 2. Notum etiam, *Synecdochen* frequentem eſſe Scripturæ deſignantis *partem pro toto*, & ut illa Legis nomine Prophetica ſcripta cenſet v. g. Pſalmorum librum Iohan. 10. verſu 34. ſic Prophetarum nomine Lex Moſis pari ratione cenſeri poteſt.

XXVI. Ad 3. *Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς dato, intelligendos hîc eſſe Prophetas Teſtamenti Novi, non Veteris, non tamen ſequeretur, Scripturam Prophetarum V. Teſtamenti non eſſe fundamentum, cui ſuperſtructa ſit Eccleſiæ, quum Prophetæ V. Teſtamenti non minus ad unum Chriſtum Eccleſiam manu duxerint, quàm Apoſtoli & Prophetæ veri Teſtamenti Novi: ſi enim vel ab illis, vel ab iſtis fundamentum aliud poſitum fuiſſet, jam non veri Prophetæ fuiſſent, quorum doctrinæ debuiſſet inniti Eccleſia, ſed Pſeudoprophetæ. Immò vel Prophetæ illi novi eandem doctrinam cum Prophetis Teſtamenti Veteris propoſuêre, vel veri Prophetæ non fuêre. Adde, Prophetas iſtos Veterum duntaxat interpretes fuiſſe, qui illorum ſcripta *explicabant & applicabant* ad ædificationem Eccleſiæ ex dono ſingulari, & miraculoſo. Sic cùm *unum* tantùm Apoſtolorum & Prophetarum iſtorum *fundamentum* ab Apoſtolo conſtituatur hoc loco, non plura, & verò Apoſtoli & Prophetæ Veteres unum tantùm fundamentum habuerint, ut patet ex Actor.26. verſ.22. inde ſequitur, vel Prophetarum Novi Teſtamenti aliud fundamentum eſſe à fundamento Apoſtolorum, quod eſt contra verba hîc allegata, vel ſi idem fundamentum ſit, idem etiam Apoſtolorum & Prophetarum Veteris Teſtamenti fundamentum eſſe: adeoque ſi fideles Prophetarum Novi Teſtamenti fundamento ſuperſtructi ſunt, ſuperſtructi etiam erunt fundamento Prophetarum Teſtamenti Veteris. Hâc itaque ratione hoc ipſum retorqueri poteſt κατὰ τὸ βίαιον. 2. ἀρνητικῶς falſum enim, Prophetas Novi Teſtamenti hîc eſſe intelligendos, de quibus ſermo cap.3. v.5. & 1. ad Cor.12. ver.28. quod gloſſema *Socinum*, infauſtum & ſcævæ notæ hominem, fautorem habet Tractatu in cap. 16. Matth. *Ratio negationis* eſt, quia Apoſtolus hîc loquitur de fundamento perpetuo univerſalis Eccleſiæ. At Prophetæ illi extraordinarii fuêre, & ad tempus tantùm, & nulla illorum ſcripta exſtant, quæ fundamentum eſſe poſsint perpetuum Eccleſiæ, quæ illorum tempora erat ſequutura. Non ergo de iſtis ſermo, ſed de illis Prophetis, quorum ſcripta exſtant, & fundamentum perpetuum eſſe poſſunt Eccleſiæ. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ideo Prophetas Teſtamenti Novi intelligendos eſſe, eò quod poſtponantur Apoſtolis, quaſi verò ex

ordine collationis anterioritas vel *posterioritas temporis*, vel *durationis* debeat inferri. An quia Paulus dicit se vocatum per *Iesum Christum* ac *Deum Patrem* ad Gal.1.v.1.sequitur Patrem posteriorem esse filio? Sic ad Eph.4.vers.2. Prophetæ Novi Testamenti collocantur ante Euangelistas, nec tamen ob id illis fuêre anteriores.

XXVII. Ad 4. *Resp. Dilemma* istud invalidum esse, peccatur enim, 1. Paralogismo à *dicto secundùm quid*. Ecclesia sanè Christiana sufficiens habet fundamentum in Apostolis, quoad *doctrinæ* revelatæ *substantiam*, non tamen quoad omnem *revelationis* cœlestis *latitudinem*: Prophetarum itaque fundamentum necessarium ad huius complementum. 2. Peccatur *falsâ hypothesi*, quasi illud tantùm admittendum sit, quod necessarium ad *Ecclesiæ institutionem* circa ea quæ ignorat, immò & ea admittenda, quæ utilia sunt ad ejus *confirmationem* in iis quæ jam novit, ut & ad majorem fidei Christianæ ἀσφάλειαν, ad Phil.3.v.1,

XXVIII. VI. Locus exstat 2. ad Timoth.3. v.15.16.17. ubi dicitur, Timotheum *Sacras literas nosse* ἀπὸ βρέφους, *quæ possunt illum sapientem reddere ad salutem, & totam Scripturam divinitus esse inspiratam, & utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitiâ: Vt perfectus sit homo Dei, ad omnine opus bonum perfectè instructus*. At si 1. Timotheus ἀπὸ βρέφους Sacras Scripturas novit, & quidem non sine singulari fructu: Easdem Christiani etiam nosse debent magno suo bono. 2. Si divinæ illæ Scripturæ possunt hominem σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. Ergo pertinent ad Christianos. 3. Si illis optimè convenit cum fide in Christum: Ergo non pugnant cum doctrinâ Christi, nec Christianis sunt periculosæ. 4. Si tota Scriptura est θεόπνευστος. Ergo Veteris etiam Testamenti Scriptura talis est, & ut talis cum summâ reverentiâ à Christianis agnoscenda & excipienda est. 5. Si tota Scriptura utilis est ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem, quæ est in justitiâ: Ergo & fidei dogmata & vitæ instituta inde hauriri utiliter possunt. 6. Si *homo Dei* inde perfectus, & ad omne opus bonum perfectè instructus fieri potest: Ergo & *fidei dogmata* & *vita instituta* ex eâ peti possunt probari: & multo magis Scriptura illa tum fidei hominis privati, tum vitæ ejus dirigendæ utilis est & opportuna.

XXIX *Exc.* 1. De Scripturis sermonem esse *indefinitè*, non necessariò de Scripturis Veteris Testamenti *definitè*. 2. Si de Scripturis Veteris Testamenti sermo sit, id dici respectu temporum illorum, quibus nondum scripto consignati erant libri Novi Testamenti. 3. Vt Veteris Testamenti scripta poterant Timotheum sapientem reddere ad salutem: sic & Novi posse Christianos, idque vel *perfectè*, & sic non necessarios esse libros Testamenti Veteris, vel *imperfectè*, & sic Novum Testamentum imperfectum fore. 4. Limitationem adjectivam, *per fidem Iesu Christi*, ostendere, nihil ex illis admittendum, nisi quatenus cum fide vera Iesu Christi convenit: Aliâs non opus futurum fuisse istâ limitatione. 5. Propriè sermonem hîc esse de γραφῇ θεοπνεύστῳ: At legem per *Mosen* datam esse Ioh.1. 17. 6. Si omnis Scriptura utilis sit ad illos usus, N. Testamenti Scripturam sufficere

ſufficere. 7. Omnem Scripturam utilem quidem dici, ſed non neceſſariam. 8. *Dei hominis*, h.e. Euangeliſtæ, qualis fuit Timotheus, convenire poſſe etiam cognitionem Veteris Teſtamenti, ſed non ob id omnibus Chriſtianis. 9. Hoc etiam dici à Paulo iſto tempore, quo nondum plenè ſepulta fuerit Synagoga. Scripturam ergo Veteris Teſtamenti ita utilem fuiſſe Eccleſiæ Teſtamenti Veteris: Scripturam verò Novi ita utilem eſſe Eccleſiæ Novi Teſtamenti, adeoque *Syncategorematicam* iſtam vocem *diſtributivè* accipiendam eſſe, & diverſimodè diſtribuendam. Hinc etiam Apoſtolum ſine temporis adſignificatione profiteri *Scripturam utilem*, & ſubſtitui poſſe, eam talem *fuiſſe*, ſi de Scripturâ Veteris Teſtamenti ſermo ſit, talem verò *eſſe*, ſi ſit ſermo de Scripturâ Teſtamenti Novi. 10. Si verba illa vexentur, & ad Vetus Teſtamentum applicentur, Novum fore ſupervacuum.

XXX. Sed & hoc eſt ἄτοπον πλέον πλείζον & οἴεσθαι ποιεῖν. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. *Indefinitam* propoſitionem in *materiâ neceſſariâ* æquipollere *univerſali*. 2. *Vniverſalem* in ſequentibus poni, adeoque Paulum prædicatum illud extendere ad πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον. 3. De eâ Scripturâ Apoſtolum loqui, quam noverat Timotheus ἀπὸ βρέφους, τουτέστιν ἐκ πρώτης ἡλικίας, ut benè id exponit *Chryſoſtomus*. Talis verò erat Scriptura Teſtamenti Veteris, quia nondum ſcripto conſignatum fuerat Novum Teſtamentum, tunc quum Timotheus puer eſſet.

XXXI. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. De Scripturis Veteris Teſtamenti ſermonem quidem eſſe verſu 15. ſed v. 16. Apoſtolum idem prædicatum extendere ad quamvis Scripturam θεόπνευστον. 2. Τὸ ἐν ἀρχῇ. Verba Pauli referri *limitatè* & *excluſivè* ad tempora antecedentia ſcriptionem Novi Teſtamenti, cujus limitationis apud Paulum nec vola, nec veſtigium, immò Aphoriſmus univerſalis de Scripturâ θεοπνεύστῳ v. 16.

XXXII. Ad *Excep.* 3. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, Novi ſanè Teſtam. ſcripta poſſunt σοφίσαι εἰς σωτηρίαν idque *perfectè, in ſuo genere*, quamvis *non perfectè* in *omni genere*, quia v. g. ad fundandam fidem in Chriſtum, expedit characterum Propheticorum de Meſſiâ prædictorum ex ſcriptis Propheticis cognitio, quorum applicationem oſtendunt Euangeliſtæ in N. Teſtamento in Chriſto, ex quâ collatione fides Chriſtiana ſtabilitur. 2. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, quia quod non ἁπλῶς neceſſarium ad fidei Chriſtianæ conſtitutionem, utiliſsimum tamen eſt ad ejus συντέλειαν & opportunum admodùm. I. Ad vitæ Chriſtianæ in actibus variis *directionem*, *circa* ea quæ *non expreſſa* in Teſtamento Novo, ex. gr. de gradibus prohibitis matrimoniorum, & aliis id genus. II. Ad *confirmationem* Chriſtianorum circa ea quæ expreſſa per utriuſque Teſtamenti harmoniam.

XXXIII. Ad 4. *Exc. Reſp.* Peccari παρ' ἀγνοίαν verborum Apoſtoli *per fidem in Chriſto Jeſu*, quaſi illis deſignetur vel limitatio contentorum libris Teſtamenti Veteris, vel admittendorum ex iis, quum contineant tantùm *modum*, quo S. Scripturæ poſſunt σοφίσαι, quatenus nimirum & fidem tradunt in Chriſtum, h.e. conſcientias ad eum dirigũt, qui totius Scripturæ

Propheticæ & Apostolicæ objectum, centrum, & fundamentum est, & cum fide in Christum & excipiuntur & leguntur, absque quâ nec bene excipi, nec salutariter legi possunt. Et sanè falsum, verbis illis limitationem contineri, innuentem *secundùm quid* tantùm admittenda scripta Testamenti Veteris, quatenus nimirum ea conveniunt cum fide in Christum, quasi aliquid à fide in Christum alienum in iis reperiretur, quod πρῶτον ψεῦδος est, quum passim de eo testentur, & sint pædagogus ad eum. Immò Christus disertè profitetur, Iudæos, si Mosi fidem adhiberent, sibi etiam fidem adhibituros esse, Ioh.5.v.46.

XXXIV. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* ἀμφιβολίας in phrasi *Legem datam per Mosen*, id enim intelligendum λειτουργικῶς, non αὐτοκρατορικῶς, unde *per Mosen*, potius data dicitur Lex, quàm *à Mose*, vel à Mose data ut à *causa instrumentali* tantùm, non verò ut à *principali*, nec *auctoritate* illius, sed *ministerio* duntaxat, aliâs Dei Lex haudquaquam fuisset. Nec quicquam hìc de Lege dici potest, quod non de scriptis etiam Novi Testamenti dici posit. 2. Adde, summam Legis ipso Dei digito & Scripturâ tabulis insculptam fuisse, & Legem datam ἐν χειρὶ μεσίτου, non *typici* tantùm, sed & *veri* per typicum designati, ad Gal.3.19. Act.7.v.38. 3. Peccatur etiam *Elencho oppositorum*. Lex per Mosen data est: Ergo non θεόπνευστος est: Hæc enim componenda, non opponenda. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, quia per Mosen data est, θεόπνευστος est, cùm Moses fidelis fuerit in tota Dei domo, Ad Hebr.3.2. & quidem ut *famulus*: Famulorum verò fidorum est, mandata tantùm herilia sive referre, sive exequi.

XXXV. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccari ὁμωνυμίᾳ in voce πᾶσα, nec animadverti πᾶν hìc poni pro ὅλου, *omnem* Scripturam pro *totâ*, promiscuum enim Scriptoribus N.Testamenti utrâque illâ voce πᾶν כל Hebræorum exprimere: Hìc verò posteriùs designari, non prius, ex eo liquet, tum quia Scriptura S. *totius* potius *integralis* quàm *universalis* rationem habet, tum quia prædicata cum fine annexo conjuncta *toti* potius Scripturæ quàm *omni* conveniunt, 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, Scriptura enim Novi Testamenti in *suo genere* sufficit, sed non in *omni genere*, sensu supra exposito.

XXXVI. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. κατὰ τὸ βέλτιον, eo ipso quia omnis Scriptura utilis, etiam Scriptura Testamenti Veteris utilis est, adeoque non rejicienda ab Anabaptistis qui hìc suæ & Sectariorum suorum utilitáti intercedunt. 2. Peccatur *fallaciâ consequentiæ*, vitiosa enim hìc datur connexio *medii* cum *majori extremo*, si argumentum in formam redigatur. Quicquid enim θεόπνευστον & utile ad usus ab Apostolo commemoratos, id necessarium Christianis, quia illis necessaria doctrina, redargutio, &c. Quamvis ultrò admittamus hìc distinctiones, 1. *τὸ esse* & *τὸ bene esse* Christianorum, 2. *Dogmatum* & *librorum*, 3. *Graduum* diversorum utilitatis & necessitatis & quoad dogmata diversa, & quoad diversos hominum in Ecclesiâ constitutorum ordines. 4. Non rejiciendum quicquid apprimè utile, quamvis non sit ἁπλῶς necessarium.

XXXVII. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, nec enim

enim *exclusivè* dictum, Scripturam tantùm utilem esse *homini Dei* hoc est, Pastori vel Doctori in Ecclesiâ. At & aliis utilis esse potest. 2. ϗ τὸ βίαιον, quia homini Dei utilis esse potest, non rejicienda ad Anabaptistis. 3. Adde, omnem Christianum debere *esse hominem Dei*. 4. Hominis Dei ibi facta mentio, non *restrictivè* aut *exclusivè*, quasi aliis utilis esse nequeat Scriptura, sed tantùm ἐμφατικῶς & κατ᾽ ἐπίτασιν, ad perfectionem Scripturæ designandam, quippe quæ etiam *homini Dei* perficiendo sufficere possit, magis ergo cuilibet Christiano.

XXXVIII. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Falsò supponi, verba Pauli vel à Paulo ad certum tempus restringi, vel à nobis ad tempus Synagogæ Veteris tantùm restringenda esse, quum *aphorismus* Pauli *universalis* sit respectu omnium ætatum, & de totâ Scripturâ enuntietur. 2. Distributio illa precaria est, & sine fundamento. Immò *collectivè* Ecclesiæ N. Testamenti utilis est non tantùm Scriptura N. Testamenti, sed etiam Veteris, ut patet ex Iohan. 5.39. ad Rom. 15.4. & 2. Petr. 1.19. 3. Ἔλλειψις *verbi adsignificativi temporis* haudquaquam istam distributionem, *sensu exclusivo*, respectu Ecclesiæ Novi Testamenti, designat, sed ordinaria est quibusvis Scriptoribus, & supplenda pro *naturâ subjecti*: 4. Immò ϗ τὸ βίαιον, si id Apostolo institutum fuisset, debuisset ab illo Scriptura V. Testamenti à Scripturâ Novi distingui, id quod fuerat ante illa tempora utile ab eo, quod postea utile futurum esset. Quia verò neutrum ab Apostolo factum, neutrum ab eo intentum. Ad 10. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. nec enim verba illa *restrictè* vel exclusivè applicanda ad Testamentum Vetus, quum Apostolus loquatur de totâ Scripturâ διηνεκῶς, adeoque etiam de Scripturâ Testamenti Novi.

XXXIX. VI. Locus exstat, 2. Pet. 1.19. *Habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Christianis ergo sermo Propheticus pro firmissimo habendus, illi attendendum, & rectè fit, si ei attendatur, secus, si non attendatur, & illa eundem Christianis usum præstat, quem lucerna ingredientibus in loco obscuro. *Exc.* 1. De Sermone Prophetico sermonem, esse non de totâ Scripturâ Veteris Testamenti, immò Legem contradistingui Prophetis. 2. Hunc sermonem, quantum satis, insertum esse scriptis Testamenti Novi. 3. De sermone Prophetico sermonem esse, non de scriptis Propheticis. Hinc disertè dici v. 21. Actos à Spiritu S. *loquutos esse* sanctos illos Dei homines. 4. Iudæis id dici, qui advenæ dispersi erant per Pontum, Galatiam, &c. & à Iudæo. 5. Attendi sermoni Prophetico quantum satis, quando attenditur Scripturis Novi Testamenti, ad quæ ille ducit. 6. Id dici tempore Synagogæ nondum sepultæ, & sub initia Ecclesiæ Christianæ, & nondum scriptis libris Novi Testamenti. 7. Lucernæ lumen obscurum esse, sic & lumen Prophetici sermonis, & ut illi locus non est splendente sole, sic nec sermoni Prophetico splendente luce Novi Testamenti. 8. Limitationem disertam addi, id tantùm locum habere debere, & rectè duntaxat fieri, *usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus* fidelium. Istam verò lu-

cem per N. Testamentum allatam esse, adeoque sermoni Prophetico locum amplius non esse, postquam dies illuxit, & lucifer jam exortus est. 9. Verba Petri encomium quidem continere, sed non præceptum, & encomium Hebræorum, non Christianorum.

XL. Sed & hic nihil nisi ἀνδρειῶν χαλκεῖον. Ad 1. *Exc. Resp.* I. Peccari *paralogismo ὁμωνυμίας*: Nec enim *sermo Propheticus* hic *stricte* sumitur, sed per *Synecdochen*, quod patet. 1. Ex *nomenclatione* ipsa, quia totus sermo Vet. Testamenti Propheticus est, à Prophetis quippe scriptus. 2. Ex ἀκολουθίᾳ verborum Petri, qui ex consensu Veteris Testamenti vult probare doctrinam Apostolicam. 3. Quia omnes Scriptores V. Testamenti loquuti sunt acti à Spiritu S. Iam *Prophetia*, & *sermo actorum à Spiritu S.* sunt ἰσοδύναμα versu 21. II. Peccatur *Elencho ex particularibus*; Certum, Legem interdum contradistingui Prophetis, quando nimirum conjunguntur, sed & certum, Legem quandoque quosvis V. Testamenti libros designare, ut Psalmorum librum, Ioh. 10. v. 34. Cur non ergo Prophetici etiam sermonis nomine possint designari Veteris Testamenti libri, quum omnes scripti fuerint à Prophetis?

XLI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Etsi enim inserta sit summa Legis & Prophetarum N. Testamenti libris, Vetus tamen cognoscendum est, ut insertorum origo & fundamentum cognoscatur. 2. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Veteris Testamenti summa Novo inserta est, Novum fundamentaliter cognosci nequit sine Veteri.

XLII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*, & *fallaciâ divisionis*, nec enim de sermone Prophetico sermo simpliciter, sed de eo quem habebant fideles tempore Petri, & cui attendebant, qualis non poterat esse, nisi relatus in scripta, quum Prophetæ non amplius essent in vivis. 2. Scripturam Propheticam intelligi, liquet ex *epitheto* adjecto, dum illum sermonem vocat Petrus βεβαιότερον, *firmiorem*, quod non nisi de Scripturâ Propheticâ dici potest, tum quia sermo Prophetarum ore traditus, & παραδόσιμος tantùm, corruptelis variis obnoxius est, tum quia iste sermo præfertur à Petro voci cœlesti in monte auditæ, quod locum non haberet, si sermo Propheticus oretenus tantùm à majoribus exceptus, & relatus intelligeretur. Idem patet ex ἀκολουθίᾳ verborum sequentium, versu 20. ubi iste sermo Propheticus vocatur disertè προφητεία γραφῆς, *Prophetia Scripturæ*, per ὑπαλλαγὴν pro *Scripturâ Propheticâ*, & distinguitur ab ἐπιλύσει ejus. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quia eadem scripserunt sancti Dei homines quæ sunt loquuti. Ideo verò *sermonis* eorum potius quàm *scriptorum* mentionem facit Petrus, tum quia de voce prius egerat, adeoque sermonem præponit sermoni, tum quia Prophetæ primò enuntiabant Prophetias suas, antequam illas scripto consignarent, tum quia sic indicatur, Prophetas hodieque nobis loqui. 4. κατὰ τὸ βίαιον: Quia bene faciebant fideles attendendo sermoni Prophetico, bene faciunt etiam nunc fideles attendendo Scripturæ Propheticæ, quum non tantùm par sit ratio, sed major etiam, eò quod sermo Propheticus, si quis à Scripturâ distinctus foret, magis obnoxius foret corruptioni.

XLIII.

XLIII. Ad 4. *Except. Respond.* 1. Per *concessionem*, Iudæis quidem fidelibus dispersis Petrum primam suam Epistolam inscribere, sed non *exclusivè* in ordine ad fideles alios, quum istæ Epistolæ Catholicæ sint, & ad omnium temporum fideles pertineant. Immò, si ob id Iudæis tantùm scriptæ sint Epistolæ illæ, & non fidelibus promiscuè, sequetur inde, Anabaptistis non tantùm Vetus Testamentum esse rejiciendum, sed & Euangelium Lucæ, quod inscriptum Theophilo, & Epistolas Pauli, quæ inscriptæ vel certis Ecclesiis, vel certis personis. 2. *Per negationem*, Epistola enim secunda Petri, ex qua hic locus deductus, *indefinitè* inscribitur *aquè pretiosam fidem nobiscum sortitis, per justitiam Dei nostri & Servatoris Iesu Christi*, quod *epitheton* omnibus fidelibus commune est, 3. Peccatur *paralogismo consequentiæ*: A Iudæo hoc scriptum esse; Ergo Christianos non obligare, quasi verò hâc ratione non totum Nouum Testamentum rejiciendum foret, totum quippe scriptum à Iudæis, immò & ipsa Servatoris præcepta.

XLIV. Ad 5. *Except. Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*, Attenditur sanè sermoni Prophetico *verè*, dum attenditur scriptis Novi Testamenti, quia eadem utriusque Testamenti substantia, sed non attenditur *plenè*, id verò tum demum fit, quando attenditur ipsi Scripturæ Propheticæ, & quidem directè. 2. κατὰ τὸ βίαιον, si bene fit, quum attenditur sermoni Prophetico, quatenus insertus est scriptis Testamenti Novi, quæ causa dari potest, cur malè fiat, si attendatur ipsis scriptis Testamenti Veteris? Immò si attendatur eidem argumento in alia scripta traducto, cur non & in propria sua sede ac origine? 3. Peccatur παρερμηνείᾳ huius loci. Petrus enim hîc non loquitur de sermone Prophetico inserto Novi Testamenti scriptis, sed de sermone Prophetico, vel *Prophetiâ Scripturæ* secundùm se consideratâ, quod patet 1. *Ex verbis* Petri qui aliàs dixisset, bene illos ad quos scribit, facere, quod attenderent sermoni vel scriptis Apostolicis, quod non facit. 2. *Ex consideratione temporis* quo scripsit Petrus, quo pauci libri N. Testamenti adhuc erant scripti. 3. *Ex consideratione* illorum *dispersorum*, ad quos etiam *directè* scripsit, qui sermoni Prophetico, h.e. scriptis Prophetarum attendebant. 4. Κατὰ τὸ βίαιον, quia attendendum est sermoni Prophetico inserto Novo Testamento, & scriptis Novi Testamenti, eo ipso attendendum etiam est scriptis Testamenti Veteris, utpote ad quæ illa Lectorem ducunt, & quæ crebrò commendant.

XLV. Ad 7. *Except. Resp.* 1. *Indirectè* κατὰ τὸ βίαιον, si id dictum non scriptis libris Novi Testamenti: Ergo Petrus non loquutus fuit de sermone Prophetico inserto scriptis Testamenti Novi. 2. *Directè*, peccatur enim *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, hoc sanè scriptum tempore Synagogæ nondum planè sepultæ, & sub initia Ecclesiæ Christianæ, sed inde non sequitur, scriptis illis contenta non esse perpetui in Ecclesia Dei vigoris, aliàs idem dicendum foret de omnibus Novi Testamenti libris, qui & ipsi scripti fuêre sub initia Ecclesiæ Christianæ.

XLVI. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*, lucerna

lumen obſcurum ſanè, ſed lumen tamen, & tantùm tale dicitur συγκριτικῶς, non ἁπλῶς, reſpectu nimirum luminis Noui Teſtamenti, quod & *intenſiuè & extenſiuè* majus eſt. Eo ipſo tamen, quia lumen eſt, lucidum eſt, & in tenebris utile: ſic & ſermo Propheticus. 2. Peccatur *Elencho partium*, lucernæ ſanè locus non eſt lucente ſole, quia lumen omne quod lucerna præbere poteſt, præbet Sol, qui etiam tenebras omnes perfectè diſpellit. At lumen illud Novi Teſtamenti nec præbet omne illud lumen quod Vetus præbet, nec tenebras illas diſpellit, quas diſpellit Vetus, v.g. Circa Hiſtoriam creationis mundi, conſeruationis & gubernationis Eccleſiæ Veteris, præcepta multa morum, gradus prohibitos conſanguinitatis, & alia id genus.

XLVII. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1. Per *conceſſionem*, demus, ſermonem eſſe, de die illuceſcente ſub Novi Teſtamenti œconomiâ, non tamen inde ſequetur Veteris Teſtamenti Scripturam eouſque duntaxat legendam, nec enim τὸ ἕως τ' ſemper ita *poſitivum* præteriti eſt, vt ſit *excluſivum futuri*, vt patet tum ex uſu dictionum Hebraicarum in Teſtamento veteri, עד עד אשר עד כי, Geneſ.28.v.15. 1.Sam.15.v.35. 2.Sam.6.23. Pſalm.71.v.18. & 123. v.2. tum ex uſu iſtarum particularum in Teſtamento Nouo Matth.28.ver.20. 1. ad Corinth.15.v.25. 1. ad Tim. 4.v.13. Et hoc hoc notauit bene *Baſilius* Homil. xxv. De humana Gener. Chriſti τὸ ἕως, inquit, πολλαχοῦ χρόνου μέν τινα δοκεῖ περιοριζόμενον ὑποφαίνειν, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν τὸ ἀόριστον δηλοῦν quod tamen ſano ſenſu intelligendum, & pro rei ſubjectæ naturâ diversâ diverſimodè judicandum de dictionum iſtarum ſenſu. 2. Per *negationem*, optimè enim verba Petri referri poſſunt non ad Novi Teſtamenti diem, ſed ad diem vitæ æternæ, nec ad exortum Luciferi in *bemiſphario gratiæ*, ſed ad ejus exortum duntaxat in *bemiſphario gloriæ*, quæ dies revera eſt ἡ ἡμέρα κατ' ἀντονομασίαν, in qua datur vera ἀνατολὴ τοῦ φωσφόρου, quando & *ſubjectiva* lux erit *perfecta*, & lumen *objectivum* plenè & immediatè de facie ad faciem ſe communicabit nobis, quod in illa demum civitate fiet, cuius λύχνος eſt agnus ipſe Apoc.21.13. & 22.5. Et ſic argumentum *retorquetur* κατὰ τὸ βίαιον, quia eò uſque attendendum Scripturæ Propheticæ, donec beata illa dies ἀπολυτρώσεως καὶ ἀποκαλύψεως πάντων exoriatur, quæ vera dies eſt, perpetua quippe, & nullâ nocte terminanda. Quamdiu itaque Eccleſia Chriſtiana nondum potitur beatâ iſtâ luce, attendendum adhuc eſt illi ſermoni Prophetico, adeoque ſub œconomiâ etiam Novi Teſtamenti. Immò verba Petri referri debere *ad diem vitæ futuræ*, ex eo patet, quia illi ad quos ſcribit, jam erant fideles, ſcribit enim ad eos *qui fidem* ἰσότιμον *ſecum erant ſortiti*, 2.Pet.1.v.1. adeoque in quorum cordibus *dies gratiæ & lucifer Euangelij* jam erat exortus.

XLVIII. Ad 9. *Reſp.* 1. κατὰ τὸ βίαιον, eò ipſo quo encomium continetur, præceptum continetur. Nec enim laude digna, quæ non præcepta vel ſecundùm *genus*, vel *ſecundùm ſpeciem*. 2. *Peccari Elencho à dicto ſecundùm quid*, nec enim hoc ad Hebræos pertinet, *reduplicatiuè*, quà Hebræos, ſed ad Hebræos quà fideles, adeoque prædicatum commune eſt fidelibus omnibus. 3. Peccatur *paralogiſmo*, παρὰ τὸ ἐπίφορον, & οὐκ ἐν τῷ ἐν μέρει, quaſi ve-

rè

rò quod præceptum hoc loco non habetur exſertè & αὐτολεξεί, id non habeatur Joh.5.v.39. & alibi paſsim.

XLIX. *Argumentis inartificialibus diuinis* addi poſſunt pro mantiſsâ vel ſuperpondio *argumenta inartificialia humana*, ex quibus conſtet, quæ veteris Eccleſiæ Doctorum hic mens fuerit, quæ ſententia. Huc referri poſſunt inter loca alia verba *Origenis* Homiliâ IX. in Levit. *Optamus, ut hîc vel auditis operam detis, non ſolùm in Eccleſia audire verba Dei, ſed & in domibus veſtris exerceri, & meditari in Lege Domini die ac nocte, & ibi enim Chriſtus eſt. Propterea utrumque mandatur in Lege, ut meditemur eam, cum imus in via, & cum ſedemus in domo, & cum jacemus in cubili, & cum exurgimus, &c.* & Homil.II. in Eſa. *Vtinam omnes faceremus illud quod ſcriptum eſt, Scrutamini Scripturas.* Et lib. IX. in cap. 12. ad Roman. *Renovatur ſenſus noſter per exercitia ſapientum, & meditatione verbi Dei, & Legis eius intelligentiam ſpiritualem, & quantum quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus incedit, tanto ſemper novus magis & quotidie novior efficitur. Neſcio autem ſi poteſt renovari ſenſus, quis piger eſt erga Scripturas divinas.* Sic *Baſilius* in Pſal.I.tom.I. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἐκλεγώμεθα. Sic *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catech.IV. φωτιζομένων, cap. de S. Scriptura. Ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφάς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους τῆς παλαιᾶς διαθήκης. Et poſt: Τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, ὡς εἴρηται, τὰς εἴκοσι δύο μελέτα βίβλους. Et concludit caput inter alia quib. incumbendum ſit, incumbendum etiam eſſe θείων λογίων ἀναγνώσμασι, quæ videlicet ante enarrauerat, inter quæ etiam ſcripta Teſtamenti Veteris. *Hieron.* Epiſt. ad Lætam de inſtitutione Filiæ tom.I. Epiſt.VII. *Quærant eam in itinere ſeculi inter turbas & frequentiam propinquorum, & nuſquam alibi reperiant, niſi in adyto Scripturarum, Prophetas & Apoſtolos de Spiritualibus nuptiis ſciſcitantem.* Item, *Pro gemmis & ſerico divinos Codices amet, &c. Diſcat primò Pſalterium, his ſe Canticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat quæ mundi ſunt, calcare. In Iob virtutis & patientiæ exempla ſectetur.* Et poſt: *Mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros, Eſdræ quoque, & Eſther volumina.* Idem ad Celantiam Matronam de ratione piè viuendi. Epiſt.XIV. *Præcipua tibi cura ſit, noſſe Legem divinam, per quam poſſis quaſi præſentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum ſit, quidve vitandum illius conſilio diſcere.* Sic in Præfat. in Eſaiam laudat *Hieronymus* Euſtochium Virginem *quod diebus ac noctibus in lege Dei meditetur.* Inmò idem notare videtur *Algaſiam* mulierem nobilem Epiſt. III. quod quæſtiunculas de Euangelio tantùm de Apoſtolis proponendo, indicet, veterem Scripturam ab ea aut non ſatis legi, aut non ſatis intelligi. *Chryſoſt.* Hom.XXIX. in Gen.tom.I. Εἶδες, ἀγαπητέ, πῶς ἕκαστον τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ ἐγκειμένων δι' οὐδὲν ἕτερον μνήμῃ παρεδόθη, ἀλλ' ἢ διὰ τὴν ὠφέλειαν τὴν ἡμετέραν, καὶ τὴν σωτηρίαν τῶν μετὰ ταῦτα χρόνων. Ταῦτα δὴ λογιζόμενοι ἕκαστος ἡμῶν τὰ κατάλληλα φάρμακα ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ ἐπιτιθέτω, &c. Vbi prolixè Scripturæ Vet. Teſtamenti uſus eximios enarrat. Et paulò poſt: Διὰ τοῦτο παρακαλῶ καὶ συνεχῶς ἐνταῦθα βαδίζειν, καὶ μετὰ ἀκριβείας προσέχειν τῇ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει, μὴ μόνον ἐπειδὰν ἐνταῦθα παραγίνεσθε, ἀλλὰ καὶ οἴκαδε μετὰ χεῖρας λαμβάνειν τὰ θεῖα βιβλία, καὶ μετ' ἐπιμελείας δέχεσθαι τῶν ἐγκειμένων τὴν ὠφέλειαν, πολὺ γὰρ τὸ ἐντεῦθεν τικτόμενον κέρδος, &c.

Talia multa ἐμφατικώτατα urget pasſim *Chryſoſtomus*.

L. Addi poteſt, Anabaptiſtas in hoc dogmate accedere ex parte ad furores *Simonianorum* & *Manichaeorum* damnatos in Ecleſia Veteri, qui acerbè in Scripturam Veteris Teſtamenti invecti fuêre. *Simoniani* enim teſte *Irenaeo* lib.I.aduerſus Hær. *Valentini* cap.xx. Prophetas ulterius non curandos docuêre. De *Manichais* vide *Epiphanij* Panarium Hæreſi LXVI. Idem impingit ſectatoribus *Artemonis Euſebius* Hiſt. Eccleſiaſt. lib.v. cap.XXVII. πίστεως, inquit, ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασι. Eadem *Bogomilorum* hæreſis fuit, vt notat *Euthymius* monachus Zigabenus Orthodoxæ Panopliæ, Part. II. Tit.XXIII. Art.I. qui ibidem eos in repudiandis libris Moſaicis, & cæteris ſubſequentibus, *cum Paulicianorum hareſi conſentire* ait. Sic cum *Socinianis* hîc Anabaptiſtas εἰς ταὐτὸ ξυμφέρειν patet ex *Socini* Tractatu de authoritate Scripturæ, ut & ex paraſtratis eius *Chriſtophoro Oſtorodio* Inſtit.part.III.cap. XXVIII. & *Valentino Smalcio* tum contra *VVolfgangum Frantzium VVittebergenſem* Theologum, tum contra *Martinum Smiglecium* Jeſuitam. Et hæc tum ad propoſitionem, tum ad κατασκευὴν, tum ad vindicias, *argumentorum inartificialium* pro ſententiâ Orthodoxâ circa hanc materiam ſufficere poſſunt: *argumenta artificialia* tum *oſtenſiva*, tum *apagogica* reſeruamus, Deo faciente, Diſputationi ſequuturæ.

Coroll. Reſpondentis aduerſus Anabaptiſtas.

I. *Scripturam (cuius lectionem admodum neceſſariam contra quoſdam Anabaptiſtas ſuſtinemus) eſſe verbum Dei; fidemque eſſe ex auditu prædicationis iſtius verbi contra Muntzerum affirmat.*

II. *Per legitimam conſequentiam aliquando ex Scriptura deduci debet articulus fidei, non autem quoad literam in omnibus eſt intelligenda, vt falsò Apoſtolici Anabaptiſtæ aſſerunt.*

III. *Articulus fundamentalis de Deitate filij peti poteſt ex V. T.*

IV. *Ad ſalutem cognitu eſt neceſſarius articulus de incarnatione Chriſti, ut nobiſcum Anabaptiſtæ quidam, præcipue Flandri, & veteres Friſii, fatentur, non ſic R. VVibrands & alij.*

V. *Invocationem Dei ut καρδιογνώστου & Teſtis veritatis in animam noſtram, ſine ambiguis verbis, pro legitimo juramento eſſe habentem affir.*

VI. *Vnum è ſeptem diebus hebdomadæ cultui divino eſſe conſecrandum non repugnat libertati Chriſtianæ.*

VII. *Baptiſmum (quem circumciſioni non ſucceſſiſſe, tantumque notam noſtræ profeſſionis eſſe Anabapt. perperam affirmant) competere etiam infantibus fidelium (quos in infantia morientes ſalvari extra Chriſtum contra Scripturam dicunt) nec rebaptizandos eſſe in adulta ætate, aſſerimus.*

VIII. *Officium Magiſtratus, quod Chriſtianis eſt licitum, non tantùm circa politica, ſed etiam circa Eccleſiaſtica verſatur.*

IX. *Notæ Eccleſiæ ab Anabaptiſtis traditæ, falſæ ſunt.*

X. *Abſurdæ ſpiritualium Anabaptiſtarum ſententiæ non eſt aſſentiendum.*

DIS-



DISPVTATIONVM ANTI-ANABAPTISTICARVM

Tertia Καζατκευαστικὴ

DE

VSV SCRIPTVRÆ VETERIS TESTAMENTI in Ecclesia Christiana.

THESIS I.



Κατασκευὴν Controuersiæ, An Veteris Testamenti Scriptura ad Christianos pertineat, & an ex ea sive *fidei dogmata* sive *vitæ instituta* peti debeant & probari? ad *duas argumentorum classes* revocauimus Disputatione superiore; è quibus *priorem*, complectentem argumenta *inartificialia* vel *assumpta* à testimonio tum divino, tum humano antiquitatis purioris hactenus probatam dedimus: sequitur *posterior classis argumentorum artificialium*, vel *insitorum*, partim *ostensivorum*, partim *apagogicorum*, sive ducentium vel ad impossibile, vel ad absurdum. Quam quidem, præcipua utriusque generis è magna argumentorum congerie edecumando, & vindicando, hac Disputatione exequemur.

II. *Argumenta* verò *inartificialia* vel *insita ostensiva* pro sententia Orthodoxa affirmatiua ducemus, 1. *E Natura subjecti.* 2. *E Natura prædicati.* *E Natura subiecti,* 1. *Argumentum* duci potest *à causa efficiente subjecti*, Scriptura V. Testamenti Deum Christianorum authorem habet: Ergo ad Christianos pertinet, & ex ea tum *fidei dogmata*, tum *vitæ instituta* peti debent & probari. *Antec.* patet: Nec enim Christiani alium Deum pro vero Deo habent, quàm Deum Abrahami Isaaci & Jacobi, qui, vt Patribus olim loquutus est πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως per Prophetas, sic idem nobis locutus est in Filio, ad Hebr. 1.1. *Consequ. prob.* 1. Quia Scriptura quæ talis est, eo ipso quia talis, perpetuæ authoritatis est omnibus Dei filiis, tum ob summam & perpetuam Dei ἀτρεψίαν, Exo. 3. 15. & 34. v. 6. tum ob dominium eius universale, respectu omnium temporum, locorum & perso-

narum, Genes.24.3. Dan.9.4. tum ob constantem sive naturæ sive voluntatis divinæ immutabilitatem. Psal.102.27.28. Malach.3.6. ad Hebr.6.12. Iac.1.17. 2. Quia Christiani profitentur, se & in credendis & in faciendis à Dei revelatione totos pendere, & cultum ac officia sua ad divinam voluntatem sibi patefactam componenda esse. 3. Quia illi demum beati censentur, quorum *delectatio est in lege Iehovæ & qui in ea meditantur interdiu ac noctu.* Psal.1.9. & Psal.119.1.2. *Beati* dicuntur *integri viâ*, qui *ambulant in lege Iehovæ, custodientes testimonia ejus.* & v.9. *Quomodo purificabit puer semitam suam? observando eam secundùm verbum tuum.* Quorum gemina habentur passim toto illo Psalmo. Confer versus 99. 100. 101. 102. 105. 128. 129. 130. 138. 165. 166. 176.

III. *Exc.* 1. Legem etiam Ceremonialem, & Iudicialem latam Iudæis, quà Iudæis, Deum authorem habere, nec tamen Christianos obligare ad perpetuam observationem. 2. Intentionis Legislatoris rationem habendam esse, qui voluerit V. Testamentum Iudæis tantum esse fidei vitæque regulam, & hoc docere Paulum, dum inquit, ad Rom.6.14. Nos non esse sub Lege, sed sub gratiâ. ad Rom.7.4. Nos mortificatos esse Legi. ad Eph.2.15. Legem mandatorum à Christo abolitam esse. 3. Retorqueri posse locum ad Hebr.1.1. Contradistingui enim ibidem *rationem* quâ Deus egerit cum Iudæis ab ea quâ agere voluit cum Christianis, illis enim ibidem Deum loquutum dici multis vicibus, multisque modis, *per Prophetas*, non nobis: Nobis *per Filium*, & quidem, ultimis hisce diebus, non illis. 4. Davidem Psalm.1. & 119. de Iudæis tantùm loqui, quibus solis Lex data fuerit & imperata, Exod.17.14. & 34.27. Deut.6.9. & 27.3.8.

IV. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi.* Nec enim vel ea quam tuemur Thesis, vel ea quibus eam probatum imus, argumenta, concludunt quicquid in Scripturâ Vet. Testamenti præceptum fuit, esse *perpetuæ observationis*, sed Scripturam Testamenti Veteris *perpetuæ* esse *authoritatis*, in Dei Ecclesia, ut pro Scriptura divina haberi debeat, & audiri, ac legi, ac ad usus & fines suos referri, ad quos ex mente Legislatoris destinata est. 2. Peccatur *Elencho Partium*, ut enim alia Legis Moralis in Testamento Veteri naturâ, Ceremonialis alia, sic usus utriusque diversi sunt sub Novo Testamento: illa observari debet & praxi exprimi, ut per se bona, & conformis imagini divinæ, ad quam homo conditus fuit, ista non item, ut bona tantùm, quia imperata, & fundata non in natura mandati ulla ratione, sed in mero mandantis beneplacito. Nec hodie tamen ejus cognitio & meditatio inutilis est. Habet enim *usus* alios inter ipsos etiam Christianos, eosque 1. διδασκαλικὸν, ut enim Iudæis fuit pædagogus ad Christum exhibendum, sic nobis est testis Christi exhibiti, per collationem tum *oraculorum* tum *typorum* veterum cum complemento ipso, 2. παιδευτικὸν & ἠθικὸν, ob documenta varia *moralia*, quæ ex ipsis ceremonialibus hauriri, & Christianis inculcari possunt. Sic v.g. Lex de proscriptis animalibus non ruminantibus, nec ungulas fissas habentibus, ab usu & privato in cibo, & religioso in sacrificiis, hodieque innuit, caven-
dum

dam esse ingluuiem & crudelitatem Dei cultoribus, quum & conformatio membrorum & ratio victûs horum animalium vitiorum id genus hieroglyphica fuerint. 3. Pecccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & ἐκ τοῦ ἐν μέρει. Si lex ceremonialis vel judicialis particularis non obliget Christianos ad perpetuam observationem. Ergo Scriptura Testamenti Vet. vel inutilis est Christianis, vel noxia etiam, quæ nullis fidiculis cohærent. 4. Peccatur *falsa hypothesi*: Ex lege ipsa ceremoniali non vel peti posse, vel probari vllo modo sive *fidei dogmata*, sive *vitæ instituta*. Immò ex ea, & eius ad τὸ τυπωθὲν suum relatione, Judæis probari possunt multi Messiæ characteres: sic eadem ad vitæ Christianæ directionem facit, ut exemplo ab animalibus immundis ostensum. Quò referri possunt leges ceremoniales de ceremoniis Nazireatûs, de non conserendis agris diversis seminibus, de non conficienda veste ex diversis pannis, & lex Iudicialis de tecto circundando limbo, vel clathris in summitate ædium, & alia id genus. Quamvis enim talia non sint amplius obligatoria *quoad speciem* ceremonialem, manent tamen obligatoria *quoad genus* documentorum moralium, quæ inde utiliter educi, & ad varias vitæ Christianæ partes traduci possunt.

V. Ad 2. *Except. Resp.* 1. Τὸ ἐν ἀρχῇ, intentionem Legislatoris fuisse, ut V. Testamentum Iudæis tantùm esset fidei vitæque regula. Hoc enim τὸ ζητούμενον est, quod probandum, non supponendum. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ locorum Apostoli, in loco ad Rom. 6. 14. committitur *Elenchus à dicto secundùm quid.* Nec enim *non esse sub lege* est, immunem ἁπλῶς esse à legis vel cognitione, vel observatione omni. Sic enim Christiani liberi forent à dilectione Dei & proximi. Immò si Christiani *absolutè* non essent *sub lege*, Iudæi haudquaquam ullâ ratione fuissent *sub gratiâ*, ut patet *ex antithesi* Apostoli, quod absurdum. *Non esse sub lege* ergo tantùm est, immunem esse tum à coactione, tum à maledictione legis moralis, tum ab observatione & pædagogia legis ceremonialis, quod illorum privilegium est qui sub œconomiâ gratiæ in Nouo Testamento diffusæ vivunt. 3. Eadem solutio aptanda loco ad Rom. 7. 4. & Christiani sunt *mortificati legi secundùm quid* tantùm, quatenus nec coactioni vel maledictioni ejus sunt obnoxii, nec ab ea ad peccandum velut irritantur, ob gratiam sanctificantem majori gradu sibi collatam, non quod absolutè à legis cognitione & observatione immunes sint, unde non dicit Paulus, *legem nobis esse mortificatam,* sed *nos legi.* 4. Locus ad Ephes. 2. 15. ἀπροσδιόνυσος est, & peccatur *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει: aliud enim est, Scripturam Vet. Testamenti esse abolitam, aliud, *legem mandatorum*, νόμον τῶν ἐν δόγμασι, suppleto articulo; hoc est, legem consistentem *in ritibus*, adeoque ceremonialem, esse abolitam: & aliud longè, eam esse abolitam *quoad observationem*, aliud, esse abolitam *quoad cognitionem*, & *meditationem*. Sapienter verò leges ceremoniales vocantur δόγματα חקים & lex de illis νόμος ἐντολῶν, quia illæ omnem bonitatem suam habebant à Dei placito, ejusq; mandato & bonæ tantùm erant quia δεδογμένα, & ἐπιτεταγμένα. Sic δογματίζεσθαι est *ritibus onerari* ad Col. 2. 20. ut patet ex μιμήσει & exemplis subjectis.

VI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *Elencho oppositorum*. Nec enim ex eo quod Deus nobis loquutus est in N. Testamento per Filium, sequitur V. Testamenti Scripturam esse abolitam respectu Christianorum. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, confunditur enim τὸ ὂν & τὸ ποῖον, nec enim ex mutatione *modi communicationis* divinæ inferri debet, *res ipsas communicatas* esse mutatas, & si idem modus communicationis, qui obtigit Patribus in V. Testamento, non obtigerit Christianis in Testamento Novo, doctrinam modò illo communicatam eos haudquaquam concernere. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, quia Author V. Testamenti Patribus loquens per Prophetas Deus est, & idem Deus qui nobis ultimis hisce diebus loquutus est in Filio, omne ejus verbum ut divinum summa cum veneratione excipiendum est. 4. Peccatur προσθήκῃ falsæ glossæ, Deum per V. Testamentum Patribus duntaxat, vel *exclusivè* loquutum, non nobis etiam. Immò, ut Patribus loquutus fuit etiam per Filium, quamvis nondum ἀσαρκώτως, sic & nobis per Prophetas.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Τὸ ἀμφισβητούμενον poni, non probari. Verba enim Davidis *indefinita* sunt, & hîc æquipollent *universalibus*. 1. Quia agunt de *materia necessaria*. 2. Quia in eo beatitudo Israelitarum, & miseria Gentilium jam olim consistebat, quòd Deus *indicaverit* (sub V. Testamento, in quo gratia fœderalis ad unam gentem restricta fuit, paucis proselytis exceptis) *verba sua Iacobo, statuta sua, & jura sua Israeli. Et non fecerit ita ulli genti*, Hinc illæ dicuntur *jura ista non nosse*. Psalm. 147. 19. 20. Ob id etiam gentes censentur *fuisse absque Christo abalienatæ à civili statu Israelis, extraneæ que ad pacta promissionis, spem non habentes, & absque Deo in mundo*, ad Eph. 2. 12. 3. Quia cum ipsa gentium vocatione conjungitur earum incessus ad lucem Iudæorum, Esa. 60. 3. rejecto idolorum, Ierem. 16. 19. institutio earum in viis Dei Iacobi, Mich. 4. 1. 2. cultus idem cum Iudæis, Malach. 1. 11. *Inst.* Si vexentur verba ista, & alia id genus, gentilibus cultum eundem ceremonialem etiam fuisse observandum, ascendendum iis in montem Domini, offerendum suffimentum & munus purum, Malach. 1. 11. *Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ob παρερμηνείαν locorum illorum, quibus non observatio cultus *ejusdem ceremonialis* quoad *speciem*, sed *moralis* quoad *genus* designata fuit, verbis convenientibus pædagogiæ veteri, & ingenio Iudæorum ceremonialibus potissimùm hærentium, ut patet & ex abolitione ceremoniarum, Act. 15. 10. ad Eph. 2. 15. Col. 2. 20. & ex dilatatione Ecclesiæ ad quatuor Mundi cardines, nec enim ab extremis Occidentis vel Septentrionis incolis, ut bene observatum ab *Eusebio* Demonstr. Euang. libr. 1. cap. 3. ter quotannis Hierosolyma adiri, puerperæ, aut ob morticini contactum impuri Deo ad purificationem sui sisti poterant, vel aliæ id genus ceremoniæ observari, unde *Eusebius* sapienter inquit, πῶς ἂν ἥρμοζε τοῖς τῆς Ἰουδαίας ἢ ὅτι μικρὸν διεστῶσι, μήτι γε τοῖς καθ᾽ ὅλης τῆς οἰκουμένης ἔθνεσι.: *Inst.* Legis illius substantiam satis posse cognosci ex iis quæ inserta Scripturæ Testamenti Novi. *Resp.* 1. Peccari *Elenc. consequ.* quia cum legis *substantia* cognoscenda est ejus *latitudo*. 2. Adde insertorum Testamento Novo fundamentum pendere à Veteri.

VIII, I I.

VIII. II. *Argumentum è natura subjecti* ducitur *à causâ* ejus *materiali*: Scriptura V. Testamenti eandem tradit doctrinæ *substantiam*, sive *quoad credenda*, sive *quoad facienda, omittendáve* cum N. Testamenti Scripturâ: Ergo ad Christianos ex æquo pertinet, & ex ea tum fidei dogmata, tum vitæ instituta peti debent & probari: *Consequ.* patet *Antec.* 1. *Quoad credenda* probatur, 1. *Ratione,* 2. *Inductione,* 3. *Exemplo. Ratio est*: Nisi eadem credenda Patribus in V. Testamento proposita fuissent, quæ nobis in Testamento Novo, Patres nulli fuissent salvati. Nemo enim venit ad Patrem nisi per Christum, qui unus *via* est, *veritas* & *vita*, Ioh.14.6. & quia est *via*, nihil nisi error extra ipsum & deviatio; & quia *veritas* est, nihil nisi umbræ & mendacia extra eum; & quia *vita* est, nihil extra eum nisi mors. *Nec enim in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cœlo, quod datum est inter homines, per quod oporteat nos servari*, Act.4.12. *Inductio* est, quia Scriptura Veteris Testamenti eandem Servatoris *personam* θεάνθρωπον proponit, eadem ejus *officia*, eadem *beneficia*, & eandem ea nobis ad salutem *applicandi rationem* cum Scripturâ Testamenti Novi. Quoad *personam*, Messiam nobis repræsentat Deum & hominem Esa.7.14. & 9.5. Quoad *officium*, eum describit ut *Prophetam*, Esa.42.12.3.4. ut *Sacerdotem*, Ps.110.4. ut *Regem*, Ps.2.6. &c. *Beneficia* etiam eadem proponit, redemptionem, Genes.3.15. (qui locus conferendus cum 1.Iohan.3.8. & Hebr.2.14.) & redemptionem per mortem, Es.53.4.5.6.7.8.9.10. justificationem quoque & sanctificationem suorum, illam Es.53.11. istam etiam Ier.30.33. cum quibus individuo nexu conjunctum est beneficium glorificationis. Sic *ratio applicationis* beneficiorum Messiæ eadem ostenditur, Es.53.11. & Habac.2.4. *Exemplum* etiam datur in Abrahamo, qui iustificatus fuit per fidem in Christum, ut & omnes qui incesserunt olim per vestigia fidei Patris Abrahami, æquè ac fideles alii Novi Testamenti, ad Rom.4.2.12. Quoad *facienda*, dilectio Dei & proximi, quæ summam legis facit, eadem quæ in Testamento Novo præcipitur, præcepta etiam fuit in Testamento Veteri, ut patet ex collatione locorum, Deut.6.5. & Lev.19.18.

IX. I. *Exc.* Super *credendis*, 1. Ad *Rationem*, loca Ioh.14.6. & Act.4.12. intelligi debere de iis qui viuunt sub Novo Testamento, Christum enim dicere, Ioh.14.6. οὐδεὶς ἔρχεται, non οὐδεὶς ἦλθε. Sic Act.4.22. ἐστιν, non ἦν, nec οὐδὲ γὰρ ἦν ὄνομα, sed οὐδὲ γὰρ ὄνομα ἐστιν, scilicet, à temporibus Christi exhibiti. *Exc.* 2. Ad *inductionem*, tantùm abesse, ut Patribus V. Testam. eadem de Christi persona, officio, & aliis id genus proposita fuerint, ut modum salvationis per mortem ne Apostoli quidem intellexerint ante effusum Spiritum S. sed existimarint Messiam regnum externum erecturum in terris. Luc.24.21. Hinc ortam fuisse illam Petri ἐπιτίμησιν. & Christi severum responsum. Matth.16.22.23. *Exc.* 3. Ad *exemplum* 1. Modum illum justificationis per fidem *personalem* fuisse Abrahamo, non *communem* Iudæis aliis piis sub Testamento Veteri, quum post Abrahami tempora alius omninò fuerit traditus in lege, nimirum per opera, & quidem oppositus priori, nullâ factâ fidei mentione. 2. Paulum idem expressis verbis docere ad Rom.3.21. dum inquit: Nunc *vero absque lege justitia Dei*

manifesta facta est, *justitia* nimirum (ut addit *versu* sequente) *Dei per fidem Iesu Christi*, adeoque eandem non fuisse traditam olim in Testamento Veteri. Idem Petrum testari 1.Petr.1.10. dicentem, *de ista salute exquisivisse, & eam scrutatos esse Prophetas, qui de venturâ in nos gratiâ prophetarint. Iis etiam revelatum fuisse*, (versu 12.) *eos non sibi, sed nobis eà administrare, quæ nunc annuntiata sint nobis, per eos qui nobis evangelizarunt.*

X. II. *Exc.* Super *faciendis*. Majorem dilectionem præcipi in N. Testam. quàm fuerit præcepta in Veteri. 1. Ex *parte objecti*, quum illius *objectum* in Veteri Testamento fuerit *strictius*, Iudæus tantùm vel γείων talis באברתי, vel ἐγχώριος, in Novo verò sit *latius*, homo nimirum quivis sine distinctione. 2. Ex. *parte modi* vel *gradûs*, quia dilectio præcepta in Veteri Testamento fuerit *limitata*, ut proximum diligamus, *sicut nos ipsos* in Novo *absoluta*, ut illum magis diligamus, quàm nos ipsos, ita ut vitam etiam nostram posthabeamus vitæ proximi, Iohan.14.13. 1.Ioh.3.16.

XI. *Exceptiones* verò istæ speciosæ quidem sunt, solidæ verò non item. Ad 1. *Exc.* Super *credendis Resp.* I. Τὸ ἐν οὐχί. Dicta Ioh.14.6. & Act.4.12. tantùm intelligi debere de iis qui vivunt sub N. Testamento, quum verba utrobique sint *universalia*, non *indefinita*, vel *particularia*. Non ergo restringenda sine causâ, vel necessitate, qualis hîc nulla. Immò rationes firmissimæ sunt, cur non debeant nec possint ita restringi. 1. Quia Petrus disertè testatur Act.15.11. *nos credere, per gratiam Domini Iesu Christi nos servatum iri, quemadmodum & illi.* 2. Quia qui *fuerunt absque Christo, fuerunt extranei quod ad pactorum promissiones attinet, spem non habuerunt, & fuerunt absque Deo in mundo*. Ad Eph.2.12. 3. Quia non tantùm Iudæi Messiam pro fundamento & centro omnium promissionum semper habuerunt: sed etiam Apostolus 2.Cor.1.20. docet, *quotquot factæ sint promissiones à Deo, eas in ipso esse etiam & Amen.* Vel ergo nullæ promissiones factæ Patribus Vet. Testamenti; vel illæ in Christo ratæ fuerunt. 4. Quia sic diversæ fuissent ad salutem viæ. At ut *unum corpus, unus Spiritus, unus Dominus, unus Deus, sic una fides.* Ad Ephes.4.4. 5. Quæ verò fides una est, ejus *objectum* necessariò unum est. Sic conclusit Deus omnes (tum Iudæos tum Gentiles) in inobedientiam, ut omnium illorum misereretur. Ad Roman.11.31. Idem ergo modus omnes servandi, per misericordiam nimirum. 5. Quia sub finem capitis 10. ad Hebræos Apostolus eos hortatur ad ejusdem fidei professionem, quam describit cap.11.1. & cujus exempla proponit in sermonibus, actionibus, & passionibus Patrum Veteris Testamenti. II. Argutatio super verbis ἔρχεται & ὤν, inanis est. 1. Quia verba istius & *temporis & modi* ex æquo ad tempora omnia referri possunt. Exempla vide Matt.18.7. cap.21. Iohan.1.9. Iohan.3.26. 2. Quia *enallage* frequens est istorum temporum, ut patet ex Matth.17.11. cap.24.42.43.44. cap.25.13. cap.27.29. Marc.1.7. præsertim verò hoc solenne apud Iohannem, Iohan.3.8.20.21. cap.4.25. cap.5.7.24.25. cap.6.14.35. cap.8.14. cap.9.4. cap.10.10. cap.14.3.18. cap.16.25. c.17.11.13. c.21.22.23. 1.Iohan.2.18. 1.Iohan.4.3. 2.Iohan.10. Sic eadem Latitudo est *verbi substantivi*, Luc.1.61. cap.2.34. cap.5.8.23.34.39. cap.6.5.32.40.43. cap.8.14. cap. 9. 38. 50. cap. 10. 22. cap.11.23.34.35. cap.12.2.6.

cap.

cap.16.10.15. cap.17.10.cap.18.27. cap.20.38. cap.22.19. Actor.1.7. cap.2.25. 29.39.cap.3.15.cap.4.11.19.cap.7.37.c.8.21.c.9.20. c.10.26.28.34.36. cap.13.31. c.14.14.c.15.18.cap.17.28.c.18.10.c.19.26. c.20.35. 3. Adde quæcunque phrasis fuisset adhibita à Spiritu sancto sive designativa *temporis præteriti*, sive *futuri*, semper locum esse potuisse cavillis similibus. Convenientissima verò erat expresfio per *tempus præsens* non *exclusivè* ratione vel *præteriti*, vel *futuri*, sed *inclusivè* respectu utriusque. 4. Causa dari nequit, cur *præteritum* magis excludendum sit, quàm *futurum*, si verbum istud vexetur, adeoque dici pari cavillo posset, Christum nobis, multa post secula demum natis, non esse hodie *viam, veritatem* & *vitam*: sed nos per alium quàm per Christum ad Patrem venire debere, & salutem nobis esse in alio.

XII. Ad. 2. *Exc. Resp.* 1. Poni τὸ ἐν ἀρχῇ, Patres fideles Veteris Testamenti non credidisse, modum salvationis per mortem Mesfiæ, quippe qui partim *oraculis verbalibus*, partim *typis* tum *realibus*, tum *personalibus* eum præfiguratum habuerunt. Vide Genes.3.15.& Psalmos 22. & 69. totum caput Esa.53. & 63.ℽ.1.2.3. & Dan.9.27. Zach.12.10. & alia id genus loca. Adde typos exhibitos olim in agno Paschali, Exod.cap.12. in hirco utroque, Levit.16. in vaccâ rufâ, Num.19.2. in serpente æneo, Num.21.9 immò passim in sacrificiis Iudaicis. Quæ omnia vel sine fide Patres excepisse & celebrasse necesse est, & credidisse, sanguine hircorum & taurorum expiari peccata, quod absurdum, vel statuendum, eos in talibus spiritualem significationem animo præcepisse, & ad Mesfiam ista omnia retulisse. Et sanè hanc diem, crucis nimirum Christi, vidisse Abrahamum, docet *Chrysostomus* Homil.55. in Iohan. τὴν δὲ ἡμέραν ἐνταῦθά μοι δοκεῖ λέγειν, τὴν τοῦ σταυροῦ, ἣν ἐν τῇ τοῦ κριοῦ προσφορᾷ, καὶ τῇ τοῦ Ἰσαὰκ προδιετύπωσε. Et sanè fidem Patrum longè ulterius prospexisse, quàm nobis videri posset, patet ex toto cap.11. ad Hebr. Sic Mosen inter alios Christi probrum majores divitias duxisse, docet Apostolus, quàm Ægyptiorum thesauros ℽ.26. immò eum per fidem peregisse pascha, & effusionem illam sanguinis ℽ.28. Adde ad ipsos gentiles sub Veteri etiam Testamento penetrasse stricturam aliquam à populo Dei, opus esse sanguine & victimis ad placandum Numen, & dari posse translationem criminis & pœnæ à noxio capite in innoxium. Et quid habuissent eximii sacrificia Patrum Veteris Testamenti præ Paganorum hecatombis sine relatione illa ad Christum? *In materiali* enim dabatur sæpe convenientia, & apparatus sacrificiorum Paganorum æque vel magis adhuc exquisitus quandoque fuit in speciem, ac sacrificiorum oblatorum à Dei populo. Differentia ergo ex præcipuis erat *in formali* & relatione ad Mesfiam. 2. Peccatur *Elencho consequentiæ* & *paralogismo* ἐκ τοῦ ἐν μέρει, si duo non Apostoli, sed Discipuli, fascinati fuerunt opinione regni carnalis à Christo erigendi in terris, Luc.24.21. nec cogitarunt de cruce Christo subeundâ. Ergo idem sensêre Apostoli & quidem omnes. Quid si enim discipuli illi non ita pridem nomen dederint Christo, & in primo adhuc tyrocinio fuerint religionis Christianæ? Sin jam adulti fuerunt in Christi Scholâ, fascino Iudaico, & affectibus carnalibus plus nimis ab illis tributum fuisse censeri debet. 3. Peccatur

paralogismo non causa, ut causa, in exemplo Petri. Nec enim causa istius ἐπιτιμήσεως fuit ignorantia mysterii redemptionis, sed προπέτεια & θερμότης Petro ordinaria, quàm bene hic observat *Chrysostomus*, quæ hominem sæpe abripit, ut aliena ab iis etiam proferat, quæ maximè comperta habet, quia illo momento ea non revocat ad animum. Causa itaque verborum illorum, quibus Petrus intercedere vult proposito Christi, fuit impetus præceps, amor Christi carnalis, & desiderium ardens amorem illum Domino singulari quadam ratione contestandi. Sic sæpe per calorem ea dicuntur, quæ post mallemus indicta. Et sanè nisi ἀπροσέκτως Petrus hæc protulisse dicatur, haudquaquam illa conciliari poterunt cum confessione illa eximia, quam expressit paulò ante versu 16. Majestatis enim Christi cogitatio eum debuisset absterrere, ne Christo hoc vel illud molienti ullâ ratione contradiceret, vel sapientior eo esse vellet. Eadem θερμότης potest animadverti & in gladii à Petro stricti exemplo, & in eo, quod intercedit, ne Christus sibi abluat pedes. Meliores verò erant cogitationes Petri, quando & ipse Apostoli reliqui profitentur eum esse filium Dei viventis, eum habere verba vitæ, & se Christum non negaturos, si vel mors ipsis cum Christo & propter eum subeunda foret, Matth. 26.35. Et sanè cum Iohannes docuerit, Christum esse *agnum tollentem peccata Mundi* (non sublatione vel ablatione simplici, qualis ה׳ נשא sed eâ quæ est ה׳ סבל, qualem innuit Spiritus Sanctus per allusionem ad verba Esaiæ cap. 53.4. & quæ conjuncta est cum derivatione oneris in sese, ejusque gestatione) & tamen minimus in Regno Cœlorum, hoc est, eorum qui sub œconomiâ Euangelicâ vixêre, præferatur Iohanni Matth. 11.11. sequitur, non minorem, sed majorem fuisse Apostolorum cognitionem circa hoc mysterium cognitione Iohannis. Adde, Christum prænunciasse disertissimis verbis moram suam per triduum in sepulchro, Matth. 12.39.40. Iohan. 2.19.21. destructionem templi corporis sui, & Petrum graviter repreßisse intercedentem huic Dei consilio, Matth. 16.23. Adde, Petrum ipsum audivisse in monte Mosen & Eliam loquentes cum Christo περὶ τῆς ἐξόδου, *de exitu* quo debebat defungi Hierosolymis, Luc. 9.31. Sic regnum Christi spirituale & æternum Apostolis ignotum esse non potuit, qui norant ipsius divinitatem, & præconium Angeli de ea, ut de æternitate Regni Christi, Luc. 1.31.32.33. Quod ergo interdum regnum terrenum & carnale sibi imaginabantur, id ἐλπίδος erat & προπετείας, non ignorantiæ. Fatendum cæteroquin, quamvis Apostoli, ob rationes allatas, non potuerint ignorare mortem Christi, talia tamen sæpe ab illis admissa esse & dicta, quæ ostendunt, vel eos non semper cogitasse de hoc mysterio, vel eos affectibus variis carnalibus in transversum abreptos, ea præcipiti quodam impetu fecisse quandoque, vel dixisse, quæ aliena essent ab iis quæ satis habebant comperta: quemadmodum etiam in multis aliis eâdem de causâ sæpe impegêre, quæ tamen noverant esse aliena à suo officio, v. g. dum homines Christi opem poscêtes semotos, & ignem è cœlo in Samaritanos immissum volunt, & sapientiores Christo se esse censent, actiones ejus corrigendo, ne Hierosolymas ascendat, ne cibationem magnæ multitudinis exiguis

nis exiguis mediis aggrediatur, & alia id genus. An verò vel officium suum, vel sapientiam & potentiam Christi ignorabant, quam tot documentis & experimentis miraculosis quotidie constabilitam habebant? Haudquaquam sanè. Vt itaque in talibus *ἀσθένεια* fuit in Apostolis & discipulis Christi, sic etiam circa mysterium illud. Quæ infirmitatis humanæ exempla Dominus in iis exstare voluit, imbecillitati humanæ etiam sanctissimis adhærenti detegendæ, solandis Dei filiis in luctâ carnis contra spiritum, iisdem monendis, ne vel scientiæ, vel vocationi, vel donis sui confisi, se supra lapsum esse sibi persuadeant. 4. Adde, distinguenda esse tempora *pædagogia legalis* & *œconomia Euangelicæ*, huiusq; *inchoata* periodum à periodo ejus in majus *provecta*. Certum ergo, *rem* ipsam semper notam fuisse redemptionem nimirum Israelis, quippe quam Zacharias, & fideles Iudæi alii sibi pollicebantur à Messiâ, Luc.1.68.& 2.38. *modùm* tamen minùs clarè compertum fuisse ante mortem Christi quàm post eam, prout omnium futurorum cognitio minus evidens est cognitione præteritorum, & intuitione præsentium. Gradu verò superiore lucis negato, non negantur inferiores alii.

XIII. Ad 3. *Except. Resp.* I. Peccari positione *τὸ ἐν ἀρχῇ*, *modum* illum *justificationis per fidem* fuisse *personalem* Abrahæ, non *communem* Iudæis aliis piis sub Testamento Veteri. Atqui 1. Apostolus docet justitiam fidei fuisse comprobatam testimonio Legis & Prophetarum Ad Rom.3.21. 2. Non Abrahamum tantùm, sed & Davidem in remissione peccatorum justitiam hominis constituisse ostendit, vers.6.7.8. *κατὰ τὸ βίαιον*, si ne Abraham quidem & David, qui inter sanctissimos fuerunt, justificari se crediderunt per opera legis, sed per fidem, & remissionem peccatorum, multò minùs ulli alii in V. Testamento vel per opera justificari, vel id credere potuerunt. 4. Immò quum Apostolus disertè profiteatur, per opera legis neminem omninò justificari ad Galat.3.11. vel per fidem in Christum cum Abrahamo justificati fuerunt Patres, vel nullo modo ulli ex illis justificati fuerunt, adeoque nec servati, quod absurdum. 5. Quin etiam ad Rom.4.13. disertè extenditur idem modus justificationis & salutis ad semen Abrahæ, quum docet Paulus, per legem non cessisse promissionem Abrahæ, aut *semini ejus*, sed per justitiam fidei. 6. Sic c.6. Apostolus *ἀντίθεσιν* universalem statuit inter primum & secundum Adamum, & ut ab illo condemnationem in omnes qui sunt de corpore ejus derivari statuit, sic & ab isto beneficium redundasse dicitur in omnes qui sunt de corpore ejus, ad justificationem vitæ, ad Rom.5.18. II. Peccatur *paralogismo consequentia, & non causæ*, nec enim modus justificationis exactus in lege propositus fuit justificandis Israelitis, sed iis salutariter dejiciendis, convincendis, concludendis in peccato, & ad Christum Mediatorem manuducendis, ad Galat.3:24.25. III. Peccatur in allegatione loci ad Roman.3.21. *Paralogismo à dicto secundùm quid*, quia, aliud est, justitiam fidei *nunc*, hoc est, sub œconomia Euangelii esse *πεφανερῶσθαι*, aliud esse *προδεδηλῶσθαι ἁπλῶς*, ut patet ex loco parallelo de *via in sanctuarium* cœleste ad Hebr.9.8. aliud etiam, eam esse *πεφανερῶσθαι ἁπλῶς*, aliud, esse *πεφανερῶσθαι χωρὶς νόμου*, vel *sine ge-*

dagogiâ legali, vel per aliud verbum, quàm verbum legis, verbum nimirum Euangelii. *Prius* non afferitur, à Paulo, fed *posterius*; dicit enim, justitiam illam esse μαρτυρουμένην per Legem & Prophetas *Inst. Sine Lege* dici illam *justitiam esse patefactam*, eò quod nullus ejus fuerit in Lege usus, & eandem dici μαρτυρουμένην non ut præsentem, sed ut futuram, non ut destinatam Patribus V. Testamenti, sed tantùm ut destinatam fidelibus Testamenti Novi. *Resp.* 1. Peccari *fall.* ὁμωνυμίας in voce Legis, quæ interdum significat pactum merum operum, interdum Scripturam legis, sine priori manifestatam fuisse justitiam, datur, sed non sine posteriori. Immò si sine posteriori manifestata diceretur, idem affirmaret Paulus, & negaret ibidem, & sibi contradiceret, 2. Peccatur παρερμηνείᾳ phraseos, si enim de justificatione tantùm ut futurâ sermo sit, sequitur neminem ex Patribus V. Testamenti fuisse justificatum, & falsum esse, quod de Abrahamo & Davide & aliis affirmat Spiritus sanctus ad Rom.4. 3. Peccatur etiam allegatione loci ad Rom.3.21. *paralogismo divisionis*, *nunc* enim manifestata dicitur illa justitia non simpliciter, sed *in omnes & super omnes credentes*, nimirum ut non sit distinctio amplius Iudæi & Gentilis versu 22. sed ut gentiles etiam sint σύσσωμοι & συμμέτοχοι τῆς ἐπαγγελίας, ad Eph.3.6. 4. Peccatur παρερμηνείᾳ verborum Petri 1. Eph.1.10.& *Ignoratione Elenchi*, quorum sensus tantùm est, *venturam gratiam*, h.e. exhibitionem Christi in carne à Prophetis & piis aliis Regibus expetitam, Matth.13.17. Luc.10.24. & perpessiones ejus, non tempore Prophetarum, Regum & justorum illorum fuisse administrata, sed post eorum ætatem demùm, sub œconomiâ sequente Novi Testamenti, quamvis idem fructus & exhibitionis Christi, & perpessionum ejus exhibiti ad Patres redierit, qui redit ad eos, qui vel sub œconomiâ Christi exhibiti, vel post eam vixerunt. Aliud verò, *exhibitionis* Christi in carne participes fuisse Patres, aliud, *beneficiorum illius*, prius negatum fuit Patribus, non posterius, tum quia de eadem salute inquisivêre, quæ obtigit Christianis in Novo Testamento, tum quia παθήματα, tantùm Christi, & gloria consequuta negantur illorum in tempora incidisse.

XIV. Ad *Exc.* super *faciendis Resp.* 1. Falsum esse, majorem dilectionem fuisse præceptam in Testam. Novo, quàm fuerit olim præcepta in Vet. sive ex parte *objecti*, sive ex parte *modi*, vel *gradûs*, quum eadem prorsus utrobiq; designetur tum *extensivè* ratione *objecti*, tum *intensivè* ratione *modi* vel *modi*, vel *gradûs*. 2. Probatio *prima ex parte objecti* in consequens est, ob falsam *hypothesin*, Iudæos tantùm in V. Testamento fuisse *objectum* dilectionis: At ejus etiam sub Veteri Testamento objectum fuit proximus רע πλησίον, quales vocantur etiam Ægyptii, Exod.11.2. & Philistæi, Iud.14.20. Immò vox ista apud Græcos Bibliorum Interpretes respondet promiscuè vocibus latissimis γείτων, 2.Sam.3.8. ἕτερος, Gen.31.49.& ἑταῖρος, Exod.18.16. sub quâ nomenclatione omnes omninò homines comprehenduntur. Idem patet ex Levit.10.49. &c. 3. Probatio *secunda* ex parte *modi* vel *gradûs* peccat. 1. παρερμηνείᾳ verborum subjectorum, proxi-

mum

mum nobis esse diligendum, *ut nos ipsos*, nec enim verba illa accipienda κανονικῶς, sed παραδειγματικῶς duntaxat, quum iis non magis *canon* vel *mensura* dilectionis nostræ designetur, quàm Matth.5.48. & ad Ephes.5. 23. *Exemplum* verò illud æquè locum habet sub Testamento Novo, ac sub Veteri, Luc.10.27. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἐπίμετρον, nec enim *animam ponere pro fratribus*, est fratres plus diligere, quàm seipsum, sed exemplum tantùm edere summi & intensissimi actus dilectionis, quod tum demum fieri debet, ubi id vel gloriæ Dei, vel salutis proximi ratio exigit, ut ex exemplo Christi patet, 1.Iohan.3.16. Idem verò nobis faciendum, ubi salus nostra id exigit, & vita caduca profundenda, ut obtineatur æterna.

XV. III. *Arg. è natura subjecti* ducitur ex *causâ* ejus *formali*: Constans est harmonia & idem sensus Scripturæ Vet. & N. Testamenti: Ergo si ista pertinet ad Christianos, & illa pertinebit, & ex æquo ex utraque tum fidei dogmata, tum vitæ instituta peti debent & probari. *Consequ.* patet. *Antecen.* probari potest ex collatione generali *credendorum* & *faciendorum*, *præceptorum* & *promissorum*. Quamvis enim differentia intercedat circa τὸ πῶς, consensus tamen est circa τὸ ὅτι, nec mutatio quædam in iis, quæ sunt ἐπουσιώδη, tollit identitatem eorum quæ sunt οὐσιώδη, nec gradus claritatis majoris minorisve mutant speciem.

XVI. *Exc.* 1. Contradictiones dari frequentes inter Vetus & Novum Testamentum, sive in *nominibus*, sive in *numeris*, sive *parallelis* è Veteri Testamento eductis, & alio planè sensu allegatis in Novo. 2. Deum unum in Veteri Testamento revelari, trinum in Novo, accessum ad Deum sine Christo in Veteri, per Christum in Novo Testamento proponi. 3. Præcepta de cultu Dei alia tradita esse in Veteri, alia tradi in Novo Testamento. 4. Promissa Veteris Testamenti alia fuisse, alia esse in Novo, ibi vitam temporalem promitti, hîc æternam. 5. Eo ipso, quia datur harmonia & sensus idem in utraque Scripturâ, alterutram supervacuam statui, & Veteris potiùs Testamenti dimittendam, quàm Novi, quippe quæ & plenior est & clarior.

XVII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. ἀρνητικῶς, per negationem, veras ullas contradictiones dari inter Testamentum utrumque, quod falsum, distinguenda enim ea quæ ἐναντιοφανῆ ab iis quæ ἀντιφατικά. 2. Συγχωρητικῶς, dato, irrepsisse σφάλματα quædam ejus generis in Codices sacros utriusque Testamenti, nullo Scriptorum sacrorum vitio, sed merâ librariorum & temporum incuriâ, id tamen non nisi in *nominalibus & numeralibus*, hoc est, in nominis vel numeri unius positione pro alio, haud quaquam verò in fundamentalibus fidei articulis urgeri posset, & singularis Dei providentia intercessit, cavitq; ne tale quid in ea, quæ *dogmatica* & necessarios fidei articulos concernunt, irrepserit. 3. Τὸ ἐν αἰτίᾳ, *loca parallela* è Veteri Testamento allegata, in Novo alio planè sensu allegari, nec intento ab autore locorum, nec latitudine verborum ipsorum comprehenso, nec in scopo & ἀκολουθίᾳ textûs, vel circumstantiis aliis id genus fundato, quod dicitur, non docetur.

XVIII. Ad 2. *Exc Resp.* Τὸ ἐν ἀρχῇ, Deum vel unum personis in Veteri, vel trinum essentiâ in N. Testamento proponi, immò utrobique idem Deus unus essentiâ, trinus personis proponitur, ut ex utriusque Testamenti collatione clarissimè patet, 2. Τὸ ἐν ἀρχῇ etiam, accessum ad Deum sine Christo & fide in ipsum proponi in Testamento Veteri contrarium patet exemplo *Abrahami* Ioh.8.56. *Iobi*, cap.19.25. *Danielis*, cap.9.17. aliorum etiam sanctorum analogicè, ut patet ex cap. 11. ad Hebr. & ex generali axiomate Petri, Act.15.11. nos credere, nos per gratiam Iesu Christi servandos ut Patres. Adde verba Psal.11.12. quibus osculum quod subjectionis & venerationis signum inter Veteres, Genes.41.4. 1.Sam.10.1. fuit, filio exhibendum præcipitur.

XIX. Ad 3. *Exc. Resp.* Peccari paralogismo *à dicto secundùm quid*, præcepta de cultu Dei ἁπλῶς alia in Veteri tradita fuisse, alia in Novo Testamento, quoad genus *cultus moralis*, quamvis alia tradita fuerint ἐπιτακτικῶς in Veteri, quoad genus *cultus ceremonialis*, quippe quæ symbolica tantùm fuerunt, & pædagogica usque ad tempus διορθώσεως Idem verò utrobique *objectum* cultus & eadem ejus substantia proposita fuit.

XX. Ad 4. *Excep. Resp.* Τὸ ἐν ἀρχῇ, promissa tantùm de vita temporali proposita fuisse in Veteri Testamento: Contrarium invictè patet ex collatione locorum Lev.18.5. & Luc.18.25.26.27.28. consideratâ conformitate inter interrogationem propositam Christo à Legis perito, & responsionem Christi. Adde, fundamenta ex Dei promissionibus, & naturâ fœderis, & ex fide Patrum fidelium, ad Hebr.11.10. exspectantium civitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus ostendentium se patriam requirere potiorem, hoc est, cœlestem, urbem quam Deus iis paraverat, vers.14.15.16. & intueri præmii retributionem oppositam temporariæ fruitioni commodorum terrenorum, vers.25.26. Nec sine apertâ in Deum blasphemiâ, & in Patres Testamenti Veteris contumeliâ oppositum statui potest. Immò non alia fidelibus Veteris Testamenti felicitas proponitur, quam accubitus cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo, Matth.8.11. & receptus in sinum Abrahæ, Luc.15.2. *Instant.* At nulla expressa in Vet. Testamento vitæ æternæ mentio. *Resp.* 1. Peccari *paral.* παρὰ τὸ ὁμώνυμον; satis enim, vitæ mentionem absolutè occurrere, Levit.18.5. Prover.8.32.21. Ezech.20.11.13.21. Malach.11.5. sub quâ utique comprehenditur, & per quam antonomasticè designatur vita æterna, quippe quæ longè potior vita est. 2. Peccari Elencho *à dicto secundùm quid*, quamvis enim αἰώνιος non occurrat: occurrit tamen κατ' ἰσοδυναμίαν, dum Scriptura meminit *salutis*, Genes.49.18. Psalm.50.23. & 91.16. & *omnis salutis*, Psalm.68.20.21. *beatitudinis*, Psal.1.1. & 144.15. & aliorum id genus.

XXI. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, ex harmonia & consensu utriusque Testamenti sequi, alterutrum supervacuum esse, immò utrumque & mutuam sibi lucem fœneratur, & ad fidei nostræ κατάληψιν facit, ad Phil.3.1. 2. Adde, præter τὰ δογματικὰ & ἠθικὰ, eadem cum iis quæ habentur in Novo Testamento, ἱστορικὰ multa dari in Testamento Veteri utilissima Ecclesiæ Novi Testamenti.

XXII.

XXII. IV. *Arg. è naturâ subjecti* ducitur ex *causâ* ejus *finali*. Finis Scripturæ Veteris Testamenti est manuductio ad Dei gloriam, & filiorum Dei εὐπραξίαν simul ac εὐζωΐαν. Ergo ad Christianos pertinet, & ex ea tum *fidei dogmata*, tum *vitæ instituta* peti debent & probari. *Conseq.* patet. *Anteced.* probari potest ex tota contextura Testamenti Veteris, quæ ubique Dei tum sanctitatem, tum majestatem proponit, hominem excitat ad Dei adorationem & cultum modum ejus præscribit, & finem addit, nimirum adorati gloriam, & adorantis felicitatem.

XXIII. *Exc.* 1. Humana scripta multa eundem finem habere, nec tamen ob id regulam esse fidei & vitæ. 2. Judæos ad utrumque illum finem adductos fuisse per Veteris Testamenti olim, non Christianos, ut gentiles, cùm talibus statuta & jura Dei non fuerint proposita, Ps.147.19. 20. Hos verò ad eosdem fines manuduci per Testamentum N. 3. εὐπραξίαν aliam fuisse olim Judæorum aliam nunc esse Christianorum, ut & εὐζωΐαν aliam; illis in *cultu ceremoniali*, & in terra Canaan, istis in *cultu morali*, & in Canaan cœlesti.

XXIV. Ad 1. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho parium*, humana enim scripta id præstant λειτουργικῶς tantùm, & ὑπουργικῶς. *secundariò & reductivè*. Scripta verò Veteris Testamenti æquè ac Novi id præstant κανονικῶς & αὐθεντικῶς. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. κατὰ τὸ βίαιον, eo ipso quo Christiani ad eosdem fines manu ducuntur per Novum Testamentum, ad quos manuducti fuerunt Iudæi per Testamentum Vetus, falsum, vel vitam terrenam duntaxat in Paradiso exigendam Adamo, vel in terra Canaan Patribus Veteris Testamenti propositam fuisse. 2. Peccatur Paralogismo *à dicto secundùm quid*, quamvis enim Iudæis solis, paucis proselytis exceptis, propositum fuerit Testamentum Vetus sub œconomia Veteri, ista tamen restrictio ad tempus duntaxat durare debuit, & idem privilegium ad gentes etiam vocatas ad communionem ejusdem fœderis extensum fuit sub œconomiâ Testamenti Novi quod docet, quæ ante scripta fuère ea ad nostram doctrinam ante scripta fuisse, ad Rom.15.4. & 1.Cor.10.11. Nec enim in eo vel sub eo distinctio Iudæi & Græci. ad Gal.3.28. & ex quavis gente Deo acceptus est quivis, qui eum timet & operam dat justitiæ, Act.10.35. 3. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. ἀπὶ τικῶ, diversam fuisse εὐπραξίαν imperatam olim Iudæis diversam eam quæ imperatur Christianis, quoad ea quæ essentialia & fundamentalia in ea, & concernunt *genus morale*, quippe quod solum essentiale & fundamentale. 2. Peccatur *falsâ hypothesi*, εὐζωΐας in terra Canaan duntaxat propositam fuisse patribus in Veteri Testamento, quod falsum, immò per figuras & umbras illas manuducti illi symbolicè fuerunt *ad Patriam & meliorem civitatem* ad Hebr. 11. 10. 13. 14. prout omnia spiritualia illis symbolicè proposita & tecta fuère cortice & velo rerum materialium.

XXV. His argumentis *è naturâ subjecti* ductis, accenseri possunt argumenta varia alia partim ab *adjunctis* Scripturæ V. Testam. v. g. à *perfectione, æternitate*, & *immutabilitate* ejus ducta, partim ab ejus *effectis*, exhilaratione animæ, illuminatione oculorum & aliis id genus, quæ Psal.19. & 119. &

I

locis aliis parallelis prolixè deſcribuntur. Sed ſuperiora ſufficere poſſunt cum iis quæ edecumabimus compendio *è naturâ prædicati*.

XXVI. *Arg.* 1. *è Naturâ prædicati* eidem rei demonſtrandæ duci poteſt à *connexo neceſſario*, vel ab *antecedente ad conſequens*. Vet. Teſtamenti Scriptura ſcripta eſt ad uſum fidelium ſub Novo Teſtamento, & ſine eo Nov. Teſtamentum plenè intelligi non poteſt: Ergo ad eos pertinet, & ex ea tum *fidei dogmata*, tum *vitæ inſtituta* illis petenda ſunt & probanda *Conſequ.* patet; *Antec.* probatur, tum quia Chriſtiani paſsim ad illam remittuntur à Chriſto, Luc. 24. 44. Ioh. 5. 46. & 10. 34. tum quia increpantur à Chriſto ob ejus neglectum, Luc. 24. 25. tum quia quæ evenerunt patribus, ad noſtri admonitionem ſcripta eſſe docet Paulus, 1. Cor. 10. 11. tum quia & mandata, & promiſſa, & typi, & exempla Veteris Teſtamenti proponuntur paſſim Chriſtianis in Novo, & ad illos applicantur, Luc. 10. 26. 28. ad Hebr. 8. 10. 11. 12. Iohann. 3. 14. 1. ad Corinth. 10. 6. ad Roman. 4. 1. 2. 3. Iac. 2. 8. 21. tum quia Prophetæ dicuntur nobis ea adminiſtraſſe quæ nunc annunciata ſunt, 1. Petr. 1. 12.

XXVII. *Exc.* 1. Iudæos tantùm à Chriſto ad Scripturam Veteris Teſtamenti remitti, & ob ejus neglectum perſtringi. 2. 1. ad Cor. 10. 11. ſermonem eſſe tantùm de caſibus quibuſdam ſingularibus, quales in antecedentibus deſcribit Apoſtolus, non verò de tota Veteris Teſtamenti Scriptura. 3. Illa ipſa quæ Chriſtianis proponuntur è Veteris Teſtamenti quantum ſatis eſt, in Veteris Teſtamenti exſtare, & ei inſerta eſſe, quæ Chriſtianis utilia eſſe poſsint.

XXVIII. *Ad* 1. *Exc. Reſp.* Peccari *falsâ hypotheſi*, Iudæos tantùm remitti ad Scripturam Veteris Teſtamenti à Chriſto, Iudæos ad illam remitti, certum eſt, Iudæos tantùm falſum. 2. *Per retorſionem*, ſi Judæi ad Scripturam Veteris Teſtamenti remittuntur: Ergo, & nos, quia ad eam remittuntur non quà Judæi, ſed quà ſive in fide Chriſti, & de ea inſtituendi, ſive in ea confirmandi, & quæ hic Judæorum ratio, ea etiam Chriſtianorum. Immò ſi Iudæi propter neglectum Scripturæ Veteris Teſtamenti impegerunt, & eo nomine perſtringendi erant, eâdem de causâ etiam nos impingimus & perſtringendi ſumus, ſi ea à nobis negligatur. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo quo caſus quidam ſingulares *in Veteri Teſtamento* noſtro bono ſcripti ſunt, tota Scriptura Veteris Teſtamenti non rejicienda, ſed ſecundùm aliquam ſaltem ſui partem cognoſcenda eſt, ad caſuum illorum convenientem cognitionem & applicationem. Sin è Chriſtianorum manibus excutiatur, caſus illi ab iis nec cognoſci ritè poterunt nec applicari. 2. Retorquetur idem à *pari*, vel à *minori*; ſi caſus illi ſingulares nobis cognoſcendi: Ergo & ſimiles alii, immò & alia multa *dogmatica*, quæ non parem tantùm ſed & majorem uſum habere poſſunt. 3. Quod hic dicitur μερικῶς de parte Scripturæ Veteris Teſtamenti, id extenditur ὁλικῶς ad totam ejus Scripturam, ad Rom. 15. 4 & II. ad Tim. 3. 15. 16. 17. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, multa enim ſtrictim tantùm allegantur in Novo Teſtamento quæ uberiùs petenda ex Veteri, ad quod hac ratione remittimur. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo quia talia quæ nobis utilia.

utilia esse possunt, inseri Nouo Testamento Deus voluit, eorum originem & rationem etiam cognosci voluit ex Veteri.

XXIX. *Arg* II. *E natura prædicati*, duci potest à connexione necessariâ *definitionis & definiti*. Scriptura V. Testamenti est canon fidei & vitæ fidelium sub N. Testamento: Ergo ex ea tum fidei dogmata, tum vitæ instituta à Christianis peti debent & probari. *Antec. prob.* per partes. 1. de *Fide*, Scriptura V. Test. continet αὐθεντικῶς totum Dei consilium de nostra salute: ergo est canon fidei nostræ. *Consequ.* patet, *Antec.* probatur ex collatione locorum; Act.20.27. & 26.22. quæ docent totum Dei consilium de nostra salute contineri in Mose & Prophetis. 2. De *vita*, Scriptura V. Testamenti perfectam Dei proximique dilectionem imperat & præscribit: Ergo est canon vitæ nostræ. *Conseq. prob.* quia omnia vitæ nostræ officia ad duas illas partes referuntur. Matth. 22.37.38.39.40. *Antec. prob.* ex Deut. 6.5. & Levitic. 19.18.

XXX. *Exc.* 1. Si V. Testamentum sit canon fidei & vitæ, integrum esse debere, aliâs nec canonem fore, nec integram fidem ex eo haberi posse: si verò sit canon integer, N. Testamentum canonem non fore fidei & vitæ nostræ, vel duos canones eius fore, quorum utrumque absurdum. 2. Multa credenda in N. Testamento proponi, non contenta in Veteri, v. g. Trinitatem personarum & processionem Spiritûs S. à Patre & filio, complementum exhibitionis, mortis, resurrectionis & ascensionis Christi, Sacramenta Testamenti Novi, immortalitatem animæ, resurrectionem corporum, mistionem sanguinis Testamenti cum aqua, depositionem urnæ & virgæ in arca, Michaëlis & Satanæ disceptationem super corpore Mosis, & alia id genus. 3. Paulum tantùm testari, Act.26.22. se nihil docuisse *contra* Mosen & Prophetas, quippe quod Iudæi ipsi impingebant, & de quo controversia erat, non verò se nihil docuisse *vltra & citra* Mosen & Prophetas, 4. Non dicere Paulum, nihil se docuisse extra ea *quæ scripserunt* Moses & Prophetæ, sed extra ea *quæ* futura *prædixerunt*. 5. Peccari à nobis *fallaciâ divisionis*, nec enim verba Pauli Act.26.22. dividenda esse à v.23. sequente, ibi verò docere Paulum, quâ in re nihil dixerit extra ea quæ Moses & Prophetæ futura prædixerunt: nimirum *Christum fuisse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annuntiaturum huic populo & gentibus*. Hoc verò non obstare, quo minus alibi multa ab his diversa, extra Mosen & Prophetas docuerit.

XXXI. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *per concessionem*, Vetus Testamentum Canonem integrum esse, eâ nimirum integritate, quæ illi propria est, nempe *quoad* doctrinæ reuelatæ *substantiam*, etsi non *quoad omnem* eius reuelatæ *modum & latitudinem*. 2. *Per negationem*, ob id Nouum Testamentum Canonem non fore, quia πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος talis est, 2. ad Timoth. 3.16 & quia quamvis Canon Veteris Testamenti integer fuerit respectu Ecclesiæ Iudaicæ, cui hic solus canon datus est ante Christi ἐνσάρκωσιν, respectu tamen Ecclesiæ Christianæ integer non est *exclusivè* quippe cui præter canonem Veteris Testamenti Novi etiam canon datus fuit. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. sic duos canones fore, quia idem manet

canon Veteris & Novi Testamenti, quum eadem utriusque sit substantia, adeoque utrumque Christianis pro Dei verbo ex æquo agnoscendum. *Institut.* Immò satis erit Novi Testamenti canonem Christianos habere, habebunt enim eo ipso etiam substantiam veteris. *Respond.* 1. Peccatur *Elencho consequent.* cùm uterque à Deo datus sit, & uterque ad alterius cognitionem, & fidei vitæque nostræ directionem faciat, quamvis uterque perfectus sit, eo perfectionis gradu, qui in unoquoque ex illis requiritur. 2. *Falsâ hypothesi*, satis esse, haberi substantiam Veteris Testamenti, ubi tota ejus forma & contextura haberi potest.

XXXII. Ad 2. *Exc Resp.* 1. Peccari *Elencho parium*, & *fallacia plurium interrogationum*, confunduntur enim dogmata fidei, cum iis, quæ talia non sunt, illa necessaria ad salutem creditu, ista non item, qualia sunt mistio aquæ & sanguinis in aspersionibus, urnæ & mannæ depositio in arca, pugna Michaëlis, & Satanæ super corpore Mosis. Qualia etiam sunt aspersiò libri legis ad Hebr.9.19. nomina Magorum, quæ 2.ad Timoth.3.8. & id genus. Quamvis itaque concedatur συγχωρητικῶς, talia non exstare in Scriptura Veteris Testamenti, tamen nec nomen canonis, nec ejus perfectio ob id illi denegari debet. 2. *Resp.* ἀρνητικῶς, illa ipsa nullo modo exstare in Scriptura Testamenti Veteris. Quamvis enim non exstent αὐτολεξεὶ, exstant tamen κατὰ παρακολουθίαν quantum satis. 1. Mistio sanguinis & aquæ *à posteriori* inferri potest tum ex aspersione, cui non locus, nisi sanguis temperetur aquâ, quum sanguis solus statim concrescat in grumos, tum ex aspersione ingentis multitudinis, quæ fieri commodè non poterat, sine augmento etiam aquæ. 2. Sic disceptatio Michaëlis & Diaboli super corpore Mosis aliqua ratione colligi potest ex Deuter.34.6. ex eo quod Deus ipsum sepultum voluerit immediatè in loco incognito vallis, ne nimirum populus eo ad adorationem vel superstitionem uteretur, diaboli instinctu, qui id præstare in eos usus volebat, & venerationem Mosi viventi exhibitam vertere in materiam idololatriæ erga mortuum. 3. In exemplo de depositione urnæ & virgæ in arcâ peccatur παρερμηνείᾳ verborum Apostoli, & *fallaciâ figuræ dictionis*, nec enim illa *in arca* dicuntur reposita ab Apostolo, sed *in tabernaculo*, eò enim referendæ voces ἐν ᾗ, ad σκηνὴν nimirum, non ad κιβωτὸν, quamvis istud subjectum propius sit, nec enim id perpetuum, ut patet ex loco parallelo, 2.ad Thess.2.9. Ratio peti potest ex collatione locorum, 1.Reg.8.9. & 11. 2.Paral.5.10. Adde phrasin ἐν ᾗ latiùs posse intelligi de eo quod *juxta* vel *propè* arcam vel *à latere* arcæ, collocatum erat, sic urna posita dicitur *antè conspectum Iehovæ*, Exod.16. versu 34. & virga Aaronis *coram Iehova* in tentorio testimonii, Numer. 17.10. Quæ significatio promiscua est ex latitudine ה ב Hebræorum, cujus exempla frequentia. Nec malè observatum ab eruditis interpretibus, circa vela, candelabra, mensas, & alia id genus diversa dici in commemoratione structuræ tabernaculi diversa in commemoratione structuræ templi, unde ἀντιλογίαι nullæ fingendæ ex iis quæ [illegible] tantùm.

XXXIII.

XXXIII. Ad *dogmatica* quod attinet, eâdem exceptione secundâ contenta *Resp.* 1. Peccari *falsa hypothesi*, ea non exstare in Testamento Veteri, quamvis non eo gradu lucis quo exstant in N. Testam. Sic Trinitas personarum in Veteri Testamento satis proposita pro temporum illorum ratione, quæ obscuriora Deus esse voluit & iis similis esse *lucis gratiæ* sensim sese promoventis augmentum, quale est *lucis naturæ*, paulatim se, & quidem cum incremento, inserentis Hemisphærio nostro, reservata luce pleniore temporibus Messiæ, tum ut illa splendidiora essent, tum ut majori animorum ardore Dei populus ad ea anhelaret, & à Messia de omnibus edoceretur, quod à Iudæis creditum fuisse vel Samaritanæ verba docent, Ioh. 4.25. In Veteri tamen Testamento Trinitatem, & ὁμοούσιαν simul personarum, ut & processionem Spiritus Sancti propositam fuisse, quantum exigebat temporum illorum œconomia, in disputationibus sequentibus, favente Deo, demonstratum ibimus. 2. Ad animæ immortalitatem quod attinet, satis illa probari potest ex natura fœderis divini, & ex eo toto cultu religioso, ejusque fine & fructu, & ex Eccles. 12.9. & ex conscientiæ sensu, & ex aliis id genus argumentis. 3. Τὸ ἐν ψυχῇ, negare enim Resurrectionem corporum doceri in Veteri Testamento, est in probationem Christi incurrere quæ Matth. 22. quæ vel solida & habemus institutum, vel non, & blasphemiâ conspuitur Dominus. Adde locum Daniel. 12.2. 4. Peccatur *falsa hypothesi*, nec enim complementum œconomiæ Euangelicæ in Christi exhibitione in carne, & iis quæ eam consequuta sunt vel exstare poterat in Testamento Veteri vel debebat, eo ipso quia Vetus erat, & de Christo exhibendo agere debebat, non de exhibito. Satis verò, œconomiam illam ex collatione tum prædictionum Veteris, tum eventuum N. Testamenti confirmari. 5. In ἀσάφει à Sacramentis, peccatur. 1. *Falsa hypothesi* duplici 1. Ea esse *dogmata* fidei, quum sint *ritus* duntaxat sacri dogmatibus *significandis*, *obsignandis*, & eorum πιστώσει *exhibendo* destinati. 2. Debere in Veteri Testamento exstare Sacramenta Novi, satis enim, in eo exstent Sacramenta Veteris. 2. Immò τῷ ῥητῷ εἶναι, in ipso Testamento Veteri exstant & natura Sacramentorum Testamenti Novi, & res signata, & signa analoga, ex quibus nostrorum Sacramentorum natura probari & illustrari potest. Immò nostra sacramenta Patribus tribuit Paulus 1. ad Corint. 10. 1. 2. 3. 4. ut & illorum Sacramenta nobis ad Coloss. 2. 11. 1. ad. Cor. 5. 7.

XXXIV. Ad 3. *Exc. Resp* 1. ἀρνητικῶς, *per negationem*, Paulum tantùm testari, se nihil docuisse *contra* Mosen & Prophetas, immò disertè dicit, se nihil testari ἐκτὸς, *extra* ea, quæ Moses & Prophetæ dixerunt facienda. At hæc diversissima sunt; Qui enim *ultra* & *citra* rem testantur, non semper testantur *contra* rem: at qui ita testantur, semper testantur *extra* rem. Aliud itaque, nihil testari ἐκτὸς τῶ νόμυ, aliud nihil testari κτ τῶ νόμυ. 2. Συγχωρητικῶς, per *concessionem*. *Vltra* & *citra* Mosen testari est *contra* Mosen testari quoad *doctrinæ substantiam*, quia legi nec addendum, nec detrahendum, & in rebus fidem spectantibus adhærendum strictè legi & te-

stimonio, nec deflectendum vel ad dextram, vel ad sinistram. Sic in *dogmaticis* nihil non tantùm *contra*, sed nec *citra*, vel *ultra* evangelium, vel ab Apostolo etiam, aut Angelo è cœlo evangelizandum, ad Gal.1.8.9. *Inst*. Paulus id crimen à se amolitur verbis illis, cujus à Judæis reus peragebatur, doctrinam nimirum contrariam Mosi & Sabbatho à se proponi *Resp*. 1. Συγχωρητικῶς, Paulum istud à se amoliri, quod eo ipso præstat quia docet, se nihil testari *extra* Mosen & Prophetas, 2. ἀρνητικῶς, Paulum tantùm hoc testari, immò plus testatur, non tantùm se non adversam Mosi & Prophetis doctrinam tradere, sed nec diversam ab iis, nec enim tantùm contrarius censebatur Doctor Mosi & Prophetis, sed & novitiæ doctrinæ præter Mosaicam, & *hæreseos Nazareorum* προστάτης Act.24.5.

XXXV. Ad 4. *Exc. Resp*. 1. Peccari παρωνυμίᾳ verbi λαλεῖν quod *genericum* quandoque, non *specificum*, & designat quemvis modum aliquid exprimendi. Vnde apud LXX. verbo דבר respondent ex æquo verba λαλεῖν, σημαίνειν, ἀναγγέλλειν. Dan.7.℣.8. Gen.21.7. & Prov.6.13. Sic נבא exponitur per προφητεύειν & λαλεῖν, & tamen scripto id ipsum sæpe factum. Sic הגיד, quod est *in genere* ἀναγγέλλειν, vertitur etiam λαλεῖν. Sic ענה illis est & μαρτυρεῖν, & λαλεῖν & in genere, hinc etiam τῷ חזה respondet, quod est simpliciter ἐπιτηρεῖν & προστάττειν. Illud ipsum itaque λαλεῖν potest quandoque pro rei subjectæ naturâ sub se continere quosvis aliquid significandi, annunciandi, & prophetandi modos. Sic *Ciceronem*, *Virgilium* hoc vel illo modo loqui dicere consuevimus. 2. Peccatur *Elencho oppositorum*, quasi τὸ λαλεῖν in sacris opponatur τῷ γράφειν, vel quasi ista contradistinguantur inter se, quod falsum, nam prophetis λαλιὰ tribuitur & φωνὴ, lex dicitur loqui, 1. ad Cor.9.8. & 14.34. Immò si τὸ κράζειν & τὸ προφητεύειν possunt referri ad scripta Esaiæ, ad Rom.9.27.28. cur non etiam τὸ λαλεῖν ad legis & Prophetarum scripta? sic ad Heb.1.℣.1. Patribus Deus dicitur *loquutus*, adhibito verbo λαλεῖν, & tamen etiam per scripta Prophetarum. 3. Peccatur *paralogismo non causæ*. Nec enim causa, cur *loquutionis* potiùs quàm scriptionis Prophetarum meminerit Paulus, est, quod design atum vellet, respondere testimonium suum iis potiùs quæ à Prophetis dicta quàm iis quæ ab iisdem scripta forent, sed libertas Spiritûs S. pro arbitrio sensa sua efferendi, promiscuus phrasium illarum usus, & designatio moris Prophetarum, quippe quibus solemne erat, primò eloqui ea quæ post scripto consignabant. 4. Per locutionem verò Mosis & Prophetarum Paulum intellexisse scripta à Mose & Prophetis patet *apodicticè* ex *scopo* Pauli, qui erat iis, quib. cum ipsi intercedebat controversia, se purgare à suspicione tum contrarietatis, tum novitatis omnis doctrinæ suæ, traductæ inter Judæos velut *adversæ* Mosi & Prophetis, vel *diversæ* saltem ab iis. Atqui si ad dicta à Mose & à Prophetis, contradistincta eorum scriptis, duntaxat se referret, & non ad scripta eorum. 1. Qui poterat aliquâ probabilitatis specie ad ea provocare, de quibus non amplius constabat? 2. Judæis proclive fuisset excipere, doctrinam ejus *aliam* saltem esse à scriptis à Mose & Prophetis. Certum itaque, vel Apostolum frustra verba ista protulisse, aut insufficienter suum probasse institutum, quod blasphemum, vel cum scripta à

Mose

Mose & Prophetis intellexisse, quæ in Judæorum manibus erant, & cum quibus doctrina Euangelica à se tradita poterat conferri. 5. Supponitur etiam *falsa hypothesis*, *substantiam* aliam esse eorum quæ à Prophetis dicta fuerunt, aliam eorum quæ ab iisdem fuerunt scripta. Atqui illa ipsa quæ dicta ab illis fuerunt, fuerunt etiam scripta, Exod.34. vers.27. Deut.31.19. 22. Esa.36.9. Ierem.30.2. & 36.1. & 18. 27. 6. Dicta etiam à Mose & Prophetis de scriptis eorundem intelligenda esse, patet ex ἀκολουθίᾳ consequentium, subjicit enim Paulus vers.23. immediatè sequenti, qualia illa sint, quorum nomine potissimùm in jus vocaretur, quæ tamen à Mose & Prophetis prædicta fuerint jam olim, nimirum doctrina de Christo passuro & resurrecturo, & vocatio tum Iudæorum tùm Gentium per eum, quæ ipsa sanè scripto à Mose & Prophetis consignata fuêre.

XXXVI. Ad 5. *Except. Resp.* 1. Per *concessionem*, dato, non concesso, de illis tantùm sermonem institutum à Paulo, retorqueri tamen posset id ipsum κατ' ἰδίαν, inde enim sequetur, nihil à Paulo dictum fuisse, quod non scriprum exstet in Mose & Prophetis. 2. Per *negationem*, de illis tantùm verba ista intelligenda esse, neque enim ea proponuntur *exclusivè*, tanquam tota doctrina Pauli, sed *inclusivè* cum articulis aliis à Paulo annuntiatis. Intelligenda itaque sunt μερικῶς non ὁλικῶς, παραδειγματικῶς, non ἀποτόμως. Ratio invicta ei rei probandæ duci potest *à scopo* Pauli, qui fuit se purgare à suspicione doctrinæ omnis, vel *adversa* Mosi & Prophetis, vel *diversa* ab iis. Hoc verò haudquaquam poterat consequi, nisi totam suam doctrinam testatus esset esse conformem Mosi & Prophetis. Frustra enim jactasset consensum ejusmodi in aliquibus, si dissensus ipsi potuisset objici in aliis. Nec sic retudisset plenè calumniam sibi impactam. 3. Immò quia articuli illi à Paulo de Christi morte, resurrectione, & vocatione Judæorum & gentium traditi, admitti debebant & credi à Iudæis, eò quod conformes essent Mosi & Prophetis, reliqui etiam ab eodem traditi iisdem debebant esse conformes, aliâs Judæis non potuissent persuaderi, quippe qui hærere se profitebantur Mosi & Prophetis, & semper locus fuisset exceptioni & calumniæ. 4. Peccatur etiam ab ipsis Adversariis, illo, quem nobis impingunt sine causa, *Elencho divisionis*, quia *antecedentia* dividunt à versu.22. ex quibus constat, Paulum non tantùm hos articulos proponere, ut conformes Mosi & Prophetis, sed & totam spem promissionis factæ patribus, ob quam stabat in judicio coram Agrippa versu 5. & omnia sibi commissa à Deo ℣. 16. & à se anuntiata Damasci, Hierosolymis, & in omni regione Judææ, & prædicata à se gentibus, quorum causâ comprehensus fuerat à Judæis, & ad necem postulatus. Nisi enim ista omnia ostendisset esse conformia Mosi & Prophetis, haudquaquam à se amolitus fuisset crimen; ob quod ad tribunal protractus fuerat.

XXXVII. *Arg.* III. *E Natura prædicati*, ducitur ab *Exemplo* Christi, Euangelistarum & Apostolorum. Christus, Euangelistæ & Apostoli ex Scriptura Veteris Testamenti *dogmata fidei & instituta vitæ* petierunt probaruntque Ecclesiæ N. Testamen. Ergo ea ad Ecclesiam N. Testam. pertinet, & à Christianis illorum exemplo eadem ex ea peti debent & probari.

XXXVIII. *Exc.* 1. Chriſtum, Euangeliſtas, & Apoſtolos fuiſſe actos à Spiritu Sancto & infallibiles ac αὐτοπίστους, nos non item. Aliam itaque illorum, aliam noſtri rationem eſſe. 2. Non omnia Chriſti, Apoſtolorum & Euangeliſtarum facta nobis imitatione exprimenda eſſe, aliâs nobis etiam eſſe calcandas undas, lotionem pedum retinendam, ceremonias multas Iudæorum reuocandas, ſcribenda Euangelia, & Epiſtolas Canonicas. 3. Idem poſſe retorqueri contra nos, eo ipſo enim quia Chriſtus, Euangeliſtæ, & Apoſtoli ex V. Teſtamento perierunt & probarunt fidei dogmata, non opus eſſe id hodie à nobis fieri: vel enim id ab illis, quantum ſatis, factum eſſe, & ſic non opus, nos id facere, vel non, & ſic per blaſphemiam perſtringi Chriſtum & Sanctos Dei viros.

XXXIX. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim ex αὐτοπιστίας vel infallibilitatis defectu ſequitur, non licere nobis fidei dogmata vel petere vel probare è Scriptura Veteris Teſtamenti, quum nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Euangeliſtæ id occuparint apud eos, à quibus haberentur pro αὐτοπίστοις & infallibilibus, quin potiùs id fecerunt apud illos à quibus non habebantur pro talibus, immò à quibus inſimulabantur falſæ doctrinæ, & corrupti cultus diuini. Quin ſi pro αὐτοπίστοις & infallibilibus Doctoribus habiti fuiſſent, non opus fuiſſet, illos allegare ſcripta Moſis & Prophetarum, authoritati & fidei doctrinæ ſuæ conciliandæ. 2. κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo quia nos non αὐτόπιστοι ſumus, nec infallibiles, opus habemus citatione τῶν αὐτοπίστων & infallibilium, qualia ſunt non tantùm ſcripta N. ſed etiam V. Teſtamenti. *Inſt.* Citata è Veteri & inſerta Novo ſufficere. *Reſp.* Peccari *Elencho ex particularibus*, verum enim id ἐν μέρει in aliquibus, & apud aliquos, falſum καθόλου, in omnibus & apud omnes, V. G. quando vel de materia ſermo eſt, non ita clarè expreſſâ in Teſtamento Novo, vel cum iis nobis negotium, qui Novi Teſtamenti autoritatem non admittunt.

XL. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, omnes Chriſti, vel Euangeliſtarum, aut Apoſtolorum actiones imitatione nobis exprimendas eſſe, immò quum *actiones* illæ *duûm generum* ſint, quædam *propria & particulares*, *communes* aliæ, iſtæ imitationi noſtræ expoſitæ ſunt, illæ haudquaquam. Ex illarum genere ſunt actiones Chriſti θεανδρικαὶ & *miraculoſa*, ut & actiones Euangeliſtarum & Apoſtolorum *reduplicativè*, quâ talium qualis eſt canonicæ Scripturæ productio. Ex iſtarum genere ſunt illæ, quæ nobis vel à Chriſto ad imitationem propoſitæ, vel ab Euangeliſtis & Apoſtolis aut imperatæ, aut præſtitæ, non *reduplicativè* quâ illi tales ſed *ſpecificativè*, quâ Chriſtiani fuerunt & fideles. 2. Peccatur *fallaciâ plurium interrogationum*, diverſa enim eſt exemplorum objectorum ratio. Ceremonias multas Iudaicas Apoſtolis obſervare licebat, nobis non licet, quia illo tempore, quo ab iſtis obſeruabantur, *mortuæ* quidem erant, *mortiferæ* non item, noſtro non *mortuæ* tantùm ſunt, ſed & *mortiferæ*, Vnde hîc peccatur *Elencho parium*. Sic ablutionis pedum ratio alia. Nec enim ceremonia illa imperata *quoad ſpeciem*, ſed *quoad genus* tantùm, non magis quàm oblatio muneris ſuper altari, Matth. 5. 23. 24. vel unctio capitis, vel ablutio faciei

tempore

tempore jejunii, Matth.6.12. Nec ille ritus erat Christianis proprius, sed communis orientalibus omnibus populis, nec actus religionis, sed humanitatis, & humilitatis, quem Christus etiam subire voluit contestando suo in discipulos suos amori, humilitatique suæ in exemplum proponendæ, quæ quidem nobis etiam sunt exprimenda iis officiis, quæ & officio nostro & moribus conveniunt. 4. Peccatur *Elencho parium*, nec enim mandatum habemus, Christum & Sanctos Dei viros imitandi in talibus, mandatum verò habemus eos imitandi in perscrutatione Testamenti Veteris, Luc.16.29. Iohan.5.39. & 2.Petr.1.19. De scribendis verò libris Canonicis nec mandatum habemus, nec auctoritatem id præstandi, immò quum id à sanctis Dei viris satis superque occupatum fuerit, nobis non scribendi libri canonici, sed legendi & observandi ii qui ab illis scripti sunt.

XLI. Ad 3. *Except. Resp.* 1. Peccari *Elencho oppositorum*: opponuntur enim componenda, ut enim id à Christo & sanctis Dei viris præstitum, sic & nobis hodieque præstandum est; & ut illi doctrinam suam ex Dei verbo probarunt, sic & nobis illa ex eodem probanda est. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ὁπῇ & *à dicto secundùm quid*, probata sanè fuerunt à Christo, Euangelistis & Apostolis, tum *fidei dogmata*, tum *vitæ instituta*, quantum satis fuit & muneri illorum, & institutioni nostræ. Nobis tamen idem occupandum, quantum nobis satis, & quantum muneri nostro convenit, tum ut probationes alias è Veteri Testamento illorum exemplo eruamus, tum ut ab illis erutas intelligamus ex fundamento, tum ut fidem aliorum confirmatum, & aliorum incredulitatem pari medio & modo eamus expugnatum.

XLII. *Argumentis ostensivis è natura* tum *subjecti* tum *prædicati* petitis ac probatis, vindicatisque, succenturiamus *argumenta* quædam *apagogica*, ducentia ad *impossibile* vel *absurdum*. 1. Si V. Testamenti Scriptura ad Christianos non pertinet, & pro inutili vel periculosa, vt quiquam ex Anabaptistis, volunt habenda est, sequitur Novi etiam Testamenti Scripturam rejiciendam esse, quia Novi Testamenti Scriptura Veteris Scripturam commendat, & Christianos ad illam remmittit, tanquam utilem, & ad varios usus admodùm opportunam, Ioh.5.39. 2.Tim.3.15.16.17. 2. Si Veteris Testamenti Scriptura ad Christianos non pertinet, non poterit probari solidè conscientiis, Iesum Nazarenum esse Christum: id enim faciendum per συμβίβασιν Scripturarum & σύγκρισιν characterum prædictorum in Vetere, de Messia, & exhibitorum sub Novo Testamento in Iesu Nazareno. Ea enim debet esse fidei nostræ basis; *In quo*, *circa quem*, & *à quo* solo impleti sunt characteres omnes & *personales* & *reales* qui de Messia à Mose & Prophetis prædicti fuêre, is est verus Messias. At *in* Iesu Nazareno, *circa* eum, & *ab* eo illi omnes impleti. Ergo: Huis argumenti *Major* è Veteris Testamenti Scriptura explicanda est: *Minor* probanda è Scriptura Testamenti Novi. Sic à Christo ipso ista probatio instituta est, Luc.24. vers.22.44. 3. Si Veteris Testamenti Scriptura ad Christianos non pertinet, nec ex ea probari debent *dogmata* fidei, Iudæorum nemo

poterit convinci erroris, nec ad Christum & fidem in eum adduci. Nec enim probationes nostræ Iudæis oppositæ superstrui possunt principiis non admissis ab illis, sive Novo Testamento, sive auctoritati Ecclesiæ, sive traditionibus ejusdem non scriptis, quippe quæ omnia à Iudæis ex æquo rejiciuntur. Nulla itaque illis vel persuadendis vel revincendis ratio reliqua est, præter demonstrationem veritatis fidei Christianæ ex Veteri Testamento. 4. Si Scriptura Veteris Testamenti rejicienda est, eadem doctrina retinenda erit simul & rejicienda, quod absurdum quum substantia credendorum & faciendorum eadem sit utrobique, ut demonstratum. Sic itaque idem retinendum, quia retinendum Testamentum Novum, & rejiciendum simul, quia rejiciendum vetus. 5. Si Veteris Testamenti Scriptura ad Christianos non pertineret, id intelligendum esset vel *secundùm* ea quæ *legalia* habet, vel *secundùm* ea quæ habet *Euangelica*, vel *secundùm utraque*. Si *primum*, nec Decalogus, nec vel Dei vel proximi dilectio ad nos pertineret: Si *secundum*, fundamentum fidei everteretur, adeoque ipsa fides: Si *tertium* concidet tota credendorum & faciendorum ratio. *Inst.* Vtrumque peti posse ex Novo Testamento. *Resp.* Peccari *Elencho oppositorum*, utrumque sanè petendum ex N. Testamento, sed collato cum Veteri & exposito secundum vetus, non ex adverso, Veteri exposito è Novo, sensu Anabaptistico. Nec enim ex complemento examinanda prædictio, sed ex prædictione complementum. Non *exclusivè* itaque hic consulendum Testamentum Novum sine Veteri, sed *inclusivè* & conjunctum cum eo.

Et sic absolutam dedimus κατασκευὴν hujus argumenti ἀνασκευὴν rationum & argutationum Adversariorum pro sententia opposita negativa subjiciemus, favente Domino, Disputatione sequente.

Corollaria Respondentis.

1. *Scripturæ sacræ authoritas nec* in se, *nec* quoad nos *pendet ab authoritate Ecclesiæ.*

2. *Scripturæ sacræ perfectio & perspicuitas negari nequeunt, quin mendacium ipsi Scripturæ impingatur, quæ se prefectam & perspicuam profitetur.*

3. *Nec per Prædestinationis, nec per providentiæ decreta Deus author peccati constituitur.*

4. *Libertas creaturæ vel rationalis vel intellectualis non consistit in ἀδιαφορίᾳ in utrumque oppositorum.*

5. *Nec misericordiæ, nec redemptionis, nec vocationis universalitas consistere potest sive cum œconomia Dei vel legali vel Euangelicâ, sive cum decreto particulari certam tantùm hominum multitudinem ad salutem eligendi, potenterque perducendi.*

6. *Gratia conversionis & particularis est, & efficax non tantùm ratione eventus, sed etiam in se, & ἀσυνήθως vocatur* resistibilis.

7. Per-

7. *Perseverantia sanctorum sine Dei contumeliâ, & hominis Christiani gravi perturbatione oppugnari nequit.*
8. *Lex ab homine viatore sive corrupto, sive instaurato perfectè servari nequit.*
9. *Omne peccatum mortale est, nullum veniale naturâ suâ.*
10. *Eccl. nostræ antiquitas solidè Pontificiis probari potest.*
11. *Bona opera non possunt, nec debent censeri meritoria coram Deo.*
12. *Consolat. solidam in vita & morte tollunt Pontificii.*

DISPVTATIONVM
ANTI-ANABAPTISTICARVM
Quarta Ἀνασκευαστικὴ,

DE VSV SCRIPTVRÆ VETERIS TESTAMENTI in Ecclesia Christiana.

THESIS I.

KAtaskeuῆ hujus Controversiæ pertractata, & rationibus suis instructa, accingimur, cum bono Deo, ad ejusdem ἀνασκευήν, & confutationem argumentorum, quæ ab Anabaptistis aliisque *Antinomis* contra usum Veteris Testamenti in Ecclesia Christiana urgeri solent. Quæ quidem, pro Methodi nostræ instituto, dispescemus in *argumenta* partim ἄτεχνα & *assumpta*, partim ἔντεχνα & *insita*, ducta ex natura sive *subjecti*, sive *prædicati*. Primum argumentorum genus exequemur, faciente Deo, hâc Disputatione.

II. *Argumenta inartificialia* ducuntur ab *Antinomis* istis, qui veri *Manichæorum* veterum traduces sunt, ex variis Scripturæ S. locis. Singula 1. Proponenda. 2. Ratiocinationes Adversariorum eliciendæ. 3. Vindiciæ opponendæ. 4. Exceptiones subjiciendæ & discutiendæ simul, ut liceat nobis errorem istum gravem, quem hîc errant, ἐκπορευίζειν, & rimas omnes obstruere, per quas homines infeliciter ingeniosi elabi consuevêre, qui cum Comico vetere nihil pensi habent, modò possint aliquâ ratione ἐκδῦναι.

III. Scripturæ Sacræ loca, quæ *Antinomis* istis patrocinari videntur, hæc potissimùm sunt. 1. *Locus* est Luc.16. vers.16. *Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, ab eo tempore regnum Dei evangelizatur.* Hinc *duplex* pro *Antinomorum* sententiâ *argumentum* elici posse videtur. 1. Quæ debuerunt durare usque ad Iohannem, iis post Iohannem locus non ampliùs datur in Ecclesia Christiana. Lex & Prophetæ debuerunt durare usque ad Iohannem. E. &c. 2. A quo tempore regnum Dei ut præsens euangelizatur, ab eo Mosi & Prophetis de regno illo, ut futuro duntaxat, vaticinantib. locus

non eſt. A tempore Iohannis regnum Dei euangelizatur ut præſens. E. &c.

IV. Ad *Arg.* 1. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid.* Quæ durare debuerunt uſque ad Iohannem *excluſivè*, vel tantùm, & ſecundùm totum ſui, iis poſt eum non ampliùs locus eſt. At ſic *Minor* propoſitio ἁπλῶς ſumpta falſa eſt, nec in contextu fundamentum habet. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci, & *Ignoratione Elenchi.* Nec enim de duratione librorum Legis & Prophetarum uſque ad Iohannem, ſed de œconomia Teſtamenti Veteris ſermo eſt, comparata cum œconomia Teſtamenti Novi, quarum illa erat Prophetica, iſta eſt Euangelica, illa denuntiativa Meſsiæ exhibendi, iſta annuntiativa Meſsiæ exhibiti, illa umbratilis & typica, iſta clara & aperta, fædus gratiæ, & bona ſpiritualia exhibens ſine velo & cortice. Hoc itaque tantùm indicatur à Domino, duplicem eſſe modum, quo Deus ſe Eccleſiæ ſuæ patefacere voluerit, unum per προφητείας, de re futura, alterum per εὐαγγελισμὸν de re præſenti, & præterita, priorem duraſſe uſque ad Iohannem, poſteriorem cœpiſſe à Iohanne, quod invictè demonſtratur ex collatione verborum Chriſti, Matth. 11. v. 13. ubi dicuntur omnes Prophetæ & Lex ipſa uſque ad Iohannem *prophetaſſe*, & ab eodem tempore regnum Dei dicitur *evangelizari*, Luc. 16. 16. Nulla itaq; collatio librorum Legis & Euangelii quoad durationem, ſed œconomiæ, duntaxat Legalis & Euangelicæ. 3. Iſta interpretatio apprimè facit ad ἐνάργειαν verborum Spiritûs Sancti. Non mirum eſſe vi irrumpi in regnum Dei, & illud quaſi rapi; quum non ampliùs ut futurum denuntietur, ſed annuntietur ut præſens, & quum non tantùm uberiorem lucem affundat, verùm etiam gratiam uberiorem, adeoque majore ſui cupiditate & ardore hominum animos inflammet. 4. Κατὰ τὸ βίαιον, hoc ipſum retorqueri poteſt: ſi enim id ipſum Dei regnum, quod evangelizatur à temporibus Iohannis, prædictum fuit à Moſe & Prophetis uſque ad Iohannem, non exauctorandi ſunt Vates de hoc regno, Euangeliſtis ejus exhibitis, ſed utrique ut ejuſdem boni præcones ex æquo audiendi, nec vel gaudium majus, vel ſolatium firmius, vel tranquillitas ſolidior haberi poteſt, quàm ex mutua prædictionum & eventuum collatione. 5. Adde, oppoſitionem ſimul innui ibidem à Spiritu Sancto non *perſonarum* miniſtrantium, nec *rerum* adminiſtratarum, ſed *modorum* duntaxat diverſorum, quibus res eædem adminiſtratæ, priùs actum à Deo per προφητείας modum docendi obſcuriorem, *ſymbolicum* quippe & *ænigmaticum*, poſt per εὐαγγελισμὸν, modum docendi clarum & apertum. 6. Peccatur *fallaciâ diviſionis*, ſubjicitur enim immediatè v. 17. ſequente legis ſtabilitas & perpetuitas, major cœlo & terrâ.

V. *Except.* 1. *Excluſivum ſenſum* patere ex oppoſitione, cui alioquin non locus, illo non ſubintellecto. 2. Eo ipſo de duratione Legis & Prophetarum uſque ad Iohannem duntaxat ſermonem eſſe, quia œconomia Euangelica debuit ſuccedere legali, & Propheticæ, adeoq; iſti locus tantùm eſſe debuit uſque ad Iohannem. Et ſi œconomia iſta durare debuit duntaxat ad Iohannem, Ergo & illi qui eam adminiſtrarunt, hoc eſt, Moſes & Prophetæ. 3. Abſurdum eſſe, audire Prophetas vaticinantes de

re, ut

re,ut futurâ, quæ jam præterita eſt. Immò dum in Eccleſia Chriſtiana audiuntur Prophetæ vaticinantes de Meſsiæ exhibitione, ut re futura, negari eum exhibitum, & rimam patere pertinaciæ & impietati Judaicæ. 4. Si ex annuntiatione regni Dei, ut præſentis major oritur lux verbi, major ardor hominum id excipientium, in hoc miniſterio hærendum, nec aliud præter id quærendum eſſe. 5. Κατὰ τὸ βίαιον, quia modus docendi legalis & Propheticus obſcurus eſt, & ænigmaticus, Euangelicus verò clarus, illum non admittendum eſſe, iſto divinitùs conceſſo, nec lampades ſuccendendas Sole exhibito. 6. Si legis & Prophetarum duratio ſe ad noſtra tempora extendat, cauſæ nihil eſſe, cur non Ceremoniarum veterum & pædagogiæ Iudaicæ obſervationi hodieque ſimus obnoxii.

VI. Ad 1. *Exc. Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. *Excluſivus* enim *ſenſus* de duratione Legis & Prophetarum uſque ad Iohannem, ſecundùm totum ſui, nec αὐτολεξεὶ in contextu habetur, nec ex oppoſitione patet, quum nec opponantur Scriptores Veteres & Novi, nec doctrina ab iis tradita, nec duratio utrorumque, ſed œconomia duntaxat Vetus & Nova, quarum illa duravit, & durare debuit ad Iohannem uſque, iſta ab ejus demum temporibus cepit.

VII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *paraloгiſmo* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, aliud enim eſt, loqui de duratione œconomiæ, aliud, loqui de duratione cujuſvis doctrinæ ſub œconomia illa traditæ, illa mutata fuit, & mutari debuit, iſta non item. Confunditur enim τὸ ἐν & τὸ πῶς. *Inſt.* Quia doctrina illa accommodata fuit iſti œconomiæ, iſtâ ſublatâ & illa tolli debet. *Reſp.* Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, & ἐκ τῆς ἐν μέρει. Certum quidem, illam ſublatam quoad aliquid ſui, nimirum quoad *legis ceremonialis* obſervationem, quæ accommodata tantùm erat iſti œconomiæ, falſum verò, illam tollendam quoad totum ſui, vel ſecundùm id, quod non peculiare erat iſti œconomiæ, ſed extendi etiam debebat ad ſequentem, qualis fuit *lex moralis*. 2. Peccatur vel *paraloгiſmo* ὁμωνυμίας, vel *falſa hypotheſi*, quaſi perſonas, quarum miniſterio data Lex & Prophetia, ſuperſtites velimus poſt Iohannem, quum conſtet, per Moſen & Prophetas doctrinam à nobis intelligi ſcripto ab illis conſignatam.

VIII. Ad 3. *Exc. Reſp.* Peccari *paraloгiſmo à dicto ſecundùm quid*. Abſurdum ſanè, audire Prophetas vaticinantes de re futura, ut futura, non tantùm tempore vaticinantium, ſed etiam noſtro. At ſic non audiuntur in Eccleſia Chriſtiana, ſed tantùm ut vaticinantes de re illorum quidem ævo futura, ſed noſtro præterita. Nulla ergo hìc rima commentis Iudaicis. Immò ex collatione prædictionum in Veteri & complementi in Novo demonſtrationes peti poſſunt invictæ Iudæis revincendis.

IX. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, quaſi nolimus Chriſtianos hærere œconomiæ Euangelicæ, vel quaſi illi qui Moſen & Prophetas audiendos hodieque cenſent, illi non hæreant. Immò κατὰ τὸ βίαιον, qui eos audiunt, ut oportet, illi maximè hærent, utpote ad quam Moſes & Prophetæ unicè manu ducunt. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid* : aliud

enim est, quærere ministerium aliud præter Euangelicum, quoad *doctrinæ substantiam*, & quod abducat ab Euangelico, aliud, quærere ministerium, aliud quidem *quoad modum*, idem tamen *quoad rem & substantiam*, & quod ad Euangelicum traducat.

X. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, verum est, modum docendi legalem & Propheticum non admittendum, solum, excluso Euangelico; falsum, non esse admittendum cum isto, & relatè ad istum. Ex ista enim collatione obscurus esse desinit quoad necessaria, & fit clarus. 2. Peccatur *Elencho parium*, lampadibus sanè locus non est sole exhibito, quoniam omne lumen lampadum exhibet Sol, sed non omne lumen Legis & Prophetarum exhibet Euangelium: quamvis enim *substantia* eadem lucis utrobique reperiatur, *modus* tamen eam exhibendi diversus est, & modus uterque suos usus habet, ista enim dilatatio lucis ex collatione Scripturæ Veteris & Novi Testamenti facit ad incrementum lucis, & fidei *ἀσφάλειαν*, immò consideratione obscurioris modi commendatur clarior, strictioris uberior.

XI. Ad 6. *Except. Resp.* Peccari *Paralogismo παρὰ τὸ ἑπόμενον*, & *à dicto secundùm quid*, quum non procedat argumentum *à distributo ad non distributum*, nec enim ex Mosis & Prophetarum duratione *particulari secundùm aliquid*, inferenda est duratio *universalis* eorundem *secundùm omne*. Nec omne quod quoad *cognitionem* durare debet, durare etiam debet, quoad *observationem*.

XII. Ad *Arg.* 2. *Thesi* 3. propositum, *Resp.* 1. Peccari *paralogismo παρὰ τὸ ἑπόμενον*, & *Elencho oppositorum*, nec enim unum opponitur alteri, vel cum altero est incompatibile, quando id quod futurum erat tempore Prophetarum, cognoscitur ut præteritum tempore nostro. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον* hoc ipsum retorquetur; immò quia euangelizatur regnum Dei; Mosi & Prophetis locus est, quando enim Euangelii substantia annuntiatur, ejus etiam annuntiatur antiquitas, & conformitas cum Mose & Prophetis.

XIII. 2. *Locus* est Ioh. 1. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum præstita est.* Hinc *argumenta* varia educunt *Antinomi*. 1. Quod per Mosen datum fuit, datum fuit Solis Iudæis. At Lex, &c. Ergo, &c. *Conseq.* patet, quia Moses Veteris Tabernaculi duntaxat minister fuit. 2. Quod per Christum non fuit datum, non pertinet ad Christianos. At Lex, &c. Ergo &c. 3. Quod opponitur *gratiæ* & *veritati*, non pertinet ad Christianos. At Lex per Mosen data opponitur gratiæ & veritati: Ergo &c.

XIV. Ad *Arg.* 1. *Resp.* 1. *Majorem* vel *καθόλου* intelligendam esse, vel *ἐν μέρει*. Si *καθόλου*, petitionem *τὸ ἐν ἀρχῇ*. Si *ἐν μέρει*, nihil concludi. 2. Peccatur etiam *Elencho à dicto secundùm quid*. Quod datum fuit Iudæis, quà Iudæis, solis Iudæis datum fuit, sed non quod datum fuit Iudæis, quà fœderatis, vel qua Dei populo simpliciter. 3. Falsum, Mosen Veteris Tabernaculi Ministrum fuisse, propriè loquendo, id enim Aaronis erat & Sacerdotum, qui opponuntur ministro Veri Tabernaculi, quod fixit Dominus, & non homo. Ad Hebr. 8. 2. 3. Quamvis Moses impropriè Veteris Tabernaculi minister dici etiam possit, quatenus Iudæis & eorum bono legem inculcavit, *τάξιν* suam adhuc habente Veteri Tabernaculo, sed non *exclusivè*.

exclusivè. Lex enim nobis hodieque loquitur, ad Rom.7.7. 1. ad Cor.9.8. & 14.34.

XV. Ad *Arg.* 2. *Resp.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*. Quod nullo modo datum fuit per Christum, nec *mediatè*, nec *immediatè*, id sanè non pertinebit ad Christianos. At sic falsa *Minor*. Eadem enim Lex, quæ per Mosen data fuit, data etiam fuit per Christum: per Mosen, ut servum, per Christum, vt Dominum, per illum, ut causam λειτουργικὴν, & ἡγεμονικὴν, per istum, ut causam κυρίαν & αὐτοκρατορικὴν, ut patet ex Actor.7.38. collato cum 30. Quamvis ἀκριβῶς loquendo præstet dicere, legem datam *à Christo per Mosen*, quàm *per Christum*, ob ambiguitatem phraseωs, ut magisterium Christo salvum maneat, ministerium Mosi.

XVI. Ad. *Arg.* 3. *Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, & peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, nec enim opponitur Lex gratiæ & veritati ἁπλῶς, aliâs nec Lex Mosis ullum gratiæ donum fuisset, contra id quod testatur Psaltes, Psal. 147.19.20. nec vel vera fuisset, vel à Deo profecta: opponitur verò illi tantum κατὰ λόγον συζυγίας, non ut falsitas veritati, sed ut ministerium unum ministerio alteri. Sic gratia quæ affirmatur de Euangelica œconomia non admittitur legali κατὰ τὸ ἓν sed κατὰ τὸ μᾶλλον solùm, ratione gradus majoris duntaxat, & magis intensi. 2. Peccatur *paralogismo homonymiæ* in voce ἀληθείας, quæ hic non sumitur in *sensu ethico*, oppositè ad falsum vel mendacium, sed in *sensu mystico* oppositè ad typos & umbras Testamenti Veteris, & sic notat πράγματα, *corpus*, & *expressam formam rerum*, ad Col.2.17. & Hebr.10.1 quamvis etiam χάρις καὶ ἀλήθεια intelligi possint, quasi ἓν διὰ δυοῖν, hoc est, χάρις ἀληθινὴ vel ἀληθής. Tametsi ergò oppositum *vero ethico* non pertineat ad Christianos, oppositum tamen *vero mystico* ad eos pertinere potest, non quidem in ordine ad *praxin*, in ordine tamen ad *cognitionem*, *meditationem*, & relationem ad suum scopum.

XVII. *Exc.* 1. Legem non loqui nisi iis, qui sunt sub lege, ad Rom.3.13. adeoque nec Mosen, Iudæis itaque solis eum loquutum, non Christianis. 2. Mosen opponi Christo, ad Hebr.3.5.6. Non posse ergò Christianos simul audire Mosen & Christum. 3. Legem per Christum esse abrogatam, tantùm abesse, ut per eum data dici possit. 4. Angelum creatum intelligi, Act.7.38. & Mediatorem typicum, ad Gal.3.13.

XVIII. Ad 1. *Except. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ nec enim *exclusiva* in textu, loquitur sanè lex illis, qui sunt sub lege, *directè* & *immediatè*, sed non *absolutè* & *solùm*. 2. Κατὰ τὸ βίαιον hoc ipsum retorquemus, quia enim Christiani quoque sunt sub lege, certo respectu, ut suprà ostensum, iis etiam lex loquitur.

XIX. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari παραβλεψίᾳ loci ad Hebr.3.5.6. nec enim ulla datur oppositio Mosis & Christi, sed collatio potiùs utriusque & subordinatio, Mosis ut servi, Christi ut domini, ut illius, qui *in domo*, & illius, qui *supra domum*. 2. Immò κατὰ τὸ βίαιον hic locus retorquetur, quia enim Moses describitur ut *servus fidelis in tota domo Dei*, & *qui testificatus est ea quæ post erant dicenda*; Ergò non opponitur Christo, & simul audiri potest ac debet cum Christo à Christianis.

XX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari vel fallaciâ ὁμωνυμίας in voce legis, vel *Elencho à dicto secundùm quid*, certum, legem, nimirum ἱερατικὴν & ex parte πολιτικὴν, quà particularis erat, esse abrogatam, adeoque legem, secundùm aliquid sui sublatam, falsum verò, legem, nimirum ἠθικὴν, esse abrogatam, adeoque legem secundùm totum sui sublatam. Contrarium Christus disertè profitetur, Matth. v. 17.

Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Act. 7. 38. Angelum creatum intelligendum esse. Contrarium invictè patet ex Exod. 19. quo respicit Stephanus ubi ille qui Mosi loquutus dicitur in monte Sina, vocatur *Iehova* passim, ut & Exod. 3. 2. &c. ut patet ex nomine eodem, & prædicatis subjectis, quod liquet etiam ex locis parallelis, Genes. 22. 15. 16. cap. 31. 11. 13. Actor. 7. 30. *Inst.* Angelum vocari Iehovam, quia sustinebat personam Iehovæ. *Resp.* 1. Peccari *Elencho non causa*, imò talis vocatur, quia erat Iehova, ut patet ex toto capite, 2. Peccatur *falsâ hypothesi*, Angelum creatum sustinere personam Iehovæ, sustinere ille potest, & sustinuit sæpe personam legati Iehovæ, sed non Iehovæ: nec enim gloriam suam Deus dat aliis, vel Majestatem suam vult confusam cum creaturis, vel nomen suum ἀκοινώνητον communicatum, aut attributa alia perfectionem suam summam & infinitam designantia. Ἀνόμοιον etiam, legatum Regis vocari Regem ipsum, magis absurdum, Angelum creatum vocari Iehovam. *Inst.* Arcæ tribui idem nomen, altari, Hierosolymis, magis Angelo. *Resp.* De eo suo loco dispiciendum esse, in disputationibus de Deo, & loca ista, tum exponenda, tum vindicanda. *Inst.* Legem datam dici per mandata Angelorum, Act. 7. 53. & ad Galat. 3. 19. & ad Hebr. 11. 2. *Resp.* Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid, & oppositorum.* Certum *ad* sive *iuxta* διαταγαῖς, hoc est, διακονίαν Angelorum datam Legem, sed nec *præcipuè*, nec *exclusive* eorum nimirum ministerio (sive in meteoris ciendis, sive in voce intelligibili formanda) adhibito ab Angelo magno consilii & fœderis, se manifestante inter stipatores Angelos, instar Dei, Deut. 33. 2. Esa. 6. 1. Psalm. 68. 3. Eodem redit sensus, si διαταγὰς propriè exponamus per *mandata.* Nam & *præconum* est, & *nunciorum* mandata deferre, sed aliena, non sua, idque ὑπηρετικῶς & λειτουργικῶς, δεσποτικῶς vel αὐτοκρατορικῶς haudquaquam. Nec sanè mandata legis hoc sensu vocari possunt διαταγαὶ Ἀγγέλων, sive *præfationem* eorum respiciamus, sive *substantiam*, sive *authoritatem.*

XXII. 3. *Locus* est, Actor. 15. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponendo jugum cervici discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare valuimus.* Hinc *argumenta* duo *Antinomorum.* 1. Quod non imponendum cervici discipulorum, immò quo imposito tentatur Deus, id non pertinet ad Christianos. Atqui Lex non imponenda, &c. Ergo, &c. 2. Quod Christiani ferre non possunt, illis non imponendum. Legem ferre non possunt, Ergo, &c.

XXIII. Ad *Arg.* 1. *Resp.* 1. Peccari παρεξηγήσει & verborum & scopi Spiritus Sancti. Aliud enim est, non imponendam *legem moralem* Christianis, vel scripta Mosis & Prophetarum, aliud, non imponendum *jugum*, de quo sermo ibidem, nimirum observationem circumcisionis & ceremoniarum

niarum

niarum legalium. Prius non removetur à ceruicibus Christianorum, sed posterius solùm, quod patet ex causa huius dicti Petri, quæ exstat vers. 5. quosdam nimirum surrexisse, qui prodierant olim è disciplina Pharisæorum, & dicebant, *oportere circumcidere Christianos, & præcipere ut obseruent legem Mosis*, nimirum *ceremonialem*, ut patet ex versibus 20.28.29. vel *moralem* etiam, indebito fine, quasi Christianis vita esset quærenda in illa lege, siue in solidum, siue ex parte ex lege, ex parte ex Euangelio. Et sic etiam lex potest vocari ζυγὸς δυσβάστακτος vel ἀβάστακτος, & βαρὺς vers. 28. ob ἀσθένειαν nimirum carnis, ad Roman. 8.3. unde nemo per eam potest justificari, Act. 13.19. Sic ceremonialem legem vocat Apostolus ζυγὸν δουλείας ad Galat. 5.1. *Minor* itaque *propositio* falsa est, & peccatur *ignoratione Elenchi*. Neque enim hîc verbum ullum contra usum Veteris Testamenti in Ecclesia Christiana.

XXIV. Ad *Arg.* 2. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει. Supponitur enim falsum, nihil imponendum hominibus; nisi quod ferre possint. Atqui mandatorum Dei norma non sunt vires nostræ, sed jus Dei, & officium nostrum. Nec perfecta dilectio Dei & proximi ob id non exigitur, quod non simus pares ei præstandæ. Nec magis Deo jus suum in nos perit ob ἀδυναμίαν nostram, quàm creditori in obæratum, qui non est solvendo, ut patet ex parabola, Matth. 18.24.25. Est enim ἀδυναμία illa ἐπίκτητη, adeoque voluntaria, & cum reatu conjuncta qualem ne *Aristoteles* quidem excusare censuit, immò accusare potiùs & crimen intendere. Et satis est, hominem id ferre potuisse aliquando per gratiam quam excussit, quod jam nec ferre potest, nec ferre vult, alioquin ne Patribus quidem in Testamento veteri fuisset imponenda lex illa, quia nec illi poterant eam ferre, ut testatur Petrus. 2. Peccatur *ignoratione Elenchi*, quia aliud est, legem ferre, hoc est, perfectè observare; de quo hîc sermo, aliud, vti scriptis Mosis & Prophetarum, de quo hîc nullus sermo. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, quamuis enim Christiani ferre non possint legem ἁπλῶς, & κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον τοῦ νόμου, secundùm districtum Dei, & legis jus, ferre tamen illam possunt κατά τι, & κατὰ τὴν ἐπιείκειαν manifestatam in Euangelio, legi Dei obsequium & inchoatum, & sincerum, & Deo gratum exhibendo, eam pro morum speculo & vitæ norma habendo, & in eius obseruatione nec justitiam, nec salutem, sed gratitudinis duntaxat & officij executionem quærendo, & salutem expectando extra eam in eo, à quo pro nobis adimpleta fuit, qui *nobis factus à Deo iustitia*, &c. 1. ad Cor. 1.30.

XXV. *Exc.* 1. Per jugum legis, Act. 15.10. non tantùm legem ceremonialem intelligi, patere ex vers. 20.28.29. ubi, reliquorum præceptorum moralium onere sublato, idololatria & fornicatio duntaxat Christianis cauenda dicantur, quæ præcepta ceremonialia dici nequeant. 2. De lege Mosis etiam observanda, simpliciter quæstionem propositam fuisse. 3. Legem moralem æquè esse ζυγὸν δυσβάστακτον vel ἀβάστακτον ac ceremonialem, immò magis. Si ergo auferendum sit id, quod sit jugum tale, auferendam omninò etiam esse legem moralem. 4. Si lex non secundùm

districtum Dei & legis jus à nobis exigatur, posse hominem legem implere hodie in Novo Testamento, quantum satis, inde verò sequi, nos justitiam posse habere & vitam ex lege.

XXVI. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Per τὸν ζυγὸν, demus, non tantùm legem ceremonialem, verùm etiam moralem intelligendam esse, quid inde contra usum Veteris Testamenti in Ecclesia Christiana? Semper enim peccatur *ignoratione Elenchi.* Nec ex eo quod lex moralis sit jugum ἀβάστακτον, sequitur, scripta Mosis & Prophetarum ad Christianos non pertinere, nec ex iis vel *fidei dogmata* vel *instituta vitæ* petenda esse, prout ea inde petenda sunt. 2. Per ὑμῶν, quia ex circumcisionis diserta mentione ver. 5. & ex exemplis subjectis vers. 20 28. 29. evidens est, de ceremoniarum legalium observatione sermonem esse. 3. Peccatur *paralogismo* τῷ ἐν ἐπιμίξει, quasi, ex Idololatriæ & fornicationis prohibitione conjuncta cum ceremonialium quorundam temporariâ observatione, vers. 20. 29. sequatur de lege morali sermonem fuisse v. 10. Satis enim, talium prohibitionem fuisse conjunctam cum reliquis, non ut peccatorum ejusdem naturæ, & ordinis, *ex sese & suâ naturâ*, sed *ex hypothesi*, & *ex sensu* multorum *Paganorum*, qui recens Christo nomen dederant, qui vel talia pro minimis mandatis & peccatis levioribus habebant, vel criminibus illis cæteroquin valdè erant obnoxii. Nec novum, disparia conjungi, ad Phil. 1. 19. 1. ad Timot. 3. 2. quod eo magis obvium, ubi ea quæ *censentur esse* in aliquo ordine, conjunguntur cum iis quæ *revera* in eo *sunt*. Adde, non absurdè intelligi vers. 20. per ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, non *actus formales*, & *directè* idololatricos, sed *indirectè* tales, comestionem nimirum τῶν εἰδωλοθύτων, ut patet ex ἐξηγήσει, quæ habetur v. 29. & verba καὶ τῆς πορνείας sumi possunt, ver. 20. ut ἐν ᾧ ἐστι, *quæ* scil. *sunt scortatio*, prout peccatum istud hoc nomine meritò traducit Paulus 1. Corinth. 10. 20. ut κοινωνίας cum dæmoniis, & Scriptura passim. Quia tamen v. 29. dispescuntur præcepta de cavendis iis quæ sunt immolata idolis, & de cavenda scortatione, videtur utrumque propriè intelligendum, proscribi nimirum ab Apostolis cum suffocato & sanguine comestionem τῶν εἰδωλοθύτων, & scortationem, quia ista se invicem excipere solebant, & unâ conjungi, ut patet ex Num. 24. 14. c. 25. 1. &c. Apocal. 2. 14. & 20. nisi etiam ipsam participationem talium vocare placeat πορνείαν. Si quæratur, cur hic Apostoli voluerint conjunctos *actus per se malos* cum *actibus adiaphoris*, adeoque scortationem veluti relatam inter ἀδιάφορα observandum, Apostolos consultum voluisse tum paci Ecclesiæ, per Iudæorum & gentilium conformitatem in aliquibus, tum honestati externæ, quam violabat scortatio. Quia verò regeri posset, etiam per blasphemias, furta, latrocinia violari honestatem externam, talia itaque, & alia id genus simul proscribenda fuisse, commodissimum videtur, si dicamus, ideò Apostolos de talibus loquutos, & talia conjunxisse, v. 20. & 29. non quod ista ejusdem generis & ordinis concederent, sed quod casus illi in specie Apostolis conjunctim essent propositi, nimirum vel ante disceptationem illam, de qua sermo versu 7. vel in ea, præter *thesin generalem*, de qua sermo versu 5.

Quod

Quod nobis ſatis ſuperque pateſcit, tum ex Iacobi oratione, tum ex decreto Synodico. Nec enim novum, in Scriptura S. ex reſponſis ſæpè colligenda eſſe interrogata, ut Iohan.4.3. & alibi paſſim. Et ſanè cauſa ſufficiens alia dari nequit, cur horum potiùs obſervandorum facta fuerit mentio à Iacobo, vel ab Apoſtolis, niſi ſupponamus, eos reſpondiſſe ad caſus propoſitos. Patet etiam ex verſ.28. plures caſus alios ſimul fuiſſe propoſitos Apoſtolis, de rebus levibus, à quibus videatur abſtinendum, quibus in rebus Apoſtoli libertati ſuæ permittunt Chriſtianos, & oſtendunt ſe nihil aliud oneris imponere Chriſtianis præter neceſſaria iſta. Abſurda verò foret iſta aſſertio, niſi reſtringeretur ad quæſtiones propoſitas Apoſtolis, quia alioquin fibula laxaretur ſceleratis & ſceleribus innumeris, ſi iſta tantùm cenſeantur neceſſaria obſervatu: Sin referamus hoc ad neceſſaria ex caſibus tunc propoſitis, iſta duntaxat capita ex illorum numero Apoſtolos obſervata voluiſſe, res tota pateſcit. Nec ſufficit, dicere, decretum Synodicum conceptum fuiſſe ſecundùm Iacobi verba verſ.20. quia quæſtio redit, cur Iacobus horum potius mentionem faciat, quàm aliorum, quæ non levioris momenti erant. Ne verò, quod de ſcortatione & Idololatria ibi dictum, in ſequiorem ſenſum traheretur, quaſi in eandem claſſem compingerentur cum aliis, & interdictum id foret *poſitivum* duntaxat, non *morale*, *temporarium*, non *perpetuum*, ei rei cautum fuit à Spiritu S. monitis compluribus paſſim S. Scripturæ poſt Synodicum iſtud decretum inſertis de talibus perpetuò cavendis. 3. Falſum & impium, & τὸ ἐν ἀρχῇ, reliquorum præceptorum moralium onere ſublato, idololatriam & fornicationem tantùm Chriſtianis prohiberi. An enim blaſphemiis, latrociniis, & aliis id genus flagitiis locus ſub Novo Teſtamento?

XXVII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. ἀρνητικῶς, quia de lege Moſis *indefinitè* ſermo eſt v.5. *univerſaliter* vocem illam intelligendam de omnibus legis ſpeciebus, quod falſum, & peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Per legem verò intelligendam ibi legem ceremonialem, patet ex v.5. ubi conjunctim propoſita iſta, oportere Chriſtianos circumcidi, & ſervare legem Moſis, ejuſdem nimirum ordinis & generis cum circumciſione. *Inſt.* Circumciſionem anteriorem fuiſſe lege ceremoniali, adeoque ad eam nòn pertinere. *Reſp. Peccari Elencho conſeq.* nec enim ob id ad eam revocanda nòn eſt, æque ac diſtinctio ciborum mundorum & immundorum, ſacrificia, ſeptimæ diei Sabbathum, & alia id genus, quæ etiam anteriora fuêre lege ceremoniali. 2. Συγχωρητικῶς, demus, de tali lege ſermonem eſſe, quid inde ad proſcribendum uſum Teſtamenti Veteris ex Eccleſia Chriſtiana? ubi denuò *ignoratio Elenchi.*

XXVIII. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει, & loquutionem *indefinitam* confundi cum *univerſali* in *materia contingente*. Nec enim omne quod ἀβάστακτον, auferendum dicitur, ſed aliquid duntaxat, jugum nimirum tale, quale fuit illud de quo ſermo, Matt.23.4. *Inſt.* Si legis ceremonialis jugum imponere, eſt tentare Deum verſ.10. Ergò etiam imponere legem moralem. *Reſp.* Peccatur *Elencho parium*, quia jugum prius, ut

pædagogicum, Deus tempore διορθώσεως exhibitæ ſublatum voluit, poſterius verò, ut cuivis ætati Eccleſiæ conveniens, retentum, ut patet ex cap.4. ad Gal.v.4.9. & 5.1.2. Idem liquet ex abrogatione ceremoniarum legalium, & ſanctione præceptorum moralium, quæ paſſim occurrit. 2. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid.* Satis enim, legem moralem auferri, ſecundùm id, ſecundùm quod eſt jugum ἀβάστακτον, τὸ ἀκριβοδίκαιον nimirum τὸ ῥῖγος, coactionem, & maledictionem ei annexam, quæ ſublata reſpectu filiorum Dei.

XXIX. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Peccati *falſa hypotheſi*, aliud enim eſt, legem exigi, ſecundùm *diſtrictum jus*, aliud, ejus tranſgreſſores omnes puniri ſecundùm *diſtrictum jus*. Prius fit etiam reſpectu Chriſtianorum, non poſterius, quamvis enim perfecta Dei & proximi dilectio exigatur ab illis, & perfecti eſſe jubeantur æquè ac Pater illorum qui in cœlis eſt, perfectus eſt, *reatus* tamen, ejuſque *exercitium* & pœna, cui obnoxii ſunt ob peccatum, auferuntur à Dei filiis, & transferuntur in illum qui ſe vadem pro iis ſtitit, quippe qui non amplius in primo, ſed in ſecundo Adamo, adeoque non ſecundùm *ſtatum naturæ* cenſentur, ſed ſecundùm *ſtatum gratiæ*. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo quia pii in Novo Teſtamento non implent legem κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον, & ſecundùm diſtrictum legis jus, nec juſtitiam poſſunt habere ex lege nec vitam, quippe quæ ſecundùm ſe ſumpta, & in ſtricto ſignificatu, nullam agnoſcit ἐπιείκειαν, ſed ſolennem illam clauſulam maledictionis pronuntiat: *Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat*, ad Gal.3. 10. Deut.27.26. Quæ ſanctio quà talis, in foro legali, non poteſt admittere ἐπιείκειαν, vel relaxationem, ſine *contradictione in adjecto*, ſi dicatur, non omnem maledictum eſſe qui non permanſerit in omnibus, &c. Nec enim affirmativa univerſalis, & particularis negativa, ſervatis juſtæ oppoſitionis legibus, conciliari poſſunt. Quod verò legi impoſſibile erat, eo quod viribus eſſet deſtituta per carnem, hoc fecit Deus, miſſo filio ſuo in forma conſimili carni peccato obnoxiæ, &c. ad Rom.8. 3. Et totum illud temperamentum reſpectu filiorum Dei adhibitum, *evangelicum* prorſus eſt, non *legale*.

XXX. 4. *Locus* eſt ad Rom.3.21. *Nunc abſque lege juſtitia Dei patefacta eſt, &c. Argumentum* quod inde texi ſolet ab *Antinomis* excuſſum vide *Diſp.3.Theſi* 13 Vnde illi ulterius diſcutiendo non immoramur.

XXXI. 5. *Locus* eſt, ad Rom.4.15. *Lex iram operatur. Argumentum* eſt, Quod iram operatur id ad Chriſtianos non amplius pertinet. Lex iram operatur. Ergò &c. *Ratio Conſequ.* patet, quia Chriſtiani ſunt translati ex ſtatu iræ, in ſtatum gratiæ. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo accidentis, & à dicto ſecundùm quid.* Id ſanè ad Chriſtianos in ſtatum gratiæ translatos non pertinet, quod iram operatur *per ſe, ſuâ naturâ, ſuo vitio & ſimpliciter.* At ſic lex iram non operatur, ſed *per accidens, ſecundùm quid, & vitio noſtro.* Illa enim ducit ex ſe ad vitam, *Qui fecerit hæc, vivet in eis*, *per accidens* tantùm maledictionem poſt ſe trahit, non *quà data*, ſed *quà non ſervata*, non propter [illegible] ſuam, ſed propter ἀσθένειαν noſtram, non *antecedenter*, ſed *conſe-*

consequenter, nec *effectivè*, sed *occasionaliter* προκαταρκτικῶς, quatenus peccatum occasione per mandatum sumtâ efficit omnem cupiditatem, ad Rom.7.8. 2. Peccatur *ignoratione Elenchi*. Demus, legem iram operari hærentibus in ea, & justitiam ac vitam ex ea quærentibus, contra legis atoris intentionem, an verò iram operatu ream scrutantibus, debito modo & fine, & ex ea petentibus regulam vitæ? Haudquaquam.

XXXII. *Exc* 1. Eo ipso quo Christiani vitio suo nec legem servant, nec servare possunt, eam iram Dei in illos derivare minis, & maledictionibus suis. 2. Legem retineri non posse, quin quæratur ex ea vita, quia ideò data fuerit, ut homo viveret per eam.

XXXIII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Κατ' ἔνστασιν, si lex non servata iram Dei derivat in Christianos, magis ea non tantùm non servata, sed spreta etiam ac contempta iram Dei derivabit in eos, quæ sanè non averti potest per neglectum legis, Mose exauctorato ex Ecclesia Christiana, sed eo ipso intenditur potiùs & augetur. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, & παρὰ τὸ ἁπλῶς. quamvis enim Christiani eam nec servent, nec servare possint κατ' τὸ ἀκριβοδίκαιον, servare tamen conantur, & *perfectioni partium* student, quamvis *perfectionem graduum* assequi nequeant in hac vita. Hinc quia quod perfectionis est in illis, acceptatur per gratiam, quod imperfectionis est, condonatur per misericordiam, ira Dei in illos haudquaquam derivatur. Nec enim illi censentur *in se*, ut filii iræ per naturam, sed *in capite suo*, ut filii adoptionis per gratiam, nec qui reatus à peccato inseparabilis est *per legem*, ab eodem inseparabilis est *per Evangelium*, nec *demeritum*, vel *reatus*, cum illius *pœna*, & istius *exercitio*, vel *executione*, respectu filiorum Dei connectuntur. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. legem retineri non posse, quin ex ea vita quæratur, quod supponitur, non probatur. Aliud enim est, legem retinere ut regulam vitæ, aliud, ut fundamentum justificationis & salutis, aliud, uti Mose, ut Doctore & Pædagogo ad Christum, aliud, eo uti ut salvatore. 2. Peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*, aliud enim est, respicere naturam legis, aliud, respicere destinationem legislatoris, aliud, considerare usum legis, respectu hominis integri, aliud, respectu hominis corrupti. Illum ex se lex ducit ad vitam, istum ad mortem.

XXXIV. 6. *Locus* est ad Rom.5.20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. *Argumentum* est; Quod est causa augmenti & multiplicationis delicti, illius usus apud Christianos retineri non debet. Atqui Lex causa est &c. Ergò &c. *Resp.* Peccari *paralogismo accidentis, & à dicto secundùm quid*. Quod est causa augmenti & multiplicationis delicti *ex se, & natura sua*. Item; Quod est causa augmenti & multiplicationis delicti in *genere causæ efficientis*, illius usus apud Christianos retineri non debet. At nihil tale legi competit. Sequitur verò Legem & legis cognitionem multiplicatio delicti. 1. *Notificativè*, quia manifestatur ex ea peccati gravitas ejusque pœna tum *intensivè*, tum *extensivè*, ad Rom. 7.7. 2. *Occasionaliter*, quatenus peccatum occasione sumpta per mandatum efficit cupiditatem: ad Rom.7.8. eam proritando ut ferociat magis contra mandatum coercens,

inſtar equi ſtemacis, eo magis ferocientis in ſeſſorem, quo magis conſtringitur arctiore lupato, & breviore gyro. 3. *Moraliter*, quatenus graviorem meretur reatum notæ Legis & compertæ violatio, quàm ignotæ & incompertæ, Luc.12.47. 4. *Eventualiter*, quatenus Legis mandatum ſpretum & contemptum in gravius judicium exit, unde τὸ ἵνα non hîc intelligi debet αἰτιολογικῶς, ſed ἐκβατικῶς, & lex ſemper ſancta manet & mandatum ſanctum, ad Rom.7.12.

XXXV. *Exc.* 1. Si nulla eſt trangreſſio, ubi nulla eſt Lex, ad Roman. 4.15. & peccatum mortuum eſt, ubi non eſt Lex, ad Rom.7.8. & ſi vis peccati eſt Lex. 1.ad Cor.15.56. E. ex lege per ſe eſt augmentum & multiplicatio peccati. 2. Quod & *occaſionaliter* & *moraliter* auget peccatum, illius lectionem & uſum præſtat non adhiberi à Chriſtianis, quàm adhiberi, quia ſic deerit occaſio peccandi, nec augebitur reatus ob tranſgreſſionem legis notæ.

XXXVI. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo* παρὰ τὸ [illegible] Nec enim ſequitur *conſequens* ex *antecedente*, ſi nulla ſit tranſgreſſio, ubi nulla ſit lex, ex lege per ſe eſſe multiplicationem & augmentum peccati. Nec enim ex poſitione legis quà tali ſequitur peccatum, ſed ex ejus tranſgreſſione. Aliàs etiam expediviſſet Iudæis, non habere Legem, contra id quod teſtatur Pſaltes, Pſ.147.19.20. & illorum etiam reſpectu ex lege per ſe fuiſſet augmentum peccati. Adde per abſurdum eſſe, creaturam rationalem vel intellectualem dari ſine Lege, adeoque ἀδέσποτον & independentem. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci ad Roman.4.15. quo non tam agitur de *exiſtentia peccati*, quàm de ejus *cognitione* & *manifeſtatione*, non bene cognitam eſſe tranſgreſſionem, niſi ſit cognita Lex, nec ſentiri ſufficienter ejus gravitatem, niſi perſpectis minis & maledictionibus Legis. 3. Peccatur *ignoratione Elenchi*, quamvis enim ubi nulla prorſus eſt Lex nec naturalis inſcripta cordi, nec literalis inſcripta tabulis, nulla poſſit eſſe tranſgreſſio, tamen utraque jam poſitâ (nec enim neglectu noſtro aboletur Lex, vel deſinit nos urgere) tantum abeſt ut ex neglectu & contemptu Legis nulla ſit futura tranſgreſſio, ut longè gravior inde conſequatur reatus, peccato enim inobedientiæ accedit peccatum contemptûs Legis, quod grave eſt, adeoque non concluditur quæſitum, præſtare Legem non cognoſci à Chriſtianis, nec haberi pro regula vitæ.

XXXVII. Ad locum ex cap.7. ad Rom. v.8. *Reſp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci, quo agitur denuò non de *exiſtentia* peccati, ſed tum de ejus *patefactione*, quatenus Lege non declarante & coarguente nullum videtur eſſe peccatum, tum de ejus *irritatione occaſionali* & *accidentali*, quatenus ex contemplatione legis coercentis noſtram concupiſcentiam illa proritatur & ferocit magis, quæ neglectâ lege videtur velut quieſcere. Quâ ratione enim Paulus erat vivus ſine lege v.9. eâ ratione peccatum mortuum eſt, ubi non eſt lex. At Paulus vivus tantùm fuit δοξαστῶς, ſuâ & aliorum opinione, in Phariſaiſmo: Sic etiam peccatum noſtrum & aliorum vel nullum vel evanidum videtur, donec à lege convincatur peccator, & condemnetur peccatum, & ſic homo ex eo quod correptus erat lethargo emergat. Et

quem-

quemadmodum sine lege peccatum dicitur mortuum, sic veniente præcepto peccatum *revivere* dicitur, tum *in intellectu* nostro per cognitionem, *tum in affectibus* per contranitentiam, tum *in conscientia* per vivum ejus sensum. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ αἴτιον, neque enim si peccatum sit mortuum, nec sese exerat vel in intellectu, vel in concupiscentia, vel in conscientia, ubi non est lex, ob id sequitur, ex lege per se esse augmentum peccati. Fit id enim *per accidens* tantùm, ob corruptionem peccatoris. 3. Immò præstat peccatum vivum esse quoad ejus sensum, quàm mortuum, & ἀναισθησίαν ac lethargum parere peccatori, qui non minus in animi quàm in corporis morbo exitiosus est. Peccati enim sensum sequitur in Dei filiis compunctio, tristitia secundùm Deum, serium pœnitentiæ studium, & remedii salutaris investigatio, in Dei filiis, ut ex exemplo Pauli patet ad Rom. 7. Κατὰ τὸ βέλτιον itaque lex cognoscenda, ut hominem veterno correptum excitet & ad meliorem sui cognitionem, & ad diligentiorem officii sui praxin.

XXXVIII. Ad locum ex cap. 1. ad Cor. 16. 56. *Resp.* Peccari *paralogismo accidentis*, & *à dicto secundùm quid, vis peccati*, lex est in homine corrupto, partim ad ejus cognitionem, partim ad ejus damnationem, haudquaquam verò ad ejus effectionem. 2. Peccatur *paralogismo consequentiæ*, nec enim sequitur, id quod est vis peccati hoc sensu, ex eo per se esse augmentum peccati. Contrarium enim usum haberet in homine integro, eumque à peccando averteret. 3. Peccatur *falsâ hypothesi*, ignoratâ vel neglectâ lege, eam desinere esse vim peccati. Immò eo liberius ac validius sæpe peccatum solet in homine exardescere ac despumare, quod alioquin cohiberetur per meditationem seriam minarum legis.

XXXIX. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ αἴτιον, id præstare non adhiberi, quod *moraliter* & *occasionaliter* modo à nobis exposito, *Thesi* 34. auget peccatum, quàm adhiberi. Immò quod *per se* utile esse potest, ad directionem vitæ, negligi non debet, quia *per accidens* potest esse noxium, sed in id incumbendum, ne fiat noxium. 2. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, si lex neglecta *per se* auget peccatum, illius neglectus magis vitandus est, quàm eius cognitio & meditatio, ex qua *per accidens* duntaxat sequitur augmentum peccati. Et sic minus peccabitur, adeoque minor reatus contrahetur.

XL. 7. *Locus* est ad Rom. 6. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia. Argumentum* quod Antinomi ex his Pauli verbis educunt, confutatum habetur *Disp.* 3. *Thesi* 5. ut & vindiciæ loci ad Rom. 7. 4. ubi Paulus docet, *nos esse mortificatos legi*, non legem nobis. Addendum tantùm, quamvis ἀντιθέτως ratio & comparatio legis cum viro dominante vxori, exigere ibidem videretur, vt Paulus diceret, *legem nobis* esse *mortificatam*, non *nos legi*, Apostolum tamen id sapienter invertere voluisse, offensioni cauendæ, ne Christum ullâ ratione committere videretur cum Mose, vel legem cum Euangelio. Vnde satis habet, ostendere *per corpus Christi*, hoc est, sive per oblationem corporis Christi, sive per insitionem nostri in corpus eius mysticum, nos non legi amplius, ut uxorem viro dominanti, sed Christo obnoxios es-

ſe, ut ille ſolus dominetur conſcientiis noſtris, ut ſolum caput Eccleſiæ ſuæ, nos eximens à ſevero legis, tanquam exactoris inexorabilis, & homines vel ad deſperationem, vel ad rebellionem majorem ſuis tum præceptis, tum maledictionibus proritantis dominio, ita vt vis iſta peccatum vel damnandi vel irritandi æquè ſublata ſit noſtri reſpectu, ac ſi mortui eſſemus, quum is qui mortuus eſt, liber ſit à peccato, ut loquitur Paulus ad Rom.6.7. quatenus morte finitur & tollitur ſeruitus.

XLI. 8. *Locus* eſt ad Rom. 10.4. *Finis legis Chriſtus eſt ad juſtitiam omni credenti in eum.* *Argumentum* eſt: Si Chriſtus eſt finis Legis ad juſtitiam omni credenti, ſuperfluus hodie eſt uſus Legis. Verum prius. Ergò & poſterius. *Reſp.* 1. Peccari in voce τέλος *fallacia* ὁμωνυμίας, ut quæ hic non ſumitur *phyſicè* vel *mathematicè* pro extremo ſeu termino, ut cap.6.21. ſed tum *grammaticè*, deſignando πλείωσιν vel πλήρωμα, eodem ſenſu, quo 1. ad Tim. 1.5. collato cum v.10. c.13. ad Rom. tum *logicè*, notando τὸ οὗ ἕνεκα cuius cauſa res eſt, vel datur, & id ad quod ut ſcopum res aliqua refertur. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci. Senſus enim eius non eſt, quaſi Chriſtus abroget Legem, & illius uſum omnem hodie ſublatum velit, contra id quod ipſe diſertè profitetur, Matth.v.17. Sed quod Chriſtus ſit τέλος τοῦ νόμου, hoc eſt, tum *ſcopus*, ad quem reſpexit Lex, tum *Dominus*, ad quem velut pædagogum manu duxit Lex, tum Legis πλείωσις & πληρωτής, qui & Legis *præcepta* omnia, & verum eius δικαίωμα in propria perſona ſua perfecta obedientia ſua adimplevit, & omnes eius *minas* in ſe convertit & ſuſtulit, & omnes eius *promiſsiones* nobis promeruit, & omnes eius *prædictiones*, ac *typos* ſuâ tum perſonâ tum officio expreſsit, & *obedientiam* eius voluntariam in ſuis inchoavit. Adeoque illos graviter errare notat Apoſtolus, qui ignorando quæ ſit vera juſtitia, quâ homo veſtitus coram Deo ſuo comparere poſsit, & juſtitiam ſuam *modo legali* in ſua ſive *habituali*, ſive *actuali rectitudine* quærendo, à vera Dei juſtitia aberrarint, nec cogitarint finem, ad quem Lex reſpexerit, & à quo & in quo complementum ſuum conſequi debuerit, fuiſſe unum Chriſtum, ut is cum perfectiſsima obedientia ſua fide apprehenſus eſſet juſtitia omnium in ipſum credentium. Ad Gal.3.19. ad Heb. 7.19. Hinc inferre vult, juſtitiam fidei, ſolam juſtitiam eſſe, in qua homo fiduciam ſuam omnem reponere, & ſalutem quærere debeat. Quod ſapienter ita à Paulo expreſſum per ἀνθυποφορὰν oppoſitam tacitę Iudæorum ὑποφορᾷ, Doctrina de fide in Chriſtum videri quidem juſtitiam Legis tolli, Moſen contemni: Tantum tamen abeſſe, vt ſic evertatur Lex, ut ſic demum verus eius finis attingatur, ad quem nos manuductos voluerit. 3. His expoſitis pateſcit argumenti ex loco Pauli educti vitium. Peccatur enim vel ὁμωνυμίᾳ medii, ex qua *quatuor termini*, vel *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, & *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει, quatenus id quod *ſecundum quid* tantum verum eſt, ratione legis ceremonialis, tanquam *ſimpliciter & vniuerſaliter* verum proponitur. Quamuis enim ſuperfluus hodie ſit uſus, h.e. obſeruatio legis ceremonialis, ſuperfluus tamen non eſt uſus eius, h. e. lectio, cognitio, meditatio, minùs Legis moralis & Prophetarum, adeoque etiam peccatur *ignoratione Elenchi*, nec concluditur quæſitum.

XLII. *Exc.*

XLII. *Exc.* 1. Christum non esse finem, οὗ ἕνεκα, propter quem fuerit data Lex, sed justificationem hominis, Legem enim datam dici *ad vitam.* Ad Rom.7.10. 2. Christum non pro nobis impleuisse Legem, quia eam tum ut Adæ filius *ex iure naturali*, tum ut filius Abrahæ *ex jure fœderis* pro seipso adimplere debuit, & illam impletionem fuisse *conditionem* personæ *merentis*, non *meritum* imputandum. 3. Legem non respexisse Christum immò doctrinam de Christo ei contradistingui, contradistinctum verò includere negationem sui contradistincti, 4. Non posse sine ὁμωνυμίας & variorum sensuum in eundem locum illatione, censeri, Christum esse *finem physicè, vel mathematicè*, h.e. extremum, vel terminum Legis ceremonialis, & tamen simul finem esse *grammaticè*, h.e. πλείωσιν & *logicè*, h.e. τὸ οὗ ἕνεκα legis maralis.

XLIII. Ad 1. *Exc. Resp.* Peccari *falsa hypothesi* & *Elencho à dicto secundùm quid*, nec enim Christum docemus esse finem Legis, primò datæ & insculptæ primo homini, ejus naturâ in se *primo* spectatâ, & ratione hominis integri, sed legis repetitæ, *secundariò*, ratione hominis corrupti, & ejus vitio. *Per se* enim *officium* perfectum exigit, & *beneficium* perfectum pollicetur officium præstanti. Levit.18.5. *per accidens* verò hominem partim αἰδῷ ἁμίας, partim ἀδικίας suæ convincendo, partim fulmine suo terrendo eum compellit, ad quærendam rationem, quî δικαίωμα legis extra se adimpleri queat. Et de hac χρῆσιν Legis, non *primâ*, quâ dicitur data ad vitam, sed *secundâ*, quâ dicitur data ut sit pædagogus ad Christum, ad Gal.3.24. nec de consideratione Legis *directâ* in ordine ad hominem integrum, sed de *indirecta in ordine* ad hominem corruptum loquitur Paulus. *Inst.* Probabiliùs longè esse, Paulum respexisse ad id quod Legi *secundùm se* ac *primò* convenit, quàm ad id, quod ei tantùm convenit *per accidens*, *& secundariò*. *Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Paulus enim agit cum hominibus corruptis, & ostendit quem finem lex illorum respectu habuerit, non respectu integrorum cum quibus non agit. Adde, ex διηλεχία verborum patere, hanc esse ἀνθυποφορὰν, quâ amolitur Apostolus ὑποφορὰν Iudæorum, quàsi doctrina justitiæ, fidei intercederet Legis justitiæ, immò eam everteret, quod ex eo à se non fieri probat, quod sensu supra dicto, Legis finis sit Christus, prout alibi testatur, Legem à se non everti sed stabiliri. Ad Rom.3.31.

XLIV. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, immò *pro nobis & nostro loco* Christus legem implevit, qui *pro nobis* & *nostro bono* tantùm homo factus debitum nostrum *nostro loco* duntaxat exolvit. Immò si eam *pro nobis*, & *nostro loco* non implevisset, nec perfectus servator foret, nec nobis perfecta per eum acquisita esset justitia, quum non satis faciendum tantùm fuerit *minis* Legis per *obsequium speciale*, sed etiam *mandatis* ejus per *obsequium generale*. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, quasi Christus pro se Legem adimplere debuerit. Atqui illi Lex nec lata fuit, nec ferri potuit, qui erat persona θεάνθρωπος, nisi quatenus œconomia voluntaria se *nostro loco* ei subjecit. Obligatio verò tum *naturalis* illos Adæ filios, tum *fœderalis* illos Abrahæ filios duntaxat obstrinxit, qui erant naturales Adæ Abrahæque filii qualis Christus non fuit. 3. Denuo peccatur *falsâ hypothesi*, fuisse *conditionem* causæ merentis,

M

non *meritum*. Sic enim persona merens non fuisset in *completo esse* suo constituta, nisi decurso vitæ spatio, vel multo solùm tempore, donec Legem perfectè adimplesset. *Exceptiones* omnes, quæ ad diffusum hoc argumentum pertinent, nec hîc proponi possunt, & earum confutatio reservatur συζητήσει ipsi.

XLV. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari τὸ ἐν ἀρχῇ, & peccari *Elencho à dicto secundùm quid.* Quomodo Lex respexerit Christum, vel non, suprà ostensum. 2. Peccatur *falsâ hypothesi*, doctrinam de Christo Legi simpliciter contradistingui, contrarium suprà ostensum. Oeconomiam sanè legalem & evangelicam, & modum justificationis legalem & evangelicum, contradistingui, ἐξαίρετον est, doctrinam verò omnem Christi & Mosis, non item. Immò & Moses de Christo testatus est, & pædagogus ad eum fuit, & ipse modus justificationis Euangelicus probari potest testimonio Mosis & Prophetarum.

XLVI. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, quum ὁμωνυμία, & ambiguitas omnis satis superque tollatur, & ex distributione, vel consideratione distincta *subjecti generici* de quo agitur, & ex locorum parallelorum συνθέσει. Tunc ὁμωνυμία oriretur, si distincta vel distinguenda sumerentur indistinctè, non verò, si sumantur distinctè, & prædicata ita accipiantur, qualia esse permittuntur à suis subjectis. 2. Adde, eam Scripturæ Sacræ περιχώρησιν esse, præscriptis omnibus humanis, ut *plures* contineat *res* quàm *verba*, quum scripta omnia humana *plura verba* contineant, quàm *res*. Non mirum ergo paucis multa comprehendi, & Scripturæ S. sensum quandoque dilatari, & ex collatione dictorum, & ex intentione dicentis. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, distinguendi enim sensus ἐμφύτου & ἐπεισάκτου *innati* Scripturæ, & *illati* in illam *subordinati*, vel *coordinati*, & *oppositi*, *incompleti*, & *inadæquati*, & *completi* vel *adæquati*. *Priori modo* plures interdum dari fatemur, *posteriori* non item. Et diversa vel *subjecti* limitatio vel *prædicati*, vel χρόνος ad ἄλλο ἢ ἄλλως, & alia id genus tollunt ἀντίφασιν vel ἐναντίωσιν apparentem.

XLVII. 9. *Locus* est, 2. Cor. 3. 3. 6. 7. 9. 11. ubi lex vocatur *litera* opposita *spiritui*, & dicitur esse *litera occidens*, & *ministerium mortis*, oppositum *ministerio spiritus*, *ministerium condemnationis*, oppositum *ministerio justitiæ*. Immò dicitur, *ut* quid *inutile tolli*. Et Apostoli dicuntur *ministri novi pacti*, non *literæ* sed *spiritus*. Hinc *Argumenta* varia petuntur ab *Antinomis*, quæ ad hoc *generale* compendio revocari possunt. Quod est litera, & quidem litera occidens, ministerium mortis, & condemnationis, & quod ut inutile tollitur, & cujus Apostoli non sunt Ministri, illius usus non pertinet ad Christianos. At lex est litera, & quidem litera occidens, &c. Ergo, &c.

XLVIII. *Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim concluditur quæsitum, quum legis nomine hîc non intelligantur libri vel doctrina Mosis & Prophetarum, verùm œconomia legalis, contradistincta Euangelicæ, ut patet ex διακονίας geminâ, quam inter se confert Apostolus. Et sensus duntaxat est, ministerium Euangelicum legali multimodis præstare, eo quod non *jubeat* tantùm, sed & *juvet*, nec in *imperando* tantùm occupetur, sed

ſed & in *operando*, nec vitam tantùm oſtendat, inſtar miniſterii legalis, ſed etiam ad eam traducat, per vim Spiritûs quâ cum conjunctum eſt, non *justitiâ* tantùm propoſita, ſed & *conditione* neceſſaria per adminiſtrationem Spiritus uberem & efficacem ſuppeditata, qua homo ea potiri poſsit, ad juſtificationem vitæ, adeoque à legis maledictione abſolvi, ſimulque ad ejus obſequium ſincerè inchoandum renovari. Qualis ἐπιχορηγία Spiritus non conjuncta fuit cum œconomia legali, quæ quà talis imperandi tantùm facienda vim habebat, operandi imperata non item. 3. Peccatur *paralogiſmo accidentis*. Confunduntur enim prædicata, quæ legi competunt *per accidens*, ob corruptionem noſtram, cum iis, quæ legi conveniunt *per ſe* & ex natura ſua. *Priori* modo duntaxat lex eſt litera occidens, miniſterium mortis & condemnationis, non *poſteriori*. Adde, legem ſalutarem eſſe iis, quia ea utuntur, ut oportet, noxiam iis, qui ea abutuntur. Vtuntur verò lege, qui eam partim pro regula vitæ, partim pro pædagogo ad Chriſtum habent: abutuntur, qui vel literæ ejus hærent, vel in ea juſtitiam quærunt & vitam, vel illi ſoli, ſecluſo Chriſto & ſpiritu gratiæ, affixi manent, nec Moſen & Eliam, ut Chriſti teſtes, in ipſius conſortio contemplantur. 4. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, legem prorſus tolli, ut inutilem, quum διακονία legis duntaxat dicatur καταργεῖσθαι. 5. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*. Aliud enim eſt, Apoſtolos eſſe miniſtros *novi pacti*, aliud *novæ doctrinæ*, vel doctrinæ oppoſitæ Moſi; Iſtud non dicitur, ſed illud duntaxat, nec aliud quid deſignatur, quàm Apoſtolos eſſe non œconomiæ legalis præcones, ſed euangelicæ, hoc eſt, fœderis gratiæ, quo Deus ſpondet & condonationem iniquitatum, & inſcriptionem legis ſuæ in mentes & corda ſuorum, Jer. 31. 33. 34. illud per ſanguinem, iſtud per Spiritum Chriſti

XLIX. *Except.* 1. Sublata œconomia tolli id, quod ad eam pertinet. 2. Miniſterium legis etiam habuiſſe conjunctam gratiam, aliâs neminem è Patribus Teſtamenti Veteris gratiam conſequutum fuiſſe. 3. Moſen etiam & Prophetas præcones fuiſſe iſtius œconomiæ gratiæ, ſecundùm nos: Non ergo Apoſtolos id ſibi ut quid peculiare potuiſſe, vindicare.

L. Ad 1. *Exc. Reſp.* Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, nec enim ad œconomiam iſtam ſolam, vel *ſimpliciter* & *excluſivè* pertinent ſcripta Moſis & Prophetarum. Ad 2. *Exc. Reſp.* Peccari *falſa hypotheſi*, Spiritum gratiæ Patribus Teſtamenti Veteris collatum, illis adminiſtratum fuiſſe ſecundùm miniſterium legis, & ex eo, quod falſum. Illud enim, quâ tale eſt *oblativum* duntaxat gratiæ, quia ſub conditione non præſtabili, *collativum* non item. Quæ itaque gratia Patribus Teſtamenti Veteris adminiſtrata fuit, illis adminiſtrata fuit ſecundùm pactum gratiæ, quod vocat Paulus διαθήκην προκεκυρωμένην, ad Gal. 3. 17. *Inſt.* Pactum iſtud promitti demum ut futurum, Ierem. 31. 31. *Reſp.* Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*. Promittitur enim ut futurum, non κατὰ τὸ ὄν, ſed κατὰ τὸ πῶς, non ſecundùm *ſubſtantiam* ſuam, ſed ſecundùm *modum adminiſtrationis*, qui clarior longè fuit ac uberior & efficax magis ſub œconomia Euangelica, quàm ſub legali. *Inſt.* Atqui Patres Veteres fuerunt ſub œconomia legali. *Reſp.* Peccari eodem *paralogiſmo*, vixerunt enim Patres pii certa χάριτι ſub illa œconomia, tum habita

ratione temporis, quo illa duravit, tum habita ratione obnoxietatis eorum ad observationem pædagogiæ legalis, alia verò χύρι vixêre sub œconomia Euangelica, quia vitam & salutem non quæsivêre in pacto legali, sed in Euangelico, & quia quod àb illis fuit omissum, vel commissum contra *præscriptum legis*, id fuit iis condonatum, ex *indulto gratiæ*. Ad 2. *Excep. Resp.* 1. Per συνχάειαν, Mosen etiam & Prophetas fuisse præcones œconomiæ gratiæ, nec id Apostolos sibi potuisse vindicare, ut peculiare quid, excluso Mose & Prophetis. 2. Per αρ' ιαν, id quod sibi *ut peculiare* non potuêre vindicare Apostoli, illos id sibi *peculiare ratione* vindicare non potuisse. Ratio est, quia Moses & Prophetæ *directè* pactum legale, *indirectè* Euangelicum inculcarunt, Euangelistæ contra *directè* inculcant Euangelicum, illi sub involucris & cortice pædagogiæ legalis, isti sine velo tali, illi uni genti. isti, quibusvis gentibus, illi cum minore ἐνεργείᾳ Spiritûs, isti cum majore.

LI. 10. *Locus* est cap. 2. ad Ephes. ℣. 15. ubi dicitur, *legem mandatorum esse abolitam*. Vindiciæ hujus loci habentur, *Disp.* 3. *Thesi* 5 cui geminus est ille, qui exstat ad Coloss. 2, 20. Ubi *mortui cum Christo* dicuntur *liberi esse ab elementis mundi*.

LII. 11. *Locus* est cap. 1. ad Hebr. ℣. 1. ubi Deus dicitur loquutus Patribus per Prophetas, nobis verò per Filium. Sed & iste in superioribus à nobis excussus, & cavillis *Antinomorum* vindicatus fuit. Vide *Disp.* 3. *Thes.* 6.

LIII. 12. *Locus* exstat cap. 8. ad Hebr. ℣. 6. ad finem, ubi Deus dicitur Novum & præstantius fœdus pepigisse cum Ecclesia Christiana, cujus Christus vocatur intercessor, & id præstantioribus promissis sancitum dicitur, & concluditur, vers. 13. eo ipso antiquatum esse prius, *quod* verò *antiquatur ac senescit, propè ut evanescat*. Hinc *argumenta* varia educuntur ab *Antinomis*. 1. Fœdus aliud initum fuit cum Ecclesia Christiana, quàm olim cum Iudaica: Ergo & verbum aliud fœderis ad illam pertinet, quàm ad istam. 2. Præstantioribus promissis sancitum est fœdus, quod Deus cum Ecclesia Novi Testamenti contraxit. Ergo Vetus non renovandum. 3. Christus fœderis Novi intercessor vocatur, non Veteris. Ergo illi hærendum, non isti. 4. Vetus fœdus antiquatum fuit, & jam Pauli tempore propè erat, ut evanesceret. Ergo & tabulæ istius fœderis.

LIV. Ad *Arg.* 1. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*, & confundi τὸ ὅ & τὸ πῶς, *rem & modum rei*. Idem enim fœdus à Deo initum cum Ecclesia tum Iudaica, tum Christiana, quoad *substantiam* ejus, aliud verò vocatur tantùm, quoad *modum dispensationis*, qui in Veteri Testamento. 1. *Typicus* fuit, designativus bonorum spiritualium & cœlestium, sub velo & involucro corporeorum & terrenorum. 2. *Pædagogicus*, conjunctus cum sarcinâ ceremoniarum legalium, & appendice disciplinæ legis, cui subjacebat populus Iudaicus, ut infans in minorenne ætate sub rectoribus & curatoribus constitutus, ad Gal. 4. 1. 2. 3. 3. *Inferior intensivè*, conjunctus quippe cum administratione parciore lucis & gratiæ. 4. *Strictior extensivè*, restrictus quippe ad unum tantùm populum, cum quo Deus illud contraxit; Adeoque, collatus cum modo administrationis qui ei

successit

ſucceſsit in Eccleſia Chriſtiana, *συζευκτικῶς* minus optabilis cenſeri debet. Et hactenus dicitur *pactum* iſtud *præſtantius*, ſalva ſemper manente ſubſtantia eâdem fœderis ejuſdem utrobique, hoc ipſum *argumentum* retorquetur, quia non fuit initum fœdus aliud cum Eccleſia Chriſtiana, quàm cum Iudaica vetere: Ergo non aliud verbum fæderis ad illam pertinet, aliud ad iſtam.

L V. Ad *Arg. 2. Reſp.* Peccari denuò *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid. Præſtantioribus* enim *promiſſis* dicitur ſancitum fœdus Novum quàm Vetus, quoad *modum* proponendi & inculcandi, non verò quoad *res ipſas promiſſas*, quoad *diſpenſationem promiſſionum*, non quoad *ſubſtantiam* earum: Et ſic *præſtantiora* dici poſſunt *promiſſa* Novi Teſtamenti κατ' ἐπίτασιν. Adde, κατ' ἔκτασιν quoque talia dici poſſe, quia ad plures exporrecta fuêre.

L VI. Ad *Arg. 3. Reſp.* Peccari eodem *paralogiſmo* & *falſa hypotheſi*, neque enim fœderis Novi Chriſtus vocatur interceſſor, *excluſivè*, ſed *incluſivè*. Iſtius verò potiùs Mediator vocatur quàm illius, ob modum adminiſtrationis clariorem & uberiorem, & tum *intenſivè*, tum *extenſivè* præſtantiorē.

L VII. Ad *Arg. 4. Reſp.* 1. Eundem *paralogiſmum* admitti. Vetus enim fœdus antiquatum duntaxat quoad *modum adminiſtrationis*, non quoad *rem adminiſtratam*, quoad *accidentia* fœderis, non quoad *ſubſtantiam* ejus, quoad obſervationem externam appendicum fœderi annexarum non quoad internam ipſius fœderis formam. Et hactenus propè erat ut evaneſceret, & revera evanuit. 2. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἀναίτιον quia tabulæ fœderis pertinent præcipuè ad ſubſtantiam fæderis, & illa abolita non eſt, ſequitur nec illas eſſe abolendas, immò, κατ' ἀβίασι eas ſervandas, obſervatam fœderis ejuſdem naturam.

L VIII. *Exc.* 1. Fœdus vetus à Deo cum Eccleſia Iudaica initum olim ipſa *re* & *ſubſtantia* diverſiſſimum fuiſſe à fœdere inito cum Eccleſia Chriſtiana, illud legale prorſus fuiſſe, iſtud Euangelicum eſſe, illud ſubnixum ſtipulatione juſtitiæ inhærentis & propriæ, ejuſque perfectæ, iſtud ſtipulatione juſtitiæ imputatæ, illud *imperativum* duntaxat officii, iſtud ejus *operativum* per inſcriptionem legis in mentes & corda, illud conjunctum cum ſpiritus ſervitutis, iſtud cum ſpiritu libertatis. Hinc vetus fœdus vocari *primum*, contradiſtingui *veteri*, & *antiquandum*, dici immò *abolendum*. Haudquaquam verò vel verba Ierem. cap. 31. vel Apoſtoli ſalvari poſſe ad Hebr. 8. niſi fœdus vetus re & ſubſtantia diverſum concipiatur à Novo. 2. Si eadem ſint promiſſa Veteris & Novi fœderis, malè ab Apoſtolo dici, iſtud fuiſſe ſancitum ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις. Ad Hebr. 8. 6. 3. Moſen diſertè Mediatorem veteris fœderis vocari, non Chriſtum, ad Galat. 3. 19. 4. Non poſſe dici antiquari, minus ἀφανίζεσθαι, *evaneſcere*, quod quoad rem & ſubſtantiam, & potiori ſui parte manet.

L IX. Ad 1. *Except. Reſpon.* Peccari *fallacia* ὁμωνυμίας in nomenclatione *fœderis veteris*. Illud enim ſumi poteſt vel pro *fœdere primo naturæ* cum primis parentibus ante lapſum inito, & cum populo Dei in deſerto in ſpeciem renovato, ob apertam propriæ ejuſque perfectæ obedientiæ exactionem, vel pro *fœdere ſecundo gratiæ* cum primis parentibus poſt lapſum ſancito,

& cum Patriarchis fidelibus, Abrahamo vel inprimis & posteris ejus renovato, & tectè Mosaico fœdere per rituum appendices indicato, & populo impotentiæ ac impuritatis suæ conscio in solatium proposito. Si *primo modo* sumatur fœdus vetus, fatemur illud re & substantia diversum esse à Novo: si *secundo*, negatur. Quamvis enim, quoad *corticem literæ*, fœdus Mosaicum vitam non nisi sub conditione propriæ obedientiæ, ejusque exactæ secundùm τὸ ἀκριβοδίκαιον Legis instar fæderis naturæ, sine ullâ ἐπιείκεια polliceri videatur, tamen quoad intentionem Legislatoris, & quoad finem Legis iteratò promulgatæ ad venturum Messiam ducebantur Israelitæ *indirectè* per legem moralem, *directè* per ceremonialem. Non confundenda itaque ea quæ distinguenda. Vetus fœdus, h.e. *primùm natura* merè legale fuit. *Mosaicum* etiam κατὰ τὸ γράμμα tale fuit, tale verò non fuit κατὰ τὸ πρᾶγμα, quæ distinctio *Chrysostomum* authorem habet. *Inst.* Atqui fœdus à Ieremia indicatum describitur ut Novum, & sequuturis demum diebus ineundum. Fœdus verò cum primis parentibus initum, & cum Patriarchis renovatum, Mosaicum denique jam vetus fuit, & diu antecessit tempora Ieremiæ. *Resp.* 1. Peccari eâdem ὁμωνυμίας *fallaciâ*, vel *paralogismo à dicto secundùm quid*, in nomenclatione *novi fœderis*, quâ peccatum fuit in nomenclatione *Veteris*. Nec enim quod novum vocatur, semper *secundùm substantiam* suam tale censendum est, satis enim sit innovatum *secundùm aliquid sui*, prout mandatum dilectionis vocatur novum, Ioh.13.34. & 1.Ioh.2.8. quia de novo inculcatum, novis hominibus propositum, novis promissis subnixum, novo exemplo sancitum. Satis ergò, pari ratione fœdus novum vocari, quia renovandum, de novo inculcandum, novo gentilium populo proponendum, novo modo sine cortice & velo vel typorum vel ceremoniarum legalium exhibendum, novâ etiam gratiâ & uberiore administrandum erat. Prout חדש & in Scriptura Sacra, & apud Hebræorum filios *innovare* significat & *renovare*, & חדוש non tantùm Rabbinis est *res nova*, sed etiam *res renovata*, vel *rei renovatio*. Adde, חדש *novum* vocari posse fœdus illud per *Hebraismum*, h.e. eximium, ἐξαιρετικῶς, ut שיר־חדש *canticum novum*. Psalm.33.3. 2. Peccari *falsa hypothesi*, promissio enim illa non est *nova* fœderis *substantia*, sed *novi modi* id administrandi, & hactenus proponitur fœdus illud, ut sequuturum. 3. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Deus legem suam inscripsit mentibus & cordibus Patriarcharum veterum, & propitius fuit iniquitatibus eorum idem fœdus secundùm substantiam Patribus olim ante Ieremiam etiam exhibitum fuit. Ex dictis verò patet, quâ ratione fœdus illud antiquandum & abolendum denuntietur, & quâ ratione revera antiquatum fuerit ac abolitum.

LX. Ad 2. *Exc. Resp.* Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid* Fœdus enim illud sancitum dicitur præstantioribus promissis, *secundùm quid* tantùm, non *simpliciter*, nec ratione *substantiæ* promissorum, sed ratione *modi* ea & *clarius* proponendi, & *uberius* dilatandi, & *efficacius* imprimendi, & *latius* ad gentes quoque extendendi. Ὑπεροχὴ itaque illa tota *modi* est, non *rei*, & spectat τὰ ἐπουσιώδη fœderis, non τὰ οὐσιώδη. Nec sanè præstan-

tiora

tiora *quoad rem* promissa dari possunt, quàm quæ Abrahamo, Isaaco & Iacobo, Davidi aliisque Patribus facta, quæ eadem sunt cum promissis Novi fœderis, quæ habentur, v. 10. 11. 12.

LXI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, Mosen ad Gal. 3. 19. vocari Mediatorem Veteris fœderis, sed non *sensu univoco*, cum Christo, sic enim unus tantùm Mediator Christus est inter Deum & homines, 1. Timoth. 2. 5. sed *æquivoco* duntaxat, quatenus Moses internuntium egit inter Deum & populum, Deut. 5. 5. Exod 20. 19. Dei vocem excipiendo pro populo attonito, eamque referendo ad populum, & reciprocè pollicitationem & obsequium populi referendo ad Deum, haudquaquam verò sive quoad ἱλασμὸν, sive quoad ἐμφανισμὸν ἱλασμῷ innixum, sese sistendo victimam pro populo, quod solius Christi est, qui *propitiatio* est *pro peccatis nostris*, & sic *advocatus* noster *apud Patrem*, 1. Iohan. 2. 1. 2. 2. Ἀρνητικῶς, nec enim necessarium per Mediatorem ad Galat. 3. 19. intelligi Mosen, sed Christum potiùs, quod *Chrysostomus* ac ὑπομνηστὴς ipsius *Theophylactus* post eum expressêre, cui & κυρίως nomenclatio propriè competit, & res illa designata, quippe per quem Deus ad Mosen in monte Sina loquutus dicitur, Act. 7. 38. 3. Adde supponi, non probari, Mosen vocari mediatorem Veteris fœderis, quum internuntius tantùm dicatur, non fœderis, sed legis delatæ ad populum. 4. *Vetus fœdus* vel sumitur *strictè* pro *fœdere naturæ*, contradistinctio *fœderi gratiæ*, & sic Mediatorem non ferebat, quippe quod *propriæ obedientiæ* præstationem exigebat à fœderatis, non *vicariæ* à sponsore fœderatorum: vel sumitur *latè* pro fœdere *apertè* legali, *tectè* verò Euangelico, & sic Mediatorem nullum admittere poterat, præterquam illum, qui utroque & ἱλασμοῦ & ἐμφανισμοῦ actu, & perfectissimo quidem, pro nobis potuit defungi.

LXII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, non posse dici antiquari, quod secundùm veterem dispositionis modum abrogatur, vel cujus πολιτεία, *œconomia*, & *forma externa* tota mutatur, quasi verò τὸ παλαιοῦσθαι non dici possit de persona, vel re, salva manente ejus substantia. 2. Adde, supponi, Apostolum dici fœdus vetus ἀφανίζεσθαι, atqui Apostolus tantùm testatur, illud esse ἐγγὺς ἀφανισμοῦ, ratione nimirum mutationis œconomiæ veteris. 3. Si per vetus fœdus intelligatur *strictè* fœdus legale contradistinctum Euangelico, & præcisum ab omni manuductione ad Euangelicum, concedi potest, illud fuisse non tantùm παλαιωθὲν, verùm etiam ἀφανισθὲν respectu filiorum Dei. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*, & *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim ex abolitione fœderis veteris, sequitur abolitio Scriptorum Mosis, & Prophetarum ut qui Christum & Euangelium passim inculcant, & ad id manuducunt.

LXIII. *Vltimus* locus est ad Hebr. 10. 1. *Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum*, &c. *nunquam potest accedentes sanctificare.* Hinc ita argumentantur *Antinomi.* 1. Quod umbram tantùm habet futurorum bonorum, id non necessarium Christianis. At lex umbram tantùm habet. Ergo, &c. 2. Qui habent expressam formam rerum, non opus habent umbrâ earundem. At Christiani habent expressam formam

formam rerum. Ergo,&c. 3. Quod non potest sanctificare Christianos, id illis non necessarium: At lex non potest eos sanctificare. Ergo,&c.

LXIV. Ad *Arg.* 1. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἀναίτιον, & *Elencho à dicto secundùm quid*, quod umbram tantùm habet futurorum bonorum, non pertinet ad Christianos, quoad *praxin*, & *observationem*, pertinet tamen quoad *cognitionem*, *meditationem* & *relationem* ad τὸ τυπωθὲν, vel εἰκόνα suam. Immò ex collatione *umbræ & formæ expressæ* clariùs elucescit & ipsum *corpus* quod nobis exhibitum in Novo Testamento, & Ecclesiæ Christianæ felicitas præ Iudaicâ. 2. Peccatur *Ignoratione Elenchi* & παρερμηνείας loci, loquitur enim Apostolus ad Hebr. 10.1. de lege ceremoniali & hostiis quotannis expiationis anniversariæ die ex præscripto, Levit. 16. Deo offerri solitis, ut patet ex ἀκολουθίᾳ verborum *immediatè* sequentium, *legem* istam *hostiis nunquam potuisse* τελειῶσαι *accedentes per eas ad Deum*, & eas Deo offerentes ad reconciliationem cum eo quærendam, ex ἀντιθέτῳ subjecta inter *sanguinem hircorum* & *taurorum* quotannis Deo offerri solitum, quo non poterant purgari peccata, & *oblationem corporis Christi semel factam*, vers. 10. Aliud verò est, loqui de vigore ceremoniarum & hostiarum Testamenti Veteris, vel legis secundùm illas, aliud de duratione & cognitione ac meditatione scriptorum Legis & Prophetarum,

LXV. Ad *Arg.* 2. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*. Qui habent *expressam formam rerum*, non opus habent *umbrâ* earundem, ut *pædagogo* manu ducente ad ipsas res exhibendas, eâ tamen opus habere possunt, ut *indice* rerum ipsarum exhibitarum, & tabella commendante nobis lucis sub Euangelio exhibitæ magnitudinem, 2. Eodem *Elencho* peccatur, hoc modo: Qui habent expressam formam rerum, ii non opus habent umbrâ earundem *adesse* fidei, *necessitate absoluta*, opus tamen eâ habent ad *bene esse* ejus, & ad majorem ejus ἀσφάλειαν, *necessitate hypotheticâ*. 3. Peccatur *ignoratione Elenchi*, quia aliud longè est, non opus habere legalibus ceremoniis, ut observandis hodieque, & ad praxin revocandis, aliud, non opus habere scriptis Mosis & Prophetarum, utpote in quibus innumera præter umbram illam, prænuntiam vivæ imaginis aliquando exhibendæ, reperiuntur, Historia nimirum Veteris Ecclesiæ, perpetua in lege morali vitæ regula, & alia id genus.

LXVI. Ad *Arg.* 1. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἀναίτιον, multa enim nobis necessaria scitu & cognitu, quæ tamen non possunt sanctificare. Nec hæc ratio sola est, cur aliquid debeat cognosci & retineri. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, si ob id lex planè abolenda sit, quia non potest sanctificare Christianos inter Iudæos ipsos abolenda erat, quippe qui ne ipsi quidem per eam poterant sanctificari, & tamen Deus volebat umbram illam inter Iudæos exstare, ceremonias observari, & hostias offerri. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Quod non potest sanctificare, non est necessarium, scilicet ad sanctificationem, potest tamen necessarium esse ad usus alios. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim hic sermo de scriptis Mosis & Prophetarum eorumque usu, sed de usu tantùm ceremoniarum & hostiarum legis. *Exceptiones* nullæ hîc adferri possunt, quæ vel alicujus commatis

tis sint, vel quarum confutatio non satis superque ex superioribus patescat.

Ἐπιμετρα Micella.


1. *An Scriptura Sacra rectè vocetur judex controversiarum? Aff.*
2. *An Scriptura Sacra divinitas ex ipsâ Scriptura probari possit? Aff.*
3. *An nomen Iehova creaturis etiam sit commune? Neg.*
4. *An* simplicitas *sit attributum Dei, & necessariò Deo tribuenda? Aff.*
5. *An Scriptura Sacra non* immutabilem voluntatis, *duntaxat, verùm etiam* essentiæ *Deo adscribat? Aff.*
6. *An* immensitas *non tantùm* virtutis, *sed etiam* essentiæ *Deo ascribenda sit? Aff.*
7. *An* corpus *vel* quantitas *Deo tribui possint? Neg.*
8. *An* localitas *vel* temporis duratio *de Deo propriè efferri possint? Neg.*
9. *An detur* scientia media *in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis? Neg.*
10. *An scientia visionis sit prior decreto? Neg.*
11. *An voluntas servandi credentes perseveranter, & damnandi perseveranter incredulos sit totum decretum* Prædestinationis? *Neg.*
12. *An Electio fiat ex fide prævisa? Neg.*

DISPVTATIONVM ANTI-ANABAPTISTICARVM

Quinta Ἀναπεδαστική,

DE VSV SCRIPTVRÆ VETERIS TESTAMENTI in Ecclesia Christiana.

Thesis I.



Rgumentis inartificialibus, quæ ex apertis Scripturæ sacræ locis ab Antinomis duci videntur, Disputatione superiore confutatis, progredimur ad *ἀνασκευὴν argumentorum artificialium,* quæ *οἱ ἐξ ἐναντίας* ducere solent, ex ipsa, de qua agitur, rei natura. Partimur verò illa pro Methodi nostræ instituto, 1. In ea quæ ducuntur ex *natura subjecti.* 2. In ea quæ ducuntur ex *natura prædicati.* Nec prolixior, quæ in hac controversia penitus excutienda opera ponitur, vel inutilis, vel anxia nimis censeri debet, quum de fidei nostræ principio asserendo hîc agatur, cujus bonam partem, quum totum non

possit, specioso *Antinomorum* veterum novorumque commento, sive Libertatis Christianæ sive perfectionis N.Test. obtentu subvertere molitur humanæ salutis hostis. Pretioso itaque peculio isti filiorũ Dei integro asserẽdo vindicias cõmodare, haudquaquã est μικρῶν τῶν ἀγαθῶν φροντίζειν.

II. *Argumenta* ducta ab adversariis è *natura subjecti*, quæ alicujus commatis esse, & Lectoribus minus in hoc argumento subactis crucem figere posse videntur, ista potissimùm sunt. 1. *Argumentum* est: Scriptura opposita Scripturæ Novi Testam. ad Christianos non pertinet, nec ex ea sive fidei dogmata, sive vitæ instituta ab illis peti debent, aut probari. At Scriptura V. Testamenti talis est. Ergo ad Christianos non pertinet, &c. *Minor* probatur *duplici ratione*. 1. *Ex collatione præceptorum*. Scriptura quæ proponit *præcepta* opposita præceptis Scripturæ Testamenti N. ea illi opposita est. At Scriptura Testamenti V. proponit talia: Ergo, &c. *Minor* probatur ex *συγκρίσει Capitum quinti, noni, duodecimi & decimi noni* Matthæi cum Lege Mosis, ex illa enim patere, præcepta Scripturæ V. Testamenti non *diversa* duntaxat esse à præceptis Scripturæ N. Testamenti; sed & *adversa* illis. 2. *Ex collatione promissorum*. Scriptura quæ proponit *promissa* opposita promissis Scripturæ Testamenti Novi, ea illi opposita est. At Scriptura Veteris Testamenti proponit talia: Ergo, &c. *Minor* probatur. Scriptura Veteris Testamenti proponit tantùm felicitatem corporalem indulgendam observatoribus Legis in terra Canaan: Scriptura verò Novi Testamenti promittit tantùm felicitatem cœlestem indulgendam observatoribus Euangelii in æterna beatitate. Ergo habent promissa opposita. *Antecedens* probatur, 1. Ex cap. 5. Ioh. ℣. 39. ubi Christus falsam Iudæorum opinationem perstringit, quod *putarent se vitam æternam* in Scriptura Veteris Testamenti *habere*, quum tamen eam haudquaquam ex ea haberent, 2. Ex 2. Epist. ad Timoth. 1. 10. ubi Christus dicitur, *mortem abolevisse, & proposuisse vitam, & incorruptibilitatem*, hoc est, vitam incorruptibilem per τοῦ εὐαγγελίου *per Euangelium*: Adeòque nec Moses eam proposuit ante, nec ea promissa fuit per Legem. 3. Ex cap. 8. ad Hebr. ℣. 6. ubi *promissa* Testamenti Novi dicuntur *meliora, comparatè* nimirum ad promissa Testamenti Veteris. 4. Ex cap. 11. ad Hebr. ℣. 13. & 39. ubi *Patres* dicuntur *non assequuti fuisse promissiones*, nimirum vitæ æternæ assequuti enim fuêre promissiones vitæ temporalis, quippe quam exegerunt feliciter in terra Canaan. Et disertè addit Paulus vers. 40. Deum κρεῖττόν τι, *melius quid*, providisse pro nobis.

III. Sed & hîc nihil nisi fluctus in simpulo. *Ad* 1. *Arg. Resp. Minorem* propositionem falsam esse, & utramque ejus probationem ἀπολείπειν. Ad 1. *Probationem Resp.* (*Minorem* itidem falsam esse, & peti τὸ ἐν ἀρχῇ sive *præcepta moralia* hîc intelligantur, quippe quæ utrobique eadem, sive *ceremonialia* & *judicialia* etiam, quæ *juris positivi* duntaxat fuêre & *particularis*, quæ *diversa* quidem à Præceptis Testamenti Novi dici possunt, *adversa* verò iis haudquaquam. 2. Supponitur etiam, non probatur, oppositionem istam præceptorum Scripturæ Veteris & Novi Testamenti confirmari ex *συγκρίσει* capitum 5. 9. 12. & 19. Matthæi cum Lege Mosis, adeoque denuò τὸ ἀμφισβητούμενον ponitur pro probato. Specialis præceptorum *tertii, sexti & septimi*

septimi, quæ mutata & perfecta contendunt Anabaptistæ, cum *Manichæis* veteribus, & *Socinianis* recentibus collatio & ἔνδειξις pertinet ad Quæstiones quæ concernunt munus Christi Propheticum. In genere notasse sufficiat, Matthæi 5. Christum haudquaquam agere *latorem* novæ Legis, oppositum Mosi, sed potiùs *interpretem* & *vindicem* Legis veteris, adeoque non arietare in effata Legis, sed in glossemata & commenta, quæ à Iudæorum Magistris infarta erant in Legem, quicquid hîc satagant *Antinomi*, & cum illis Author Celeberrimus librorum de Jure Belli & Pacis, lib. 1.cap.2.

IV. *Exc.* 1. *Præcepta* saltem *ceremonialia & judicialia* opposita esse præceptis Testamenti Novi, quum illa observare Christianis hodie non liceat, immò quum Christus nihil prosit iis, qui ea observant ad Galat.5. vers.2. At si *diversa* tantùm forent non *adversa*, nihil obstaret ea hodieque observari. 2. Falsum esse, Christum interpretem tantùm agere Legis per Mosen datæ, Matthæi, cap.5. Nam 1. Aliud sonare verba toties repetita, *Audistis dictum fuisse veteribus: Ego verò dico vobis:* Oppositionem enim illam, ut & versionem *Syriacam*, & alias ostendere, illud *veteribus* significare *ad veteres*, non *à veteribus*, ut *vobis* exponendum est *ad vos*, non *à vobis*. Veteres autem illos non alios fuisse, quàm qui Mosis tempore vivebant. 2. Quæ ut veteribus dicta citantur, non Legis peritorum esse, sed Mosis, aut verbotenus, aut sensu. *Non occides*, Exod.20.30. *Quisquis occiderit, tenebitur judicio*, Levit.21.21. Numer.35.16.17.30. *Quisquis dimiserit uxorem, det ei libellum divortii*, Deuter.24.1. *Non pejerabis, se reddes Domino, quæ juraveris*, Exod.20.7. Numer.30.2. *oculum pro oculo, dentem pro dente*, (supple, reposcere licet in judicio) Levit.24.20. Deuter.19.21. *Diliges proximum tuum*, (id est, Israelitam) Levit.19.18. *Et odio habebis inimicum tuum*, Puta septem populos, cum quibus amicitiam colere, quorumque misereri vetantur, Exod 34.11. Deuter.7.1. His addi posse Amalecitas, in quos Hebræi jubentur habere bellum implacabile, Exod.27.19. Deut.25.19. Quæ omnia objicit Auctor magni nominis, lib.1. de Jure Belli & pacis cap.2.

V. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, & *non causæ*. Præcepta quæ hodie observare non licet, ob id *adversa* esse præceptis Novi Testamenti, quod falsum. Ejus enim rei causa non est, *oppositio præceptorum*, sed eorundem partim *natura*, partim *sanctio ad tempus*. *Natura* quidem, quia enim *typica* fuêre, designativa Messiæ exhibendi, & beneficiorum sub eo, & ab eo conferendorum, meritò Messia exhibito illa abrogari debuêre, & ea retinentibus, ut circumcisionem v. g. Christus nihil prodest, ad Galat.5.2. eò quòd tales præceptorum illorum observatione testentur, se non censere, Christum exhibitum esse in carne, qui error capitalis est. Adde, sancita ea fuisse Ecclesiæ, *ad tempus* tantùm, adeoque obtinere duntaxat debuisse, μέχρι καιροῦ διορθώσεως. Ad Hebr.9.10. & usque ad beata illa tempora vocationis gentium, quibus volebat Deus *allicere Iaphetum, ut habitaret in tentoriis Semi*, Genes.9.27. & quibus *nomen Iehovæ magnum* esse debebat, *in gentibus, ab ortu Solis usque ad occasum ejus*, *&, in omni loco offerri nomini ipsius suffimentum & munus purum*, Malach.1.11. Quo

tempore nec observari amplius debebant, nec poterant, ut ostensum *Diss.* III. *Thes.* VII. Sic v. g. præcepta multa *positiva* priora observare non licet subditis, vel servis, quæ tamen haudquaquam *adversa* sunt posterioribus, quæ post illa imperantur, sed *diversa* tantùm, v.g. Preces imperari possunt subditis pro Principe in minorenni ætate sub tutore constituto ἄχρι τῆς προθεσμίας, ut Deus illum ad eam ætatem perducat, in qua ipse ad clavum sedeat, & regundo Regno maturus sit: ubi verò Princeps rebus gerendis jam admotus est in majori ætate, illæ preces illicitæ sunt, & orandus duntaxat Deus pro prospera Principis administratione, nec tamen illæ preces *adversa*, sed *diversa* duntaxat. Sic Davidi licebat preces fundere pro filio ægro; pro mortuo non item. Licebat in Silo, stante Tabernaculo, sacrificia offerre, erecto verò Templo Hierosolymis, non item. Nec tamen præcepta illa *adversa* sed *diversa*, tantùm. 2. Peccatur *Elencho parium*, & *fallacia plurium interrogationum*. Nec enim eadem prorsus *ceremonialium* & *judicialium* præceptorum est ratio. Illa ἁπλῶς abrogata, quia ἁπλῶς *typica* & *positiva*, ista non item, quia multa ex iis fundata fuêre in jure naturæ, quæ, quà talia, hodieque observanda. Quamvis alia, quæ *merè positiva* fuêre, non tam non liceat hodie observare, quàm vel inutile id sit, vel incommodum etiam. Sic v. g. inutilis foret observatio, *secundùm speciem*, præcepti de summitate ædium clathris circumdanda, ubi domus fastigiatæ sunt, nec ulla ὑπερῷα, ad morem Orientalium. Sic incommoda foret lex agraria inter Iudæos usitatata, scriptio Libelli diuortii, & alia id genus.

VI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, Christum non Interpretem *strictè* dictum, vel expositorem nudum agere Legis per Mosen datæ, quum & vindicem ejusdem se, probet. 2. Ἀνταιτικῶς. Immò eo ipso, quo verus Interpres Legis fuit, ejusdem etiam vindex esse debuit, & hoc sensu falsum erit, Christum non Interpretem tantùm agere Legis per Mosen datæ, quamvis circa vindicias ejus occupetur. 3. In *prima* ratione peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐπίρρημα, verba illa; *Audistis dictum fuisse veteribus*, intelligenda esse *objectivè*, non *subjectivè*: Ergo Christum non agere tantùm Interpretem Legis: Nec enim ista cohærent. Prius enim verum, posterius falsum. Illud probant & *Syrus*, qui directè habet vers. 21. אתאמר לקדמיא *dictum veteribus*, δοτικῇ πάντη, & loca parallela ad Rom. 9. 12. 26. Ad Gal. 3. 16. istud, nec Scriptura probat, nec ratio. 4. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, veteres illos non alios fuisse, quàm qui Mosis tempore vivebant, quod est τὸ ἀμφισβητούμενον, & quod probatum oportebat, non suppositum. Immò est illatio *à non distributo ad distributum*, quæ inconsequens.

VII. *Inst.* Vocem illam ἀρχαῖον, & plerunque apud Græcos longævam quandam vetustatem significare, & apud Novi Testamenti Scriptores eundem fermè usum habere. Nam excepto eo loco, qui est Actor. 21. 16. alibi ad Prophetarum, aut Mosis ætatem, aut etiam ulterius referri, ut videre est, Luc. 9. 8. 19. Act. 15. 7. 21. 2. Cor. 5. 17. 2. Petr. 2. 1. Apoc. 12. 9. & 20. 2. *Resp.* 1. Peccari *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει. Interdum ista voce longævam quandam vetustatem significari, verum, semper, aut plerumque, falsum, promiscuè

miſcuè enim Scriptores Græci eâ voce uti conſuevêre, ad deſignandam quamvis antiquitatem, & illis οἱ ἀρχαῖοι ſunt majores quivis: Sic bona πατρῷα dicuntur ἀρχαῖα, & Syrac.9.12. φίλος vocatur ἀρχαῖος. Sic *Heſychio* & *Suida* ἀρχαῖον eſt παλαιὸν, quod & de Sene, & de Veſte, & de Vino, & de Beneficio dici, adeoque non ad ultimam ætatem communiter referri, notum eſt Græcorum filiis. Sic παλαιὸς ſimpliciter γέρων eſt Græcis, oppoſitè τῷ νέῳ, vel τῷ νεωτέρῳ. Eodem ſenſu dicuntur Græcis ἀρχαῖοι ἄνδρες. Et ſanè; quicquid præceſsit aliquo tempore, ἀρχαῖον Græcè vocari poteſt. 2. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Si longæva quædam vetuſtas deſignetur, deſignari antiquitatem à Moſis tempore repetitam, quod αἰωνόβιον, imò & ætas longè infra Moſen iſta nomenclatione appoſitè deſignatur, qualem hîc intelligendam cenſemus, quum profiteatur Dominus, ſe non velle καταλῦσαι Legem, ſed πληρῶσαι, hoc eſt, & *prædictiones* Propheticas, & *mandata* legalia, & *umbras* legales adimplere, prout id appoſitè interpretatur Bulgarorum Patriarcha. Adde, perfectiſsimæ legi, qualis Moſaica fuit, nihil à Dei Filio opponi potuiſſe. 3. Peccatur παρερμηνείᾳ vocis hujus, allegatione locorum, Luc.9.8.19. & Actor.15.7. 2.ad Corinth. 5.17. ubi ἀρχαῖος haudquaquam longævam vetuſtatem neceſſariò ſignificat, nec enim omnes Prophetæ eâ ætate vixêre ante Chriſti tempora, de quibus ſermo, Luc.9.8.19. nec Actor.15.7. vocibus ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων deſignatur tempus aliud, præterquam ſive initium prædicationis Euangelii à Chriſto inſtitutæ; ſive miſsionis primæ Apoſtolicæ dies, ſiue etiam tempus viſionis cœleſtis Petro exhibitum, Actor.10. quæ omnia ſanè tunc non erant longæve vetuſtatis. Nec 2.ad Corinth.5,17. τὰ ἀρχαῖα deſignant neceſſariò ea duntaxat, quæ inde à Moſis ævo invaluêre, opponuntur enim ſimpliciter τὰ ἀρχαῖα τοῖς καινοῖς, h.e. ſtatui Eccleſiæ renovatæ per Chriſtum. Immò *peccata præterita* ſimpliciter vocantur à LXX. Interpretibus ἀνομίαι ἀρχαῖαι, Pſalm.79.8. ubi in Hebræo עונות ראשונים, hoc eſt, *iniquitates priores*, vel *præcedentium temporum*, prout & Eſa.43.18. קדמניות & ראשנות æquipollent. Sic ראשון promiſcuè Græcis & πρεσβύτερος eſt & ἀρχαῖος. Senſus itaque verborum Domini eſt, Iudæorum Magiſtros legis corruptores præceptis à ſe depravatis ſolitos fuiſſe prætexere procœmium iſtud ſpecioſum, *Dictum eſſe antiquis*, h. e. præcepta à ſe inculcari ſolita, nova non eſſe, ſed vetera, & majoribus Iudæorum jam olim tradi ſolita. Immò poſito, non conceſſo, per ἀρχαίους intelligendos eſſe illos, qui ultimâ ætate vixêre, tempore Moſis, non tamen inde ſequitur, Moſis verba allegari, ſed hoc duntaxat, Doctores illos Judæorum jactaſſe, ea quæ à ſe docerentur, jam olim tradita eſſe Dei populo, etiam Moſis, ſed gratis & præter rem.

VIII. In *ſecunda ratione* peccatur. 1. Vel *poſitione* τοῦ ἐξ ἀρχῆς, vel *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει, quæ ut veteribus dicta recitantur, non legiſperitorum eſſe, ſed Moſis, aut *verbotenus*, aut *ſenſu*: falſum enim id de verbis, *obnoxius erit judicio*, & *inimicum tuum odio habebis*, quorum illud præter Legem eſt, iſtud contra Legem. Nec utrumque ſive verbotenus, ſive ſenſu in Moſe habetur. 2. Peccaretur falſa allegatione loci, Levit.21.21. ubi nihil nec τῷ

τὸ χρῆμα, nec ὡς τὸ πρᾶγμα de hoc argumento, nisi mallemus hoc πταῖσμα Operis imputare, potiùs quàm *Auctori.* Exstat verò Locus hujus argumenti, Levit.24.21. 3. Peccatur *falsa hypothesi*, nec enim ἰουδαϊκὰ sunt verba, quæ habentur, Matth.5.21. *Qui occiderit, obnoxius erit Iudicio*, & ea quæ habentur, Numer.35.16.17.30. *Omninò morti tradit occisor.* *Obnoxius* enim *Iudicio* etiam ille esse potest, in cujus factum inquiritur, & qui vel nulla pœna afficitur, vel leviori quàm capitali. Immò ex versu 22. patet, delictum minus aliis describi à Christo per obnoxietatem ad Judicium, allusione instituta ad gradus pœnarum constitutarum inter Judæos, sui temporis. *Institut.* Sensum verborum, *obnoxius erit Iudicio*, esse, ut homicida ducatur ad Judices, & eorum sententiâ condemnatus capitis supplicio afficiatur, Levit.24.21. Numer.35.16.17.30. *Respond.* 1. *Per concessionem*, sensum verborum, Levit.24.21. & Numer.35.16.17.30. talem esse. 2. *Per negationem*, sensum eundem verborum, Matth.5.21. Id enim dicitur tantùm, non docetur, & supponitur id ipsum, quod est τὸ ζητούμενον. Eundem verò sensum non esse ex eo patet, quia etiam *Triumvirorum* Collegium erat דין κρίσις, & quia ille quoque qui reus peragitur coram pedaneis judicibus, ἔνοχος est τῆς κρίσεως. Non dubium itaque, quin verbis *genericis* præter mentem Legis usi fuerint corruptores Legis inter Judæos, ut sic eluderent vim ejus, & scelerum ac sceleratorum pœnas mitigarent, quod illis Doctoribus solemne est, qui auram popularem captant, quales Pharisæos fuisse, passim Christus docet, ut de rigore pænarum remittant, & flagitiosis supparasitentur. Alia verò longè est ἔνδειξις & ἔμφασις verborum legis, *morti traditor* & *omninò quidem*; priora verba *indefinita* sunt & indeterminata, posteriora *definita* & determinata. Adde, si ista Mosis verba forent quoad sensum, non Pharisæorum, nullum locum habituram ἀντίθεσιν illam subjectam à Christo, versu 22. *Ego verò dico vobis.* Nec enim Dominus se unquam opponit Mosi, immò Mosen commendat, & Judæos ad eum remittit, & Legis firmitatem & perpetuitatem gravissimis asserit verbis, nec hic justitiæ Mosaicæ novam opponit, sed Justitiæ Pharisaicæ, quali docet non patere aditum in Regnum Cœlorum, versu.20. urgendo veram Justitiam iam olim in Lege traditam, sed glossematibus variis interpolatam à falsis Doctoribus. Adde, iis Christum se opponere qui externa tantùm & enormia delicta Lege Mosis argui & damnari docebant, verbi gratia, homicidium, adulterium, perjurium, & gemina istis flagitia. At Mosen internorum etiam motuum & affectuum pravitatem damnasse, satis vel ex solo præcepto decimo patet. Vnde liquet, Dominum hic in illos duntaxat invadere, qui solebant dilatare Phylacteria sua, & contrahere Legem, producere fimbrias suas, & decurtare præcepta Dei. Adde, Legem ut summè perfectam, & tum *intensivè*, tum *extensivè* talem nobis describi, cui nihil nec addendum sit, nec detrahendum, qui itaque illa à Christo perfici potuit? Cum nihil perfectionis addi possit rei alicui, quin eo ipso negetur esse perfecta. Si itaque Dominus Mosis duntaxat verba sine glossematibus Pseudo-Doctorum produxisset, haudquaquam locus fuisset oppositioni,

quæ

quæ paſsim iſto capite reperitur. Adde, verba v.33. οὐκ ἐπιορκήσεις, *non peierabis*, haudquaquam eſſe Legis, quippe quibus longè latiora habentur præcepto tertio; *Non ſumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Exod.20.7. At ἐπιορκεῖν *peierare* duntaxat eſt, deſignat enim ἐπίορκον ſingularem, vt bene obſeruat *Auctor Etymologici Magni* ad verbum iſtud, ubi notat ὁ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύων· ἀφαιρεῖ τὸ ἰδίως κεῖται, καὶ δηλοῖ τὸ ὑστέρῳ ἀεὶ τὸν ὅρκον γίνεσθαι, καὶ ὀμόσαντας αὐτόν. Et *Heſychius* ἐπίορκον vocat ὅρκον μὴ φροντίζοντα. Sumi verò poteſt nomen Dei in vanum, ſine ἐπιορκίᾳ. Et *Syrus* vim τοῦ ἐπιορκεῖν egregiè *exprimit*, dum reddit verba, οὐκ ἐπιορκήσεις, לא תדגל במומתך *non mentieris in Iuramento tuo*. An verò hoc ſolum crimen proſcribitur præcepto tertio? *Inſt.* שוא idem eſſe quod שקר. *Reſp.* Peccari *Elencho* ἐκ τοῦ ὡς μέρει, idem enim aliquando tantùm deſignant, non verò ſemper. Nec mirum, vocem *genericam* interdum ſumi pro *ſpecifica*, etſi illa latius pateat iſtâ. Idem inuictè oſtendunt *ſpecies* ſubjectæ juramentorum introductorum à Iudæorum Magiſtris, quæ pertendebant contraria non eſſe tertio præcepto, jurare per Cœlum, per Terram, per Hieroſolymas, per caput ſuum, quæ quidem ἐπιορκία non erant, incurrebant tamen in interdictum præcepti tertii. Immò ἐρήμην nobis hîc δικάζει, dum fatetur *Auctor* ad verſ.34. cauſam huius dicti non dubiè hanc eſſe, quod Iudæorum Magiſtri probatiores ita abſterrerent homines à facilitate jurandi, ut tamen id ad eas duntaxat formulas pertinere vellent, quibus directè Deus nominaretur, quippe quominus in uſu quotidiano per res minores juraretur, non intercedebant. Cum talibus itaque Chriſto hîc negotium, non cum Moſe, iſta enim cohærent. Sic idem *Auctor* ad verſum 21. in Annotationibus ſuis in caput V. Matthæi notat, *Chriſtum videri de jure Moſaico hic agere, eo ſenſu, quo de eo jure loquebantur Legiſperiti & Phariſæi, & quomodo id jus in judiciis forenſibus vigebat, ad quæ Chriſtus alludat.* Quod ſententiæ illi, quam tuetur, confutandæ ſatis eſſe poteſt. Inde enim liquet, Chriſtum non cum Moſe agere, ſed cum Legiſperitis, & Phariſæis illis, & illorum corruptelis verba ſua opponere, non Legi. Nec obſtat, Chriſtum quædam Legis verba referre, ſatis enim ea & alio ſenſu referri, & alia inſeri, vel addi, quæ Legis non ſunt, ut pateat, verba illa referri, prout interpolata erant à falſis Magiſtris. Et graviter hallucinatur Vir Celeberrimus, qui cenſet, non ſatis certam eſſe eorum ſententiâ, qui dictis Decalogi verbis directè putant vetari juramenta ob cauſas non ſatis graves. Immò directè ex latitudine vocis שוא tale interdictum infertur, nec Decalogus ſumma ſemper peccata nominat, ut ſupponitur, contrarium enim patet ex præcepto decimo. Sic ſi Dominus Moſis verba referre voluiſſet, uſus fuiſſet, dubio procul conſueto ſibi procemio, οὐκ ἀνέγνωτε, *non legiſtis*, quod occurrit Matth.12.3.5. & 19.4. & 21.16.42. & 22.31. At diverſo hic utitur, immò peculiari planè loquendi genere, ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις. Quid clariùs itaque, quàm Chriſtum non Moſen hic introducere, ſed ſedentes in Cathedra Moſis, & Moſen ex ea deturbantes commentis ſuis? Speciales Locorum de Diuortio & talione vindiciæ reſeruandæ ſpeciali ἐκδικήσει præceptorum, quæ pertinet ad locum de munere Chriſti Prophetico.

IX. Falsum quin etiam, nec ἄχαρτον tantùm, sed [illegible] etiam est glossema illud quod addit idem *Auctor*, *Diliges proximum tuum* idem esse, ac diliges Israëlitam. Præterquam enim quod vox רע πλησίον ad quosvis extenditur, extraneos etiam & alienos à Republica Israëlis, ut ostensum *Disputat.* III. *Thesi.* XIV. licuisset Iudæis, citra peccatum, quosvis non Israelitas non diligere, quod absurdum, cùm *Auctor* ipse hoc postmodum restringat ad certas tantùm gentes internecioni devotas. Adde, quum dilectionis officia debuerint ex mandato exhiberi etiam non Israelitis, inde liquere dilectionem iisdem debitam fuisse. *Institur.* Interpretationem istam confirmari, Levitic.19.18. *Ne ulciscitor neque iram asservato in populatores tuos: ne instato contra sanguinem proximi tui*; proximos itaque esse populares. *Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, demus, *proximum* hîc designare Israelitam, an verò inde sequitur, ubique tantùm designare talem? Peccatur verò *Elencho* ἐκ τοῦ ἐν μέρει. 2. Ἀρνητικῶς, nec enim *exclusiva* hîc reperitur, in populares duntaxat ultionem & iram non exercendam. Immò quum ultio, privata nimirum, de qua hîc agitur, peccatum sit, & usurpatio Juris divini, vel publici humani, pari ratione quum iræ asservatio peccatum sit, æquè prohibentur respectu gentilium ac respectu Judæorum. *Institut.* Cur ergo hîc disertè dicitur iram non esse asservandam in populares? *Resp.* 1. Id dici, quia, quum interdicta fermè fuerit consuetudo omnis Israelitis cum gentilibus, crebra popularibus irascendi sese offerebat occasio, rara excandescendi in gentiles. Quod itaque obvium erat, & cujus peccati occasio crebrius se offerebat, id commemoratur. 2. Adde, tacitam istâ nomenclatione rationem designari, cur homo non debeat asservare iram in alium, quia nimirum *popularis* est, *proximus* est, subest ergo ἐπίτασις tacita verbis illis, grave peccatum esse, in homines tot vinculis inter se adstrictos despumare. 3. *Extensivam* nullam hîc intelligendam esse, patet, vel enim asservare iram & instare contra sanguinem peccatum est, vel non: si peccatum sit, ne contra gentiles quidem ira asservanda, nec instandum contra sanguinem eorum; Sin peccatum non est, ne Israelitis quidem erga Israelitas excandescentibus id erat prohibendum.

X. Nec melioris commatis est glossema illud *Auctoris* ejusdem; Verbis, *odio habebis inimicum tuum*, designari septem populos cum quibus amicitiam colere, quorumque misereri prohibebantur Israelitæ, Exod.34.11. Deut.7.1. iis addendos etiam esse Amalecitas, in quos Hebræi jubeantur habere bellum implacabile, Exo.27.19. Deut.25.19. Nam 1. Verba, *odio habebis inimicum tuum, generalia* sunt, & de quovis hoste ex æquo intelligi possunt. Nec quicquam est, quod *restrictivam* istam exigat. 2. Glossema istud sensui legis convenire nequit, quia contrarium est verbis disertis antecedentibus, *diliges proximum tuum*, quo nomine omnes omninò homines comprehendi, demonstratum est, Spiritus Dei verò non est ita & non. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἐναντίον, Israelitæ vetantur, Exod.34.11. amicitiam colere cum septem populis, & eorum misereri: Ergo jubentur eos odisse. Atqui medium datur inter amicitiam, quæ animorum, studiorum, &

officio-

& officiorum contesserationem infert, & inter odium. Nec absolutè prohibentur eorum misereri, Deut.7.2.3. sed κατά τι tantùm, ratione ultionis sibi demandatæ à Deo, erga eos, qui occidi debebant diserto Dei mandato, & ea de causa, ne abducerentur à cultu vero, & pellicerentur ad cultus idololatricos, quod disertè notatur respectu reliquiarum, quas Deus ex gentibus illis superstites esse voluit, ut patet ex ẏ.4. 4. Exo.27. 19. nihil de Amalecitis, Deut.25.19. Mandatum sanè proponitur de excidio Amalecitarum, sed non de odio in eos. Atqui exscindi possunt etiam illi, quorum miseremur, & quos amamus, quando nimirum affectus privatus cedere debet juri publico, vel officio. Sic Magistratus exscindi jubet maleficos, & lictor eosdem tollit, neuter odij causam habet, sed commiserationis potiùs. Nec enim odium in personas ferri debet, sed in vitia duntaxat personarum. Immò nusquam legimus, Deum jussisse, ut Israelitæ vel septem illos populos exscindendos, vel Amalecitas prosequerentur odio. Immò si Deus in bruta etiam affectum aliquem populo suo commendare voluit, an credibile, Deum illis voluisse præcepto diserto expectoratum amorem hominum ad suam imaginem creatorum? Et quia ut fatetur Auctor in Annotationibus ad vers.43. Lex Iudaica naturalem non tollebat, nec societas propior antiquiorem generis humani Societatem, & cùm à Natura cognatio quædam inter homines instituta sit, ejus officia ad quosvis etiam se exporrigebant, nisi speciale aliquod intercederet interdictum. Aliud verò est, non συγχρῆσθαι, συνεσθίειν, κοινωνεῖν alienigenis, aliud, illos odisse, prius præceptum, non posterius. Et ipse communia officia talibus quoque debita fuisse ibidem fatetur. Immò hoc ipsum exemplum potest retorqueri, κατὰ τὸ βίαιον, quum enim *exceptio firmet regulam*, & isti tantùm populi Iudæis, ut anathemata, exscindendi proponantur, excipiuntur utique reliqui.

XI. *Exceptiones* ejusdem *Commentatoris* sunt, 1. Mosis quidem verba respici, sed ita ut simul repellatur praua interpretatio eorum, qui ex obedientia Legis illius sibi spondebant Regnum cœleste, neglectis naturæ & charitatis Legibus. 2. Etiam horum verborum sensum in Lege Mosis exstare, juberi quidem in ea Lege Iudæos, beneficia quædam vulgaria præstare, etiam inimicis, Exod.23.4. sed popularibus. Id constare ex Deuteronom.22.1. 3. Vetari Hebræos, Exod.34.11. & Deuteronom.7.1. cum septem illis populis affinitatem jungere, fœdus facere, aut etiam eorum misereri. Haberi ergo ibi hostes & odium, non tamen ferinum, sed certis limitibus circumscriptum. Nam his ipsis populis pacis conditiones offerri debuisse, ut si vellent exitium imminens seruitute redimerent, id ab Hebræis rectè annotatum fuisse ad locum, Deut.20.10. Post pacem verò repudiatam eos sine ulla venia internecione deleri debuisse, verùm id ad ejus ætatis homines, non etiam ad eorum posteros pertinere, eos enim in seruitutem recepisse Salomonem, 1.Reg.9.20. His septem populis adscribi posse Amalecitas. Inde itaque patere, quousque Hebræi illos populos odisse aut abominari potuerint. Nec verò ea præcepta cum Lege naturæ pugnare, populos enim illos fuisse sontes, Deum jus habere in

populos omnes, & hanc pœnæ executionem, quam per ſe facere poterat, maluiſſe Hebræo populo mandare, poſt longi temporis patientiam. Et hoc jus ex ſpeciali Dei ſentētia veniſſe, non ex Lege aliqua communi, ac proinde in cæteros ἀλλοφύλους idem non licuiſſe. Paulo poſt addit, diſtinctione præmiſsâ variorum proſelytorum, Judæos eos omnes quicunque falſorum Deorum cultu ſe inquinabant, nullo diſcrimine pro hoſtibus habuiſſe, nec eos necare aut ſpoliare tum, quum poſſent, religionem fuiſſe. Mendosè tamen Judæos, quod in populos definitos à Deo conſtitutum erat, aliorſum traxiſſe. Malè etiam Chriſti tempore Judæos Leges ejus generis ſuo in alias gentes odio obtendiſſe, quum id non amplius illis incumberet. Sublatis verò illis executionibus, quas certis cáuſis Deus præſcripſerat, integrum manſiſſe jus naturæ, quod homines omnes hominibus commendat. Huc Chriſtum retrahere Iudæos, præcipiendo aliquid maius Lege ciuili Judaicâ. Nec tamen quod Chriſtus docuit, cum Lege Moſis pugnare, immò & apud Moſen juris iſtius perpetui non obſcura exſtare veſtigia. Et hæc quidem ſplendidè proponuntur ab *Auctore*, & ab ingenio ac eruditione commendari poſſunt, à ſoliditate non item. Patebit eius rei ratio ex Examine, quod à nobis inſtitutum κατὰ πόδας.

XII. Ad 1. *Except. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, quia Moſis verba reſpiciuntur, & ſimul refellitur praua interpretatio Magiſtrorum, Chriſtus hîc non Moſi Verba ſua oppoſuit, ſed corruptoribus Moſis. 2. Supponitur falſum, tantùm in eo peccatum eſſe à Iudæis, quod ſibi ex obedientia Legis illius ſponderent Regnum cœleſte, immò in eo etiam ab illis peccatum, quod vel verba Legis corrumpęrent, & ſenſum ſimul, vel ſenſum ſaltem, & omnia Dei præcepta interdictáve ad externos tantùm ritus notoriè bonos vel malos referrent, ſoliq; verborum cortici hærerent. 3. Supponitur etiam, non probatur, in eo duntaxat hallucinatos Iudæos, quod ſibi ſponderent Regnum cœleſte ex obedientia legis illius, neglectis naturæ & charitatis legibus, quaſi his obſeruatis, ſibi ex obedientia Legis exhibitæ ſpondere Regnum cœleſte potuiſſent. Atqui illud omninò inacceſſum eſt peccatori propriâ juſtitiâ ſubnixo, ex quo in peccatum prolapſus eſt.

XIII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Hoc gloſſema *Socini*, infauſti hominis, eſſe, & eum Autorem habere, qui contendit, etſi verba, *Odio habebis inimicum*, nuſquam reperiantur in lege Moſis, ex ſenſu tamen ipſius Legis rectè fuiſſe collecta. Sic *Maldonatus* poſt *Socinum* idem interpretamentum adfert, ad verſ.43. Matth.5. & Judæum tantùm intelligendum contendit, & id ex eodem loco, Deuteronom.22.1. probat, ex quo Annotationum in Novum Teſtamentum Auctor. 2. Τὸ ἀμφισβητούμενον poni, non probari, horum verborum ſenſum in Lege Moſis exſtare. 3. Peccatur παρερμηνεία loci, Exod.23. 4.5. Nec enim hærendum *ſpeciei* beneficii recenſitæ, ſed *generi*, & obvia ibi *Synecdoche ſpeciei* pro *genere*, aſinum enim inimici reducere, vel levare ab onere, eſt quodvis officium exhibere inimico, ut ex *analogia* præceptorum aliorum id genus liquet. Immò ſi aſino inimici bene-

beneficium præstandum erat, magis inimico, arctiori vinculo Israelitæ adstricto, & illæ tum reducendus erat ab errore, tum sublevandus. Et benè *Lyranus* hîc notat, primò Legem induxisse, Judæos ad pietatem, etiam circa bruta animalia, ut per hoc ad majorem pietatem circa homines inducerentur. Et sanè id ipsum patet, & ex natura Legis, & ex scopo Legislatoris, nec enim vel illa brutorum bono sancita fuit, sed hominum, vel illius mens alia fuit, quàm ut ejusmodi officiis conciliarentur dissidentium animi. Nec limitatio vel restrictio ad populares in Textu reperitur. 4. Probatio ex Deuteronom. cap. 22. vers. 1. ἀσυμπέραστος est; Quamvis enim *fratris* ibi mentio occurrat, non tamen *exclusivè* occurrit. Id tantùm *objecti* variatione, designatum voluit Spiritus Sanct. in officiis dilectionis communibus non esse distinguendum amicum & inimicum, nec inimicitiam alterius obstare debere, quominus eum nobis demereamur. 5. Judæum verò vel popularem tantùm intelligendum non esse, invictè probatur, ex præcepto *generali, proximum diligendum esse sicut nos ipsos*, quod habetur, Levit. 19. 18. per proximum verò (רע) intelligendum esse quemvis hominem, alienigenam etiam, *Tros Rutulusve fuat*, præter rationes allegatas *Thesi* XIV. *Disput.* III. invictè patet ex præceptis nono & decimo, ubi prohibiti fuêre Israelitæ falsum testimonium dicere *contra proximum*, & concupiscere domum, uxorem, servum, ancillam, &c. *proximi*, vel enim proximi nomine gentiles quoque designantur, vel licebat Judæis, falsum testimonium dicere contra gentiles, & concupiscere uxores eorum, &c. Quî verò sic constabit vel sanctitas Legis, vel dignitas Legislatoris? Annon tali interpretamento corrumpere Legem erat fibulam laxare flagitiosis inter Judæos, & licentiam peccandi sancire? Sin verbis illis proximi nomine alienigenæ quoque designantur, quæ ratio dari potest, cur Levit. 19. 18. non eadem sit vocis illius latitudo? *Inst.* Præcepta illa *negativa* esse, Exo. 20. Istud *affirmativum*, non ergo eandem eorum esse vel latitudinem vel necessitatem. *Resp.* 1. Per συγχώρησιν, damus cum *Thoma* 1. 2. qu. LXXI. Artic. V. Ad 1. Hanc distinctionem intercedere inter præcepta multa, *affirmativa* & *negativa*, quod illa obligent *semper*, sed non *ad semper*, (quamvis ne hoc ipsum quidem perpetuum sit, v. g. In præcepto de Deo diligendo, qui *semper* diligendus, & *ad semper*) *negativa* verò obligare utroque modo. 2. Per ἄρνησιν, objectum variari ex eo, quod præceptum vel sit, *affirmativum*, vel *negativum*, quod tamen hîc in Quæstione. Quamvis ergo præceptorum, *affirmativorum*, & *negativorum* diversa sit ratio κατά τι, non obstat tamen diversitas formæ in præceptis, 9. & 10. & in summa secundæ Tabulæ, Levitic. 19. 8. quo minus utrobique eadem sit latitudo *objecti*, & iidem proximorum nomine designentur.

XIV. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, dato, populos illos maledictos odio habendos fuisse, notum, ut supra animadversum, *Legem specialem derogare generali, posteriorem priori*, in eo in quo specialis est, vel posterior. Sic ergo speciali Lege derogatum fuisset præcepto isti dilectionis generalis ex speciali causa, Exod. 34. 11. & Deut. 7. 1. ob horrenda gentium illarum

peccata, & tempus instans judicii divini. 2. *ἀρχητικῶς*, nec enim unquam odium in populos illos Israelitis imperatur, immò ut fatetur *Auctor*, pacis oblatio imperatur, & ex consequenti demum, obstinatorum destructio sancitur. Nec sequitur Israelitas illos odio prosequi debuisse quibuscum affinitatem jungere, fœdus facere, aut quibus vitæ gratiam facere prohibentur. Datur enim medium, & ratio additur, Exod. 34. & Deut. 7. cur id prohibeatur, ne nimirum id ipsum Dei populo sit *in laqueum*. Nec ex gentis alicujus destructione, vel exercitio Judiciorum Dei in gentem aliquam, personarum odium, sed vitiorum potiùs imperatum colligi debet. 3. Peccatur *paralogismo παρὰ τὸ ἐπίμβιον*, & *Elencho ex particularibus*. Nec enim sequitur, Israelitis idem incubuisse erga gentes alias, quod erga septem illos populos. Immò exceptio ista, ut dictum, firmat regulam, & *κατὰ τὸ βίαιον* hoc retorqueri potest, quia Deus cum septem illis populis, peculiares ob causas, isti internecioni devotas, & ex *sententia* sua *speciali*, ut ipse *Auctor* addit, ita agi voluit: Ergo non cum populis aliis, & stat aliorum respectu immota ista regula: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Immò ipse istius interpretamenti Patronus fatetur, ne ad posteros quidem populorum illorum istam sententiam se extendere debuisse, minùs ergo ad alios. Et addit idem, mendosè Judæos quod in populos definitos à Deo constitutum erat, aliovorsum traxisse, & malè etiam eos Christi tempore ejus generis Leges suo in alias gentes odio obtendisse. Et, sublatis illis exceptionibus, integrum mansisse jus naturæ, quod homines omnes hominibus commendat. Quæ omnia feriunt jugulum causæ, & perimunt hoc ipsum glossema, quod præscripserat *Auctor*, ad populares tantùm referendum esse, quod habetur, Exod. 23. 4. & verborum illorum *Odio habebis inimicum tuum*, sensum in Lege Mosis exstare. 4. Peccat *Auctor falsa hypothesi*, geminâ. 1. Præceptum dilectionis ad Legem *civilem* Judaicam pertinere, quum pertineat ad *moralem*. 2. Christum retrahere Judæos hîc ad Legem naturæ, immò retrahit illos ad Legem moralem Mosaicam, & verum ejus sensum quippe cujus vindicias occuparat. 3. *Κατὰ τὸ βίαιον* hoc retorquetur in *Auctorem*, si enim quod Christus docuit, cum Lege Mosis non pugnat, immò apud Mosen juris istius perpetui non obscura exstant vestigia, falsum est perfectiùs quid præcipi à Christo, vel novum præceptum præceptis Mosaicis superaddi.

XV. Ad 2. *Probationem* argumenti propositi, *Thes.* 11. ductam ex collatione *promissorum* Veteris & Novi Testamenti, *Resp.* 1. *Minorem* falsam esse, ejusque *probationem*, felicitatem nimirum corporalem in Terra Canaan duntaxat promissam fuisse observatoribus Legis in Scriptura Veteris Testamenti. Contrarium demonstratum fuit, *Disputat.* III. *Thesi* XX. ex *collatione* locorum, Lev. 18. 5. & Luc. 10. 25. 26. 27. 28. Adde 1. Fœdus quod Deus inivit cum Patribus in Veteri Testamento idem substantiâ Fœdus fuisse cum eo, quod initum est nobiscum in Novo, ut demonstratum fuit, *Disp.* IV. *Thes.* LIX. Ergo & eadem utrobique promissa primaria fuêre. 2. Si Fœdus cum Patribus initum, nihil nisi benedictionem terrenam

in terra

in Terra Canaan exigendam Patribus promisit, tantùm abest, ut piis multis in Veteri Testamento inde accesserit quædam felicitas, ut potius ob constantem Fœderis Dei observationem innumeris ærumnis hac in vita obnoxii fuerint, immò miserrimi mortalium, secundùm Paulum, si in hac vita tantùm in Deum sperarunt, 1. ad Cor. 15. 19. 3. Quam salutem temporalem sperat Iacob capulo vicinus inter ultima suspiria? Gen. 49. 18. 4. Quid Patribus illis beneficii accessit, qui ante introductionem populi in terrâ Canaan diem suum obiere? 5. Remissio Peccatorum fuit promissio Testamenti Vet. Esa. 1. 18. cujus nexus cum vita æterna immotus, ut patet ex Psal. 32. 2. collato cum cap. 4. ad Rom. ℣. 5. 6. 7. 8. 9. 6. Adde 1. Maledictionem denuntiatam transgressoribus Legis æternam fuisse, adeoque & benedictionem promissam observatoribus Legis ejusdem generis fuisse. *Inst.* Diversam utriusque esse rationem, illam debitam fuisse, istam indebitam. *Resp.* 1. Per συγχώρησιν. hoc discrimen omninò intercedere. 2. Per ἄρνησιν, peccatur enim *paralogismo* παρὰ τὸ ἐπὶ τί..., si hoc discrimen intercedat, ob id non intelligi debere benedictionem æternam. Atqui 1. Lex proponit *Vitam absolute*, adeoque eam potissimum quæ αἰωνιότης talis est, & Apostolus ad Rom. 10. 4. 5. allegatione & applicatione loci, Deut. 30. 14. satis docet, Legis & fidei justitiam ejusdem Vitæ promissionem secum trahere. 2. Verba in ipsa Legis præfatione contenta, quibus Deus se Deum populi sui profitetur, conformia iis quæ habentur Exod. 3. 1. à Christo referuntur ad probandam resurrectionem ad vitam æternam, Matth. 22. 32. Eadem promissio conjungitur cum promissionibus spiritualibus ducentibus ad vitam æternam, ad Hebr. 8. 10. &c. 3. Promissio quietis & benedictionis in Terra Canaan obtinendæ proponitur ab Apostolo ut typica Sabbatismi æterni, Heb. 4. 3. 9. 11. 4. Immò vel benedictio promissa Scripturâ Veteris Testamenti æternæ vitæ erat, vel Patrum fides, quâ illi ad cœlestem Patriam anhelabant, ad Hebr. 11. 10. 16. 26. 35. non fiducia fuit, sed præfidentia, non fides, sed falsa persuasio, quod absurdum.

XVI. Ad 1. *Confirmationem* ex loco Ioh. 5. 39. *Resp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci, verbo enim δοκεῖν non falsam opinationem designari, sed verum Judicium, demonstratum fuit, *Disp.* 11. *Thes.* XVI. 2. Adde supradictis, invictè ex isto ipso loco id demonstrari posse: vel enim illatio Christi inconsequens est, quod impium & blasphemum, vel δόκησις illa Judæorum vera erat, quum eam Christus pro fundamento sequentis νουθεσίας substernat, & ei superstruat exhortationem ad scrutationem Scripturarum, hoc sensu: Scrutamini Scripturas, quia existimatis, vitam æternam vos ex iis habere. At si illa opinatio falsa fuisset, & nullo fundamento solido subnixa, tantùm abest, ut Christus inde argumentatus fuisset, ut potiùs correxisset falsam illam δόκησιν Judaicam. *Inst.* 1. Argumenta sæpè duci *ad hominem*. Tali Christum hic usum. 2. Christum non hoc tantùm argumento usum, sed & alio, nimirum quod Scripturæ testarentur de se. Ad 1. *Respond.* 1. Per συγχώρησιν duci sanè talia, sed tum rarò, tum ut minus præcipua, & post alia demum. 2. Per ἄρνησιν, hoc tale esse, quum

fundamentum habeat in rei veritate, ut suprà probatum; non in opinatione duntaxat Judæorum. At argumenta *ad hominem* non à Dei veritate ducuntur, sed à mera impressione quam homines habent de rebus. Hoc ergo tale non est. Ad 2. *Resp.* Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim requiritur ex eo quod Christus aliud argumentum subjicit, prius esse *ad hominem*. Immò sæpius *homogenea* argumenta in Scriptura conjunguntur, quàm *heterogenea*. Vt itaque illud à rei veritate ducitur, sic nihil obstat, & istud duci. *Inst.* Nisi prius esset *ad hominem*, posterius supervacaneum foret. *Resp.* Peccatur falsa *hypothesi*, quasi non eidem rei probandæ plura sæpè argumenta congererentur, quamvis enim unum sufficere possit ad probationem, & rei naturam, plura tamen sępe congeruntur, ob majorem fidei ἀσφάλειαν, & hominum quibuscum agitur stuporem, ut qui uno argumento non moventur, moveantur alio.

XVII. Ad 2. *Confirmationem* ex loco, 2. ad Tim.1.10. *Resp.*1. Supponi falsum, quasi Christus mortem aboleverit tantùm pro iis qui vixêre sub Testamento Novo, & non simul etiam pro Patribus Testamenti Veteris. Immò Apostolus extendit abolitionem mortis ad omnes illos, qui (è *filiis* quos Deus ipsi dedit, ex *fratribus*, ex *populo suo*) metu mortis obnoxii erant servituti, ad Hebr.2.15. 2. κατὰ τὸ βίαιον, si pro Patribus Veteris Testamenti non abolevisset mortem, utique illi incurrissent mortem æternam, quod absurdum, & contra Scripturam, quæ illis & fidem assignat, & præmium fidei, h. e. vitam æternam. *Inst.* Tempore Veteris Testamenti nondum Christum fuisse exhibitum, ideoque nec morte ejus mortem abolitam. *Resp.* Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, alia enim *causarum physicarum*, alia *moralium* ratio. Illæ non nisi tum operantur cùm actu sunt; istæ etiam antequam actu sint. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, & παρερμηνείᾳ loci, nec enim Christus dicitur simpliciter proposuisse *vitam & incorruptibilitatem*, h.e. vitam incorruptibilem, quasi illa ante non fuerit proposita, vel promissa, sed *manifestasse*, h. e. tum in aperta luce constituisse per Euangelium, tum ad plures beneficium illud extendisse. Confunditur itaque τὸ ὂν & τὸ πῶς, & notatur duntaxat φωτισμῷ illo, non propositio vitæ, sed vitæ jam sub Veteri Testamento propositæ ἐπίτασις tum *intensiva*, ratione gradûs majoris Lucis, quatenus & mortis abolitio per mortem Christi actualem passim innotuit & omnes ejus περιστάσεις plenè compertæ fuêre per *diem Christi*, cujus conspectum Veteres desideravêre, sed quæ ipsorum tempore non apparuit, Luc.10.24. tum *extensiva*, ratione objecti amplioris. Vtrumque designatur verbo φωτίζειν, posterius etiam indicatur ab Apostolo *versu* sequente 11. dum se *Doctorem gentium* constitutum asserit. Et sanè gratiam illam non novam esse, sed veterem, ostendit Apostolus v.9. præcedente, ubi docet, χάριν istam fuisse datam nobis πρὸ χρόνων αἰωνίων, tum *destinatione æterna*, tum *promissione temporaria*, statim post lapsum Gen.3.18. quo sensu ad Tit.1.2. Spes vitæ æternæ dicitur promissa à Deo πρὸ χρόνων αἰωνίων, eodem sensu, adeoque Patribus æquè ac nobis. 3. Peccatur *Elencho oppositorum*, Christus proposuit Vitam: Ergo non Moses; Vita est manife-

stata

ſtata per Euangelium: Ergo non per Legem ulla ratione propoſita fuit. Atqui utrumque verum, Lex enim Vitæ,& quidem æternæ, ut demonſtratum *Diſp.*III. *Theſ.* XX. promiſſionem annexam habuit,& Patribus fuit Pædagogus ad Chriſtum,in quo & à quo conſequerentur id,quod ex Lege ſperare non poterant propter *ἀσθένειαν* carnis. Ad Rom.8.3.

XVIII. Ad 3. *Confirmationem* ex loco ad Hebr.8.6.reſponſum fuit *Diſp.* IV. *Theſ.* LIII. LIV. LVI. LX. per *σύγκρισιν* Fœderis utriuſque, & promiſſionum utrique adjectarum, & oſtenſum, quo ſenſu Teſtamenti Novi promiſſa dicantur *meliora*.

XIX. Ad 4. *Confirmationem* ex cap:11.ad Hebr. ℣.13.39. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo ὁμωνυμίας* in voce *promiſſionum*, vel *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον* in argumentatione *à non diſtributo ad diſtributum*: Patres non fuerunt aſſequuti promiſſiones: Ergo non fuerunt aſſequuti promiſſiones vitæ æternæ. Atqui 1. *verſu* 13. Apoſtolus non loquitur de talibus promiſſionibus, ſed 1. De promiſſione introductionis populi Dei in Terram Canaan,ad cujus uſque complementum non vixêre Patres illi Teſtamenti Veteris, qui præceſsêre tempora Ioſuæ. 2. De promiſſione exhibitionis Meſſiæ in carne,ſeminis illius,in quo benedicendæ eſſent omnes nationes Terræ, cujus beata tempora etiam non attigêre veteres alii. Diſtinguenda itaque diverſa & *ſubjecta*, & *prædicata*. Vitæ verò æternæ promiſſiones hîc non intelligi,patet tum ex eo, quod alioquin Patres excludendi forent à felicitate æterna, nec ea per accubitum cum Abrahamo,Iſaaco, & Iacobo potuiſſet deſignari; tum ex verbis immediatè ſequentibus,ubi docet Apoſtolus v.13.14.15.16. Patres profeſſos fuiſſe, ſe eſſe peregrinos in Terra, adeoque Patriam aliam quæſiuiſſe & deſideraſſe, nimirum cœleſtem, & Deum non puduiſſe cognominari Deum eorum, Deum enim ipſis paraſſe *civitatem*, nimirum talem,qualem deſcripſit v.10. *quæ fundamenta habet, & cuius artifex,& conditor eſt Deus*,& quæ deſcribitur Apoc.21.2.&c. Sic verſu 39.ſermo non eſt de promiſſione vitæ æternæ,ſed de promiſſione exhibitionis Meſſiæ in carne, adimpletionis omnium typorum, & dilatationis ac exaltationis Eccleſiæ ſub Teſtamento Novo, & Regno Chriſti. Illam attigêre Patres, ut patet ex toto Capite, iſtam haudquaquam, & hac *χέον κρεῖττόν τι* dicitur Deus,verſ.40. providiſſe pro nobis, exhibitionem nimirum viuę imaginis,cum abundantia lucis *intenſivâ* ac *extenſivâ*,& hoc ſenſu beati fuêre oculi Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti, qui viderunt, & vident, quæ multi Prophetæ & Reges deſideraverunt videre, & non viderunt, Luc.10.23.24. Notum etiam, *ἐπαγγελίας* hîc ſumi non *formaliter*, ſed *objectivè*, non pro actu Dei promittentis, ſed pro rebus promiſſis. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον* retorqueri poſſunt verba Pauli, quia enim *cum fide*, vel *ſecundùm fidem* mortui ſunt Patres, qui non adepti ſunt promiſſa,vel fides illorum vana fuit, quod abſurdum, vel ſe extendit ultra Terram Canaan, (utpote in quam non fuerunt introducti illi ex Patribus, qui vixêre ante Ioſuam) ad felicitatem cœleſtem, ad quam tranſierunt per mortem. 3. De vita æterna ſermonem hîc non eſſe, quaſi Patres fideles eam non fuerint aſſequuti, argumento invicto ex eo patet, quod Apoſtolus lo-

quatur de eiuſmodi beneficio, quod obtingere poterat Patribus fidelibus in hac vita. At tale non eſt felicitas æterna. Neceſſariò ergo intelligenda ibi introductio in terrã Canaan, & exhibitio Meſsiæ in carne. 4. Immò Patres etiam dicuntur aſſequuti fuiſſe promiſsiones ℣. 33. tum *ſingulares*, factas his vel illis fidelibus; tum *communem*, factam omnibus ex iſto ordine, vitæ nimirum æternæ, quæ ἐξόχως promiſſio eſt.

XX. *Argumentum* II. è *naturæ ſubjecti* eſt: Scriptura non docens eaſdem *preces*, nec *eundem modum invocandi* Deum, cum Scriptura Teſtamenti Novi, ad Chriſtianos non pertinet, nec ex ea ſive fidei dogmata, ſive vitæ inſtituta ab illis peti debent aut probari: At Scriptura Veteris Teſtamenti nec eaſdem preces, nec eundem inuocandi modum tradit cum Scriptura Novi Teſtamenti: Ergo &c. *Minor probatur* per partes. 1. Non eaſdem preces doceri in Veteri Teſtamento, patet, quia Oratio Dominica, quæ *forma* & *norma* precum noſtrarum eſt, haudquaquã in eo traditur. 2. Non eundem *invocandi modum* utrobique doceri, patet, quia Scriptura Veteris Teſtamenti tantùm docet, Deum invocandum eſſe, in Novo verò docetur, Deum invocandum eſſe per Ieſum Chriſtum.

XXI. Ad *Argum.* II. *Reſp.* 1. Supponi falſum, Orationem Dominicam eſſe vel formam unicam precum, vel ſolam Deo gratam, vel adſtringi omnes pios unicè ad illam. 2. Peccatur *Elencho* ἐκ τῶν ἐν μέρει. Ita enim inferendum. Scriptura non docens eaſdem preces, nec eundem modum invocandi Deum cum Scriptura Noui Teſtamenti, ad Chriſtianos non pertinet, quoad caput iſtud, nec ex ea hoc fidei dogma, vel hoc vitæ inſtitutum petendum eſt. At non ſequitur id quoad capita reliqua, in quibus idem docet cum Scriptura Novi Teſtamenti. 2. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*. Scriptura non docens eaſdem preces, nec eundem modum invocandi Deum, nec αὐτολεξεὶ nec κατ' ἰσοδυναμίαν, nec quoad *rem* vel *ſubſtantiam* precum, nec quoad *rationem* & *modum* rei, ſive *explicitè*, ſive *implicitè*, in hoc capite ad Chriſtianos non pertinet, &c. At ſic negatur *Minor* propoſitio. Vel enim preces piorum Patrum Veteris Teſtamenti à Spiritu precum dictatæ fuêre, vel non; ſi prius, conformes fuêre *quoad rem* precibus noſtris, ſi non, non fuêre à Dei Spiritu profectæ, quippe qui ſibi ſemper conſtat. Et vel preces in Vet. Teſtamento præceptæ *oppoſitæ* ſunt precibus Novi Teſtamenti, vel non: ſi prius, Deo placere non potuêre: Si poſterius, illis optimè convenit cum precibus noſtris. Eædem itaque preces κατ' ἰσοδυναμίαν & quoad *rem*, vel *ſubſtantiam* earum continentur in Teſtamento Veteri, quæ docentur in Novo; eadem etiam *ratio*, idem *modus* invocandi Deum *per* Chriſtum *Mediatorem*. Diſcrimen tantùm reperitur; 1. *In gradu claritatis* maioris & minoris. 2. In σχέσει diverſa fidelium ad Meſsiam. In Veteri enim Teſtamento preces dirigebantur ad Deum per Meſsiam exhibendum, in Novo per Meſsiam exhibitum.

XXII. 1. *Subſtantiam* eandem Orationis Dominicæ in Veteri Teſtamento contineri, patet ex eo, quod *duo* iſta *capita*, ad quæ reliqua reuocari poteſt, in eo traduntur, petitio nimirum neceſſariorum tum animæ, tum corpori.

Traditur

Traditur etiam in eo tum *quid* petendum ſit, tum *à quo*, tum *quomodo*. Docet hoc *Auguſtinus* egregiè, Epiſt.cxxi. ad Probam.cap.xii. Tom.ii. quamvis exempla quædam ibidem adducat ex Apocryphis,& quæ minus apposita, præ iis quæ paſsim in Canonicis habentur in Teſtamento Veteri. *Qui dicit, verbigratia, clarificare in omnibus gentibus, ſicut clarificatus es in nobis. Et Propheta tui fideles inveniantur*, Eccleſ.36. *quid aliud dicit, quàm ſanctificetur nomen tuum? Qui dicit Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, Pſal.79. *quid aliud dicit, quàm veniat Regnum tuum? Qui dicit itinera mea dirige ſecundùm verbum tuum, & ne dominetur meo animo iniquitas* [Pſ.118.] *quid aliud dicit, quàm fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in Terrâ? Qui dicit paupertatem & divitias ne dederis mihi*, [Prouer.30.] *quid aliud dicit, quàm panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? Qui dicit, Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus, aut, Domine, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala*, (Pſ.131.) *quid aliud dicit, quàm dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Qui dicit aufer à me concupiſcentias mentis & deſiderium concubitus ne apprehendat me*, (Eccl.23.) *quid aliud dicit, quàm ne nos inferas in tentationem? Qui dicit, erue me de inimicis meis, Deus, & ab inſurgentibus ſuper me, libera me*, (Pſalm.58.) *quid aliud dicit, quàm libera nos à malo?* Addit ibidem *Auguſtinus*. *Et ſi per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras quantum exiſtimo, nihil invenies, quod non iſte iſta dominica contineat & includat. Oratio. Unde liberum eſt aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere.*

XXIII. 2. Eundem etiam *modum* vel eandem *rationem* invocandi Deum per Chriſtum Mediatorem, in Veteri Teſtamento in Dei populo obtinuiſſe, probatur. 1. *Rationibus*. 2. *Preceptis*. 3. *Exemplis*. *Rationes* ſunt. 1. Si Patres Teſtamenti Veteris Deum non invocaſſent per Chriſtnm Mediatorem, non patuiſſet illis acceſſus ad Deum: nemo enim venit ad Patrem, niſi per ipſum, Iohan.14.6. 2. Si Patres Veteris Teſtamenti non invocaſſent Deum per Chriſtum Mediatorem, non crediidiſſent ſe ſalvari per gratiam Domini Ieſu Chriſti, ut nos, Actor.15.11. 3. vel Patres Veteris Teſtamenti invocarunt Deum per Mediatorem, vel ſine Mediatore: ſi per Mediatorem, habemus inſtitutum: ſi ſine Mediatore, nec Majeſtatem Dei ferre potuerunt, nec Judicium ejus declinare, nec fiduciam ullam exauditionis precum ſuarum concipere, tum ob indignitatem, tum ob reatum ſuum. 4. Vel crediderunt Patres V.T. in Chriſtum, vel non: ſi crediderunt, eum invocarunt, quia qui Spiritus fidei, is etiam precum ſpiritus eſt, & invocatio eſt ex potiſsimis fructibus fidei: ſi non crediderunt, nec ſalvari potuerunt, nec verũ eſſe poteſt, quod Apoſtolus docet toto c. 11. ad Hebræos, nec una fides eſt, Ad Epheſ.4.3. & diverſæ ad ſalutem viæ erunt, & extra Chriſtum ſalus, quæ omnia abſurda, αἰτίχαφα & ἀδιόλογα.

XXIV. *Præcepta* ejus rei etiam habentur in Teſtamento Veteri 1. Pſ. 2.12. *Oſculamini filium, ut non iraſcatur, & pereatis in via.* At oſculum non *ſubjectionis civilis* tantùm ſignum erat, Geneſ.41.40. 1.Sam.10.1. ſed & *religioſæ adorationis*, & deſignat amorem & obſequium ſpontaneum. Hinc illi pii æſtimati, quorum os non oſculatum eſt Baalem, 1.Reg.19.19. illi idololatræ, qui vitulos oſculabantur, Hoſ.13.2. Hinc Græcorum προσκυνεῖν à κύειν, quod

P

est φιλεῖν, *osculari*, & latinum *adorare*, quasi ad os admovere. Hinc idololatræ cominus stantes ipsa idola osculabantur, eminus manum ad idola extendebant, & eam ad os relatam suaviabantur, eo ipso quasi halitum, & vitam se idolis debere profitentes. *Metonymiâ* itaque illâ *signi*, vel *Synecdoche partis*, quævis cultus religiosi species imperatur, adeoque & invocatio. Sic Ps.2.12. *Beati* dicuntur *omnes qui confidunt in filio*, vel se recipiunt ad eum: adeoque miseri & maledicti qui id non præstant, præcipuum verò confidentiæ religiosæ signum sunt preces. 2. Psalm.45.12. Ecclesia jubetur se incurvare Regi & sponso suo, vel adorare eum. Christum verò hic intelligendum esse invicto argumento docemus, ex allegatione Apostoli, qui Psalmi illius verba ad Christum applicat, ad Hebr.1.8.9. 3. Sic Psal.99.5. pii jubentur se incurvare *ad scabellum pedum Dei*, quod scabellum Arca erat ex ἐξηγήσει Spiritus S. 1. Paral.28.2. & ejus operculum *propitiatorium* typus Christi, ad Rom.3.24. Hinc illud interjectum inter Deum & Legem in Arca repositam, & sanguine aspersus Liber Legis ad Hebr.9.19.

XXV. *Exempla* quin etiam non desunt, v. g. Davidis, Psalm.80.16.18. & 84.10. Sponsæ in Cantico Canticorum passim, & Danielis, cap.9.ver. 17. Idem docet *praxis* piorum symbolica, præmittendi sacrificia typica, designantia sacrificium Christi, precibus suis, ut 1.Sam.7.9. Sacrificia verò σχέσιν suam habuisse ad Christum, satis probat Apostolus, totâ fermè Epistolâ ad Hebræos. Hinc etiam animæ collocantur *sub altari*, h.e. Christo, Apocal.6.9. ut patet ex collatione loci ad Hebr.12.10. & inde preces suas proferunt.

XXVI. *Exc.*1. Vel precationem Dominicam esse precationem sapientissimam & optimam, vel non esse; si prius, solam usurpandam esse, si posterius, incurri in sapientiam & bonitatem Christi. 2. Vel formulam illam precandi continere omnia necessaria à Deo petenda, vel non: si prius, eam sufficere, si posterius, non satis nobis fuisse à Christo prospectum. 3. Istius precationis & *materia*, & *forma*, & *res*, & *verba*, & *ordo* rerum præcellunt omnibus aliis precationibus: Ergo ea servanda. 4. Si Scriptura V. Testam. vel in uno capite non potest esse Regula fidei & vitæ nostræ, illa Regula Christianorum esse nequit, quia quod Regula est, id totum Regula est. Nec enim quid Regula imperfecta esse potest, quin desinat esse Regula. 5. Deum in Veteri Testamento invocatum fuisse, ut Dominum, in Novo invocari ut Patrem. 6. Eo ipso quo precationes Novi Testamenti clariores sunt, & fiunt per Messiam exhibitum, Veteris Testamenti verò preces erant obscuriores, & fiebant tantùm per Messiam exhibendum, illæ solæ adhibendæ, istæ non item. Immò adhiberi nequeunt, quin simul negetur, Messiam exhibitum esse in carne. 7. In Novo quidem Testamento non patere accessum ad Deum, nisi per Mediatorem, patuisse verò in Veteri, multos enim Iudæos servatos fuisse, qui hæserunt ceremoniis & præceptis Testamenti Vet. 8. Locum Act.15. 2. corrumpi παραδόσει, sensum enim esse, Apostolos credere, se servandos per gratiam Christi, ut & discipulos illos, quorum collo jugum ceremoniarum imponere nitebantur falsi Doctores. De Patribus verò Veteris

Testamenti altum silentium ibi esse. 9. Patres Veteris Testamenti habuisse aliquem etiam Mediatorem, nimirum Mosen, Ad Gal.3.19.& ad misericordiam Dei simpliciter confugisse, Exo.34.6.7.Dan.9.9.16.18.19. eâ etiam Davidem ut fundamento certo niti in Psalmis suis. 10. Actum fidei præsupponere τὸ πιστὸν, sive *objectum* suum, quum verò illud nondum exhibitum fuerit in V. Testamento, non exactam fuisse fidem in illud. 11. ad Heb.11.& Eph.4.5. de una tantùm fide *in genere*, non verò *in specie* sermonem esse, & quidem de tali tantùm, qua credentes credebant Deum esse, & præmia largiri iis, qui ipsum requirunt, ad Hebr.11.6.12. Ps.2.12. Non agi de Messia, sed de Davide, & illum filium vocari, ob obsequium filiale Deo exhibitum, eodem sensu quo versu 7. & quo Israelitæ dicuntur filii, Deut. 14.1. *Filii estis Domini Dei vestri.* 13. Psalm.45.12. sermonem duntaxat esse de honore civili à filia Pharaonis habendo Salomoni. 14. Incurvationem ad Arcam duntaxat *per accommodationem* aliquam referri ad Christum, & hanc expositionem Novi Testamenti Scriptorum esse, non veteris. 15. Locos, Psalm.80. Canticum & verba Danielis 9.17. aliò referri posse. 16. Sacrificiis simpliciter hæsisse Israelitas, vt cultui à Deo instituto, & sibi imperato. 17. Argumentum ab animalibus *sub altari* clamantibus esse. 1. Allegoricum. 2. Pertinere ad Oeconomiam Novi Testamenti, non Veteris.

XXVII. Ad 1.*Exc.Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid*, verum est, in *suo genere*, Orationem Dominicam & sapientissimam esse, & optimam, nec sapientiorem vel meliorem dari. Falsum, illam talem esse in *omni genere*. Dantur enim casus & circumstantiæ particulares, quæ preces certas exigunt, sigillatim super hac vel illa re conceptas pro diverso fidelium statu. Immò quum ἐντεύξεις & εὐχαριστίαι exigantur, non δεήσεις solùm & προσευχαί, utique aliis etiam precibus locus est, sed sub hac conditione, ut illæ quoad sustantiam & sensum sint conformes Orationi Dominicæ, & respondeant isti formulæ. 2. Supponi falsum, quasi Christi institutum fuisset, propositione istius formulæ precandi omnes alias tollere. Atqui nec excludit Christus preces conformes alias, & tum Apostoli, tum alii Christi Discipuli in Novo Testamento preces alias sæpe concepêre, pro re natâ, nec censuêre eas sibi interdictas ob formam illam à Deo præscriptam. Immò habentur. 1. *Præcepta* de precibus aliis, Matth. 24.20. 1.ad Tim.2.1 & Iacobi 1.5. 2. *Exempla*, qualia vide Matth.26.30. Actor.1.24. & 4.23. & 8.15. & 12.5. & 16 26. Ad Roman.1.9.10. 2.ad Corinth.12,7.8. Ad Philip.3.4. Ad Coloss.1.3. & 4.3. 1.ad Thessal.5.23.& alibi passim. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Forma Orationis Dominicæ sapientissima est & optima: Ergo nullæ preces aliæ concipiendæ. Atqui Lex divina sapientissima etiam, & optima, nec tamen id obstat, quo minus leges aliæ concipiantur ab hominibus, modò tales sint, quæ respondeant Legi divinæ, & illi subordinentur.

XXVIII. Ad 2. *Exc.Resp.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, formula enim illa præcandi continet quidem omnia necessaria à Deo quærenda, sed in *genere* tantùm & *implicitè*, non in *specie* & *explicitè*, *secundùm quid*, non

simpliciter. Quod non obſtat, quo minus æſtui animi noſtri explicando, vel nobis aliiſve ſolandis, in *ſpecie* & ſigillatim occaſione urgente aliis verbis hoc vel illud bonum petamus, hoc vel illud malum deprecemur,& ſive à nobis,ſive ab aliis avertere moliamur, vel pro his,aut illis beneficiis Deo gratias agamus. 2. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Si precatio Dominica contineat omnia neceſſaria, quæ à Deo petenda, non licere uti verbis aliis. Atqui ſpiritus precum liber eſt,& format *Abba* Pater,& ſuſpiria ἀλάλητα pro arbitrio. Ad.Rom.8.15.16. Hoc Spiritu Sancto moti fideles variis ad Deum utuntur precibus, ut Apoſtoli olim loquebantur diverſis linguis, prout ſpiritus illis dabat eloqui, eadem tamen magnalia Dei. Nam & Decalogus continet omnes Leges neceſſarias, nec tamen ob id interdictæ Leges ſpecialiores aliæ, præceptorum Decalogi ἐξηγητικαὶ, & quæ latitudinem eorum deſignant. Sic formulis aliis precum declaratur latitudo & ſenſus precum Oratione Dominica conceptarum. 3. Immò κατὰ τὸ βίαιον, dum Chriſtus jubet nos precari, *ut ſanctificetur Dei Nomen, adveniat Regnum eius*, jubet, ut omnia precibus iſtis contenta, à Deo petantur. Dum itaque *ſpecialia generalibus* iſtis petitionibus deſignata petuntur,ſatisfit illi ipſi præcepto Chriſti de Oratione Dominica. *Inſt.* Sic nos velle ſuperiores eſſe Domino, & cenſere, vel *verba* convenientiora, vel *ordinem* magis appoſitum reperiri poſſe, vel precationes meliores Oratione Dominica. *Reſp.* 1. Supponi falſum, Dominum diſcipulos ſuos ad unam illam formam alligatos voluiſſe, quod falſum. 2. Peccatur *Elencho non cauſa*. Nec enim propter cauſas illas preces aliæ concipiuntur, ſed propter rationes ſuprà allatas. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipſo, quo omnes preces noſtras fatemur nobis eſſe ad Orationem Dominicam exigendas, & ei ſubordinandas, eam perfectiſsimam & maximè appoſitam fatemur.

XXIX. Ad 3. *Exc. Reſp.* Peccari 1. *Ignoratione Elenchi*, Nec enim quæſtio eſt,an oratio Dominica ſit ſervanda, de eo enim conſtat,& ex *doctrina*, & ex *praxi* noſtra tum publicâ tum privatâ,ſed an ſola ſit ſervanda, nec liceat uti formulis aliis,quod eſt τὸ ἀμφισβητούμενον. 2. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, id enim tantùm ſequitur,quod tale eſt,& quoad *materiam*, & quoad *formam*, & quoad *ordinem*, debere eſſe regulam omnium aliarum precationum, & omnes alias ad illam eſſe exigendas.

XXX. Ad 4. *Exc Reſp* 1. Supponi falſum, Vetus Teſtamentum non eſſe Regulam noſtram circa preces: Atqui & *objectum*, & *materia*,& *forma*,& *ordo* precum ſatis ſuperque in Veteri Teſtamento habentur, & quidem conformiter Teſtamento Novo. 2. Peccatur fallaciâ ὁμωνυμίας, & confunditur *regula materialis*, & *architectonica* cum *norma morali*, & *analogica*. Iſto verò ſenſu Scriptura Veteris Teſtamenti Regula eſt, non illo. 3. Peccatur *Elencho oppoſitorum*, quaſi Vetus Teſtamentum à nobis Regula fidei vitæque noſtræ conſtitueretur *oppoſitè* ad Teſtamentum Novum, & non potius *compoſitè* cum eo. 4. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, poteſt enim aliquid eſſe Regula in *certo genere*, quod tamen non eſt Regula in *omni genere*. Sic Vetus Teſtamentum, v.g. non eſt Regula ſpecialis diei Deo conſecrandæ nec Sacramentorum Novi Teſtamenti, nec Novum legum

multa-

multarum forensium, & cultus Levitici olim Deo exhiberi soliti. Certum in eo, in quo aliquid est Regula, eam esse *μέτρον ἀδιάφθαρτον*, secundùm Græcos, *μηδὲ μὴν προσθεσιν ἢ ἀφαίρεσιν προσδεχόμενον*. At in eo, in quo non est regula, illi aliquid addi potest.

XXXI. Ad 5. *Except. Respon.* 1. Per *συγχώρησιν*, Deum in Veteri Testamento invocatum fuisse, ut *Dominum*, sed non *solùm* vel *exclusivè*, verùm etiam ut Patrem. Exempla sunt evidentia, Psalm. 89.27. Esa. 63.12. & 64.8. Ierem. 3.4.19. & 31.9. Malach. 1.6. Peccatur itaque *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, & *à dicto secundùm quid.* 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*, prout Deus in Novo Testamento invocatur ut pater, nec tamen desinit invocari ut Dominus, sic etiam dum in Veteri Testamento invocabatur ut Dominus, non desiit invocari ut Pater. Unde peccatur *Elencho oppositorum*, ista enim sunt componenda, non opponenda inter se.

XXXII. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, precationes V. Testamenti, quatenus fiebant *per Messiam exhibendum*, à nobis usurpari non debere. 2. *Ἀρνητικῶς*, non posse adhiberi vel ratione *materiæ*, rerum olim à Patribus petitarum, vel ratione *formæ* ipsarum precum, quoad reliqua. Peccatur itaque *Elencho à dicto secundùm quid, & paralogismo παρὰ τὸ ἑπόμενον.* 3. Itidem peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*, quia precationes Vet. Testamenti obscuriores tantùm sunt, quoad *explicitam* Messiæ commemorationem, non verò obscuriores sunt, quoad bonorum sive spiritualium, sive corporalium efflagitationem, ut vel ex Psalmis Davidicis patet, adeoque hactenus adhiberi possunt. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*, quia non quæritur, an preces, quæ obscuriores in Testamento Veteri, adhiberi debeant, sed in *genere*, an Christiani ita adstricti sint formulæ Orationis Dominicæ, ut aliis precandi formulis illis uti non liceat.

XXXIII. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Supponi *τὸ ἐν ἀρχῇ*, & id ipsum, quod est *τὸ ἀμφισβητούμενον*, immò quod apertè falsum. Scriptura enim *universaliter* docet, neminem venire ad Patrem, nisi per Christum: Illum solum esse viam, veritatem & vitam. Nec sanè aliter homini peccatori potest patere aditus ad Deum, & summè justum adeoque summè osorem mali, & summè veracem, adeoque maledictionis peccato annexæ executorem. Deus enim ignis consumens est, nec potest ferre iniquitatem, & peccata divortium faciunt inter ipsum & peccatorem. 2. Peccatur *falsa hypothesi*, ullum Judæorum servatum esse adhærentem tantùm cortici ceremoniarum, vel præceptorum moralium. 3. *Κατὰ τὸ βίαιον*, Eo ipso quo ceremoniæ plurimæ Judæis imperatæ fuere, quæ nullam habebant bonitatem nisi ab auctoritate imperantis, voluit legislator imperans eos manuductos ad *τὸ τυπωθὲν*, & per *umbras* illos directos ad ipsum *corpus*, ut in propitiatorio externo & materiali contemplarentur *propitiatorium* aliud, quod librum Legis contegeret, & inter Legem & Deum intercederet, & ut librum Legis simul ac populum ejusmodi sanguine aspergendum animo præciperent, qui loqueretur meliora quàm sanguis Abelis. Eædem *σχέσεις* institui debebant in lotionibus & Sacrificiis, & aliis id genus ceremoniis. Docet enim Apostolus ad Hebr. 9. & 10. non fuisse iis purgatam conscientiam,

& ea tantùm sanctificasse ad carnis puritatem, ut liceret Judæis interesse sacris publicis. 4. Κατὰ τὸ βέλτιον, qui hærebant præceptis V. Testamenti, eo ipso manuducebantur ad Messiam, quem ut magnum Prophetam audire jubebantur, Deut. 18. quem ut filium etiam jubebantur osculari, Psal. 2. 5. Supponitur *falsa hypothesis*, ullos Iudæos præceptis Veteris Testamenti perfectè hæsisse, quod falsum.

XXXIV. Ad 8. *Except. Resp.* Peccari παρερμηνείᾳ Loci, Actor. 15. 11. & dilutum affingi sensum Spiritui Sancto. Nec enim dubium esse poterat, Discipulos qui Apostolis nomen dederant, credere se salvandos per gratiam Christi, instar Apostolorum, sed hoc dubium esse poterat, qui ergo salvati fuerint Patres, quum non potuerint portare jugum Legis? Vnde tacita ibi ὑποφορὰ, cui occurrit ibidem Petrus, illos æquè ac nos servatos esse per gratiam Christi, unde eò firmiùs *argumentum* duci poterat, ceremonias legales gentibus obtrudendas non esse, velut ad salutem necessarias, eò quod ne Patrum quidem respectu, quibus imperatæ fuerant, salvificæ esse potuerint.

XXXV. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. De loco Exod. 3. 19. actum esse *Disp.* IV. *Thes.* LXI. & ostensum, quo sensu Moses ibi intelligi possit nomine μεσίτ. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ὁμώνυμον. Patres V. Testamenti Mosen habuerunt internuncium inter se & Deum: Ergo non opus habuêre alio Mediatore. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, quum Mosis μεσιτεία *interlocutoria* tantùm fuerit, non *expiatoria*, alià opus erat, & Mediatore alio, & pro populo & pro ipso Mose. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Patres ad solam Dei misericordiam confugisse, oppositè ad Messiam & ejus interpositionem inter Deum & sese. Immò omnes sanctorum preces tacitè innitebantur promissioni de semine mulieris contrituro caput serpentis, & de semine Abrahæ in quo erant benedicendæ omnes gentes Terræ; innitebantur enim fœderi gratiæ, quod illa promissione erat sancitum. 4. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, eo ipso quo confugiebant Patres ad Misericordiam Dei, confugiebant ad Deum per Messiam, quia extra eum non locus est Misericordiæ, ob veritatem & Iustitiam Dei. 5. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Exod. 34. 6. 7. Mosen confugere ad Misericordiam Dei, sine Messiæ consideratione, immò implicitè pro temporum illorum ratione, connotabatur is illis ipsis *epithetis* quæ Deo tribuit Moses, dum eum vocat *misericordem, gratiosum, multum benignitate ac fide*, quæ non possunt esse *epitheta* Dei *legalia*, sed *Euangelica* tantùm. 6. Itidem petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Danielem tantùm confugisse ad Misericordiam Dei excluso Mediatore: contrarium disertè patet ex cap. 9. 7. ubi Daniel petit, ut Deus lucere faciat faciem suam super sanctuarium desolatum *propter Dominum*. 7. Petitur itidem τὸ ἐν ἀρχῇ, Davidem niti misericordia Dei, non habita ratione Messiæ. Contrarium patet ex Psalmis 2. 16. 22. 45. 110. & aliis id genus, qui Euangelici sunt.

XXXVI. Ad 10. *Exc. Resp.* 1. Per συνεκδοχὴν, *actum* fidei præsupponere suum *objectum*. 2. Per ἄρνησιν, non fuisse objectum illud præstitutum Patribus in Testamento V. quî enim aliàs Abraham potuit videre diem Domini? Iob contemplari & nosse *cognitione* etiam *practicâ* Redemptorem suum; David

David eum osculandum proponere Regibus, & Dominum suum agnoscere? Jesaias, Ieremias, Michæas, Zacharias, alii Prophetæ ita clarè de eo loqui? 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid, & paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, eum qui nondum fuit exhibitus in carne, nullo modo potuisse proponi Patribus Testamenti Veteris, nec fidem in ipsum venturum & exhibendum exigi, æquè ac in exhibitum. Sic non possemus hodieque credere Christi adventum ad judicium, resurrectionem carnis, & vitam æternam, quæ & ipsa nostri respectu futura sunt.

XXXVII. Ad 11. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, de una tantùm fide *in genere* sermonem esse, non de una fide *in specie*. Immò ad Hebr.11. de illa fide sermo est, quam inculcavit Apostolus capitibus præcedentibus, quæ erat fides in Christum Mediatorem, typis tum *personalibus* tum *realibus*, ceremoniis etiam legalibus, designatum. Et sanè Messias erat inter τὰ ἐλπιζόμενα & τὰ μὴ βλεπόμενα, quæ ut objectum fidei proponuntur. 1. Immò disertè *objectum* fidei Mosis constituitur *probrum Christi*, v.26. & sic per fidem etiam Moses peregisse dicitur Pascha, & effusionem illam sanguinis vers.28. sic Messias fuit *promissum* illud quod obtinuêre Patres, quoad *destinationem & imputationem*, licet non quoad *exhibitionem actualem*, vers.39. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ verborum, quæ ad Hebr.11.6. nec enim *prædicata* quæ de fide dicuntur, opponenda iis quæ exstant, v.1. nec sumenda sunt secundùm *corticem literæ*, sed secundùm ἐξήγησιν Scripturæ, *accedentem* sanè *ad Deum, credere oportet esse Deum*, sed talem qualem se revelavit, Patrem nimirum, Filium & Spiritum S. Sic præmia illum largiri, & gratuita nostri respectu, & propter Messiam, iis tamen qui ipsum requirunt *evangelicè*, non *legaliter*. 3. Sic petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, ad Eph.4.5. tantùm de eadem *genere* fide sermonem esse, non de eadem *specie*. Atqui sic etiam de uno *genere* Domino, de uno *genere* Deo & Patre tantùm sermo erit. Immò sic Dæmoniorum fides & fidelium eadem erit, quum & ipsa Dæmonia credant, Iacob.2.19.

XXXVIII. Ad 12. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς Davidem reverà fuisse Filium Dei. 2. Ἀρνητικῶς, Davidem ibi talem vocari, peccatur enim παρερμηνείᾳ loci, & petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Falsum enim, Davidem ibi designari, certum contra, designari Messiam, quod demonstrari potest invictè. 1. *Authoritativè*, ex collatione locorum, Actor.4.25.26.27. & 13.23. Ad Hebr.1.5. & 5.5. & Apoc.19.15. 2. *Ratiocinativè*. De illo sermo est, qui est Filius Dei ἀπηντομαστικῶς, vers.2. cui donavit Deus gentes in possessionem, & fines terræ, cui osculum subjectionis & homagii signum deferendum erat *indefinitè* à Regibus & Judicibus terræ, cujus ira conjuncta est cum perditione eorum, quibus ille irascitur, & contra quos vel minimum excandescit. Adde beatos pronunciari omnes illos, qui confidunt in eo. An verò *prædicata* illa omnia vel in Davidem, vel in Iosaphatum, vel in mortalium ullum transferri possunt sine Dei contumelia, & flagitio, immò blasphemiâ? Vt ergo utrumque istud genus probationis Christianis persuadendis sufficere potest, sic ne à Judæis quidem ultimum à *loco artificiali* ductum eludi potest. 3. Gratis itidem dicitur, Davidem ob filiale obsequium, filium vocari, eodem sensu quo vers.7. Gratis etiam,

eodem sensu nomen filii hoc loco sumi, quo alibi quando tribuitur Israelitis.

XXXIX. Ad 13. *Except. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, Sermonem esse Psalmo 45. de Salomone etiam, & de Filia Pharaonis. 2. Ἀντιτικῶς, tantùm de illis sermonem esse, quod supponitur, non probatur. Contrarium verò patet. 1. *Argumento inartificiali*, ex applicatione hujus Psalmi ad Christum, ad Hebr.1.8.9. & quidem in Epistola scripta ad Hebræos, adeoque supponit ejus Scriptor, illis notum fuisse Psalmum istum ad Mesſiam esse referendum. Ex ἐνεργείᾳ etiam verborum evidens est, de illo ista efferri, qui initio fundavit terram, & cujus manum opus sunt cœli, & cujus anni non deficiunt, qui est hæres omnium, qui est ἀπαύγασμα gloriæ, & character Personæ Patris. 2. *Argumentis artificialibus*, petitis ex ipso Psalmo, quia illum de quo loquitur, vocat Deum, ei tribuit solium in seculum & sempiternum, ut Esa.9.7. Dan.7.14. & Luc.1.33. nec tantùm ibi adhibetur τὸ עולם, quod modò *indefinitum*, modò *definitum*, & *periodicum*, adeoque ambiguum, sed & τὸ עד cum eo conjungitur, adeoque designatur eo ipso æternitas propriè dicta, ex Iudæorum ipsorum glossa. Sic eidem tribuitur sceptrum rectum, dilectio Justitiæ odium improbitatis, idque absolutè, ut Esa.11.3.4. quæ non competunt Salomoni, ut patet ex ejus à Domino secesſione, nec posteris ejus promiscuè. Sic gloria Filiæ Regis interna, vers.14. non filiæ Pharonis convenit, sed Ecclesiæ. Filii ejus dicuntur præponendi Principes in tota terra, quod sanè posteris Salomonis haudquaquam competit. Et ille sponsus de quo sermo, à populis *indefinitè* celebrandus dicitur *in seculum* & *sempiternum*. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐν πολλοῖς vers.12. designatur honor civilis à filia Pharaonis habendus Salomone: Ergo non honor spiritualis habendus Mesſiæ ab Ecclesia: immò uterque describitur, ille ut *typus*, iste ut τὸ ἀντίτυπον.

XL. Ad 14. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, per *accomodationem* sanè incurvationem ad arcam referri ad Christum, quod in collatione typi omnis & τοῦ ἀντιτύπου necessarium est. 2. Per ἄρνησιν, ex ista accommodatione quicquam detrahi firmitati probationis. Immò κατὰ τὸ βίαιον, nisi ista applicatio ad τὸ ἀντίτυπον fuisset hac ratione designata à Spiritu S. haudquaquam causa fuisset incurvationis ad arcam. Fuit itaque vel inanis illa ceremonia, vel tota σκιά, ut & aliæ id genus, prout Apostolus prolixè ista exequitur ad Hebr.9.& 10. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, quia ista explicatio est Scriptorum N. Testamenti, αὐτόπιστος est, & illa eundem sensum continet, quem Spiritus S. jam olim & intendit, & inspiravit Dei Filiis sub Testamento V.

XLI. Ad 15. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, concedi verba Psaltis, Psalm. 80.16. de *typo* Christi esse intelligenda. 2. Ἀρνητικῶς, *adæquatè* de eo intelligenda esse elógia illa *filii*, & *viri dextræ Iehovæ*, ℣.16.& 18. Contrarium patet ex collatione locorum, Psal.2.7. Esa.9.5. & Dan.9.17. vnde *adæquatus* sensus demum emergit ex conjuncta *typi* & τοῦ ἀντιτύπου consideratione 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, vel loca varia ex Cantico Canticorum aliò quàm ad sponsum cœlestem, sine variis absurdis referri posse, vel debere. Sic verba Danielis aliò referenda esse, supponitur non probatur. Ut enim vers.19.

Deum

Deum propter ipsum Deum rogat Propheta, sic vers. 17. præmittit preces *propter Dominum*, ut unicum Ecclesiæ Mediatorem, propter quem preces ejus exaudiantur à Deo.

XLII. Ad 16. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* ἐκ τῶν ἐν μέρει, sacrificiis simpliciter hæsisse Israelitas, de carnalibus id fatemur, de spiritualibus negamus. Et hîc in corpore *collectivo* vel *aggregativo* distinguendi Iudæi *in propatulo* à Iudæis *in occulto*, circumcisi *circumcisione carnis in litera*, & circumcisi *circumcisione cordis in spiritu* ad Rom. 2. 28. 29. *Semen* & *filij, filij carnis* & *filij promissionis*, ad Rom. 9. 7. 8. 2. Immò, si omnes simpliciter hæsissent sacrificiis externis, haudquaquam ulli ex illis potuissent salvari, quia dona & sacrificia non poterant in conscientia consummare cultorem, ad Hebr. 9. 9. nec sanguis taurorum & hircorum poterat auferre peccata, ad Hebr. 10. 4. Pii itaque ex Israelitis non hæserunt tantùm sacrificiis, ut cultui à Deo imperato, sed & ea ratione & eo fine, quo ille erat imperatus, cum γένει nimirum ad Messiam futurum. 3. Adde, testari Spiritum S. Act. 10. 43. Christo omnes Prophetas testimonium dedisse, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemvis qui credit in eum. Et sanè Apostolus totâ Epistolâ ad Hebræos id unum agit, ut ostendat illa sacrificia & totum cultum veterem typicum fuisse. Vnde etiam Deus Esa. 1. 65. & Psal. 50. & alibi passim toties invehitur in illos, qui hærebant tantùm cultui externo, & Psalm. 40. 7. Sacrificiis Legis opponit sacrificium aliud, quo ipse delectetur.

XLIII. Ad 17. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, argumentum ab animabus sub altari esse allegoricum, sed in eo allegoria notatur non παρένθετος, sed ἔμφυτος, non *illata* in Scripturam, sed *innata* Scripturæ, ut patet ex ἀπόδοσις quam exequitur Spiritus S. ad Hebr. 13. 10. & ex collatione locorum aliorum parallelorum, ubi preces fidelium in Christi nomine Deo exhiberi jubentur. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, id pertinere tantùm ad Oeconomiam Novi Testamenti, immò ad omnes Dei filios pertinet, qui ullas preces Deo gratas obtulerunt, nec enim peccatori ad Deum accessus unquam patuit sine Mediatore, nec est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub Cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos salvari. Act. 15. 12. Nec de nobis duntaxat hoc sub Novo Testamento intelligendum esse, patet, non tantùm ex *universali* & *absoluta* Spiritus S. declaratione, sed & ex collatione loci Act. 15. 11. & declaratione diserta Pauli, se, Euangelium Christi docendo, & omne consilium Dei de salute nostra proponendo, nihil dixisse extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt, adeoque extra credenda Ecclesiæ Vet. Test. Act. 20. 27. & 26. 22.

XLIV. *Argumentum* 3. *è natura subjecti est*, Scriptura à famulis Veteris Fœderis profecta non pertinet ad Filios Novi Fœderis. Scriptura Veteris Testamenti talis est: Ergo. *Ratio consequ. prob.* quia filiis Novi Fœderis loquutus est ipse Filius, qui Dominus, Apostolus & Pontifex professionis nostræ, ad Hebr. 3. 1. Servos verò, quales fuerunt Moses & Prophetæ, v. 5. 6. audire velle, exhibito Domino, absurdú, & injurium in Dominum.

XLV. Ad *Arg.* 3. *Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, Scriptores librorum V.

Testamenti fuisse tantùm famulos, vel administros veteris Fœderis, quod falsum. Immò fuêre etiam, & potissimùm quidem, famuli Fœderis Novi, quod passim Moses & Prophetæ inculcant, populo V. Testam. manuducto ad Messiam. Vnde κατὰ τὸ βίαιον, argumentum retorqueri potest: Quia Scriptura, à famulis Veteris Fœderis profecta, etiam novum Fœdus proponit, confirmat, & ad illud manuducit: Ergo pertinet ad filios Novi Fœderis. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, Scriptura à famulis Veteris Fœderis tantùm & *simpliciter* profecta, non pertinet ad filios Novi Fœderis. At ab illis tantùm profecta est, *secundùm quid, ministerialiter*, non *originaliter*, *ὑπηρετικῶς*, & *λειτουργικῶς*, haudquaquam verò *αὐθεντικῶς* vel *κυρίως*. Immò pótiùs dici debet, Scripturam illam *per illos* fuisse propositam, quàm *ab illis*. Vnde itidem *argumentum κατὰ τὸ βίαιον* retorqueri potest: Quia Scriptura à famulis illis proposita, est Dei verbum, & eiusdem quidem Dei, quem filij Novi Fœderis pro tali agnoscunt & adorant: Ergo ad eos quoque pertinet. 3. Peccatur *paralogismo παρὰ τὸ ἑπόμενον*, si filiis Novi Fœderis loquutus sit ipse Dominus, ob id non audiendos esse Mosen & Prophetas. Nam & Patribus Veteris Testamenti loquutus est ipse Dominus, & tamen Moses & Prophetæ erant audiendi. 4. Peccatur *paralogismo oppositorum*: opponuntur enim componenda, nam & Dominus audiendus, & simul fideles illius servi, utpote ab illo missi ipsius authoritate & inspiratione loquuti, & acti à Spiritu eius, 2. Pet. 1. 21. 5. Immò κατὰ τὸ βίαιον, si audiendus sit Dominus, audiendi sunt famuli illi, ad quos Dominus nos remittit, Ioh. 5. 39. Luc. 16. 29. & passim alibi. 6. Retorquetur hoc ipsum κατὰ τὸ βίαιον in *Antinomos* istos, idque *triplici ratione apagogica*. 1. Si absurdum sit & injurium, audire servos, exhibito Domino, absurdum erit & injurium hodieque audire Scriptores Novi Testamenti, quippe qui & ipsi servi fuerunt. 2. Si absurdum sit & injurium, audire servos exhibito Domino, ne Dominus quidem hodie audiri poterit, quippe qui nobis tantùm per servos illos, h.e. per eorum scripta loquitur. Illi verò audiri jubentur, Matt. 28. 19. 3. Si absurdum sit & injurium, audire servos exhibito Domino, absurdum erit, & injurium, audire hodieque *Antinomos* & *Anabaptistas*. Vel enim servi Dei sunt, vel non: si tales non sint, audiendi non erunt; Sin se tales esse profiteantur, nec tum erunt audiendi, ex *hypothesi* illa, quam substernunt ipsi. Immò concidet hac ratione totum Ministerium Ecclesiasticum. 7. Peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*. Servos audire, exhibito Domino, absurdum est, & injurium in Dominum, qui veniunt non missi, qui *diversa* imperant, vel *adversa* iis quæ imperantur à Domino, qui vel præ Domino, vel contra ipsum audiri volunt. Tales sanè non audiendi. Alia verò ratio est servorum, qui & à Dominò missi fuerunt, & ea tantùm imperarunt, quæ à Domino illis commissa, & qui sub Domino, & pro ipso tantùm audiri volunt, vt servi fideles, manuducentes Ecclesiam ad Dominum. Tales verò servi fuêre Moses & Prophetæ, & tales audiendo audimus ipsum Dominum, aspernando verò & ipsum aspernamur, & Deum qui eum misit, Luc. 10. 16.

XLVI. *Exc.* 1. Scriptores Librorum V. Testamenti, eo ipso qua tales, esse Fœ-

esse Fœderis Veteris famulos, Testamentum enim & Fœdus, συνθήκην & διαθήκην æquipollere. 2. Verbum quidem eiusdem Dei esse Scripturam Veteris Fœderis, sed non populo Noui Fœderis, sed Veteris tantùm destinatum. 3. Dominum quidem Patribus Veteris Testamenti loquutum fuisse, sed *mediatè*, filiis verò Novi Fœderis loquutum esse *immediatè*. 4. Si audiendi sint famuli Veteris Fœderis, quia fuerint à Domino missi, eos in omnibus audiendos fore, adeoq; etiam ceremonias veteres observandas, & cultum Veteris Tabernaculi revocandum. 5. Absurdum etiam esse & injurium, audire servos, Domino exhibito, ex eo constare; quod voce cœlesti Deus denuntiarit disertè, se illum solum velle audiri, Matt. 17.5. *Ipsum audite. Exclusivè* id intelligendum esse ex eo liquere, quòd *attributa* eiusmodi præmittantur, quæ id evincunt. Illum enim tantùm audiendum esse, qui sit filius Dei dilectus, & in quo solo Pater acquiescat, qualis nemo datur præter Christum. 6. Servos Veteris Testamenti audire velle, esse Sole exhibito, lampadas accendere velle, & à Christo ad Mosen regredi, adeoque Christum sibi inutilem reddere, contra interdictum Pauli, ad Gal.5.1.2.3.

XLVII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo à dicto secundùm quid:* Scriptores librorum V. Testam. esse famulos Vet. Fœderis, verum est, *secundùm quid*, falsum, *absolutè*, vel *tantùm*, vel *principaliter*. 2. Peccatur *Elencho ἐκ τῶν ἐν μέρει*. Συνθήκην & διαθήκην *Testamentum* & *Fœdus* interdum æquipollere, verum semper æquipollere, falsum. Differunt enim per se, συνθήκη enim est *conuentio pactionalis*, & διαθήκη est *dispositio testamentaria*. Mirâ tamen Dei sapientiâ factum, ut nec vox ברית à LXX. expressa unquam fuerit in Veteri Testamento per συνθήκην, sed semper per διαθήκην, nec Scriptorees in Fœdere Dei exprimendo utantur voce συνθήκης, sed semper διαθήκης, tum quia propriè nulla συνθήκη intercedit inter Deum & homines, ut quæ æqualitatem aliquam contrahentium, vel contractum & permutationem *officiorum* ac *beneficiorum* in proportione, & æqualitate aliquâ fundatam, vel mutuam saltem ex æquo obligationem designat, tum quia διαθήκη ostendit Fœdus Dei esse velut dispositionem testamentariam, ad quam concurrit donator & donatarij, gratuita institutio hæredum, & hæredes, & legata potius ac hæreditas quàm justa debiti & pacti exsolutio, tum quia Fœdus illud morte Testatoris fuit obsignatum & sancitum, quod in Testamentis fieri solere observat Apostolus ad Hebr.9.16.17.

XLVIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. τὸ ἐν ἀρχῇ peti, verbum V. Fœderis tantùm fuisse destinatum Patribus V.T. Illud ipsum enim est τὸ κειμένον, & τὸ ἀμφισβητούμενον. 2. Contrarium patet ex Christi, Euangelistarum, & Apostolorum praxi, & citantium, & applicantium, & commendantium passim Scripturam Testamenti Veteris.

XLIX. Ad 3. *Exc Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, dato, non concesso, Dominum Patribus V.T. loquutum fuisse *mediatè* tantùm, nobis *immediatè*, ob id non sequitur scripta Vet. Testam. ad nos non pertinere. Peccatur itaq; *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, & *paralogismo oppositorum*, opponuntur enim componenda. 2. Ἀρνητικῶς, Patribus enim multis V.T. sæpe Deus loquutus est *immediatè*.

3. Supponitur falſum, Deum nobis hodie *immediatè* loqui, immò κατά τι ἁπλῶς, quia Deus hodie nobis *mediatè tantùm* loquitur, ejuſmodi ſcriptis nobis opus, & ad fidei noſtræ inſtitutionem, & ad ejuſdem ἀποφῆναι, quæ Dei nobis mentem hodieque exprimere poſsint.

L. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, ſi audiendi ſint famuli Vet. Fœd. eos in omnibus audiendos eſſe. 2. ἀρνητικῶς, ob id ceremonias veteres obſervandas, & cultum Tabernaculi veteris revocandum eſſe. Peccatur enim *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Aliud enim eſt, audire Scriptores Veteris Teſtamenti, aliud, ceremonias Veteres obſervare. Tunc enim audiuntur à nobis, quando & ceremoniæ illæ cognoſcuntur, & ad ſuum verum ſcopum referuntur, & eorum complementum in Chriſto ſpectatur. *Inſt.* Atqui illi Scriptores non commendant tantùm cognitionem ceremoniarum, ſed etiam imperant earum obſervationem. *Reſp.* 1. Per συγχώρησιν, utrumque ab iis imperari. 2. Per ἄρνησιν, utrumque ab iis imperari omnibus, æquè ſub Novo ac ſub Veteri Teſtamento, quod falſum. Imperant enim illarum obſervationem duntaxat ad tempora uſque διορθώσεως, ut patet ex Eſai.66.23. Ierem.31.34. &c. Malach.1.11. Immò dum illi prænuntiant adventum Meſsiæ, eo ipſo indicatum volunt, ſole exhibito extinguendas eſſe lampadas, nec amplius inſtaurandum Teſtamentum Vetus, qoſtquam in templum ſuum venerit Dominus.

LI. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. ἀρνητικῶς, *excluſivam* ibi eſſe intelligendam, quod falſum, reſpectu fidelium Dei ſervorum. 2. Συγχωρητικῶς, demus, *excluſivam* ibi ſubintelligendam eſſe, inde enim tantùm ſequetur, illum *ſolum* audiendum eſſe, ut Dominum, ut Mediatorem, & Filium dilectum, in quo Pater acquieſcat, ut magnum Prophetam. Quod non obſtat, quominus cum illo ſervi fideles audiantur, qui id unum urgent, ut audiatur Dominus, & Eccleſiam ad illum manuducunt, ut ad Filium dilectum, & eum in quo Pater acquieſcit. Obſtat tantùm, ne illi audiantur, qui vel ſe pro Mediatoribus obtrudunt, vel qui ad alios Mediatores homines manuducunt, quàm ad filium illum dilectum.

LII. Ad 6. *Exc. Reſp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, hoc eſſe lampadas accendere, vel à Chriſto ad Moſen regredi. Tunc enim accenduntur lampades, ubi ceremoniarum veterum obſervatio urgetur, non verò ubi illæ referuntur ad finem & ſcopum ſuum. Sic tunc ad Moſen à Chriſto regrediuntur homines, quando ſpretâ libertate, in quam à Chriſto ſunt vindicati, volunt denuò implicari jugo ſervitutis, & obſervare ceremonias legales. Et hos quidem perſtringit Paulus ad Heb.5.1.2.3. non verò ceremonias illas ex Moſe vel cognoſcentes, vel referentes ad ſuum verum ſcopum, adeoque Moſe ut pædagogo utentes ad Chriſtum, ad Gal.3. 24. & teſte Chriſti, Ioh.5.39. & commentatore, qui de Chriſto ſcripſit, ℣. 46. & cujus miniſterio diſcimus Chriſto & verbis illius fidem adhibere ut ibidem notatur.

LIII. *Argumenta* quæ *Antinomi* ducunt *ex parte prædicati* pro ſententia ſua, iſta potiſsimùm ſunt. 1. *Argumentum* eſt; Quod ad Judæos tantùm pertinuit ſub Vet. Teſtamemto, id non pertinet ad Chriſtianos ſub Novo.

Scriptu-

Scriptura Veteris Teſtamenti,&c. Ergo,&c. *Minor prob.* 1. Quia & *Lex* Judæis tantùm deſtinata fuit, & *Propheta*, *Lex* quidem, tum *ceremonialis*, tum *judicialis*,ut pote quæ accommodatæ fuêre peculiari ratione & genti,& regioni, & genio illius, ut & ſtatui pædagogico Veteris Teſtamenti, quas etiam ipſi fateamur ob id eſſe abrogatas: De *morali* verò idem docendum eſſe,quippe quæ Iſraëlitis tantùm lata fuit,iis enim Deum duntaxat loqui,quos *ex Aegypto eduxit, è domo ſervitutis*,ut patet & ex *præfatione* ejùs, & ex *promiſsione* annexa præcepto quinto, de vita Judæis proroganda in terra Canaan, Exod.20.12. *Prophetas* etiam Judæis duntaxat deſtinatos fuiſſe, ex eo evidens eſſe contendunt,quod ad Judæos tantùm miſsi fuerint, & intra Judææ fines ſe continuerint,& ſe Judæis tantùm deſtinatos profeſsi fuerint, illiſque duntaxat Dei voluntatem communicarint, & meri Legis Interpretes fuerint, adeoque illis duntaxat audiendi ſint,quibus ipſa Lex & deſtinata erat, & audienda; *Reſp.* 1. *Minorem* falſam eſſe, & probationes ejus futiles. 2. Prima probatio *quoad Legem*,peccat vel *fallacia* ὁμωνυμίας in phraſi, adeoque *quatuor terminis*, vel petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Duplex enim eductio ex Ægypto, *typica* una, *myſtica* altera, prout & Ægyptus ac domus ſervitutis duplex eſt,corporalis, & ſpiritualis. Prior Iſraelitis propria fuit, poſterior non item. 3. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, quia promiſsio annexa prœcepto quinto, non intelligenda eſt *ſecundùm ſpeciem* tantùm, ſed *ſecundùm genus*, nec de terra Canaan *excluſivè*, ſed de quavis terra,quam Deus homini occupandam tradit, unde terræ *indefinitè* mentio fit, non *definitè* terræ Canaan, etſi illa reſpectu Iſraëlitarum tunc directè & primò deſignata fuerit. 4. Κατὰ τὸ βίαιον; Si Lex tantùm pertinuit ad Iſraelitas, ergo nec hodieque obligamur, ut Deum illorum pro noſtro Deo habeamus,non obligabimur interdicto de non aſſumendo nomine Dei in vanum,integrum nobis erit,ad homicidia,adulteria, & furta graſſari. Sin hoc nobis integrum non ſit,Lex utique noſtri reſpectu obligatoria eſt, adeoque ad nos pertinet. 5. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Prophetarum Scripta non ad nos pertinere,eò quòd ad Iudæos tunc tantùm miſsi fuerint,intra Judææ fines ſe cohibuerint, Judæis ſe ſubmiſsos profeſsi fuerint,& illis tantùm Dei voluntatem annuntiarint. Alia enim ratio *temporum iræ*,quibus Verbum Dei intra fines illius gentis coercitum fuit,alia ratio *temporum gratiæ*, quibus Eccleſiæ fines dilatati, & exporrecti fuêre,Iapheto pellecto in tabernacula Semi,ubi non amplius diſtinctio eſt Judæi & Græci, & Deo acceptus eſt, qui in quavis gente eum colit. 6. Immò & *inter gentes* quædam interdum velut præludii ergo prophetaſſe leguntur. Sic multa *de gentibus* prædixêre proſpera partim, partim adverſa. Quin etiam tempora exhibitionis Meſsiæ, & ſtatum Eccleſiæ Chriſtianæ ſigillatim prædixêre, & de Novo Fœdere, & *officiis* ac *beneficiis* ei annexis diſſeruêre, adeoque κατὰ τὸ βίαιον ad illos etiam pertinent, qui attigêre tempora illa gratiæ, & ſub œconomia plena Novi Fæderis vivunt *Vox* itaque Prophetarum Judæis potiſsimùm deſtinata fuit: *Scripta* & Judæis & gentib. 7. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Lex non Judęis tantùm deſtinata erat,& audienda,ſed & nobis intepretes etiam ejus nobis hodieque audiendi ſunt.

LIV. *Exc.* 1. Gloſſema de duplici Ægypto, & duplici eductione ex ea precarium eſſe, & ἄγραφον. 2. De illa terra ſermonem eſſe, quam iis quibus loquitur Deus, daturus erat, & quæ fuerit, *terminus ad quem*, reſpondens Ægypto, ex qua modo educti fuerant, ut *termino à quo*. 3. Non ſequi, ſi ad ſubſtantiam Legis moralis obligemur, nos obligari etiam ad ſcripta Moſis & Prophetarum, aliâs enim nos ex æquo obligandos ad Leges ceremoniales, & judiciales, ut quæ & ipſæ continentur ambitu Legis & Prophetarum. 4. Si Scriptura Legis & Prophetarum pertineat ad gentes etiam, falſum fore, quod exſtat Pſal.147.19.20. Deum declaraſſe verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua Iſraëli, & non ſic feciſſe omnibus gentibus.

LV. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, ἄγραφον eſſe duplicem Ægyptum, & duplicem eductionem κατά τι datur, κατὰ τὸ γράμμα nimirum, & αὐτολεξεὶ, ἁπλῶς verò negatur, ἔγγραφον enim eſt, κατὰ τὸ πρᾶγμα, & κατ' ἰσοδυναμίαν. Certum enim ex Scriptura, & filios Dei in ſpirituali domo ſervitutis detentos, & ex ea per Chriſtum liberatos fuiſſe, ad Hebr. 2.14.15. 2. Immò ſpiritualem Ægyptum etiam dari disertè notat Spiritus S. Apocal.11.8. Sin urbs ἰσάλογος ob ſimilitudinem & tyrannidis ſuæ, & ſervitutis Dei populi in ea, Ægyptus vocari poſſit, cur non etiam poteſtas tenebrarum, à qua Chriſtus nos vindicavit?

LVI. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, de illa terra reſpectu Iſraëlitarum ſermonem eſſe. 2. Ἀρνητικῶς, de illa tantùm vel καθόλου, *excluſivè* ſermonem eſſe: diverſo enim *ſubjecto* intellecto, diverſum etiam poteſt intelligi *prædicatum*.

LVII. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, ſi ad ſubſtantiam Legis obligamur, omninò etiam obligamur ad ſcripta Moſis & Prophetarum, utpote ex quibus *originaliter* iſta Legis ſubſtantia nobis petenda eſt. 2. Peccatur *Elencho partium*, alia enim ratio Legis moralis, ceremonialium & judicialium alia, quatenus iſtæ merè *particulares* fuêre & *poſitivæ* duntaxat, ut in ſuperioribus demonſtratum, unde hæ propriæ fuêre Judæis, illa non item.

LVIII. Ad 4. *Exc. Reſp.* Peccari *Ignoratione Elenchi*, & παρερμηνεία Loci ex Pſalm.147. quum id dictum ſit *relatè* tantùm ad tempora Teſtamenti Veteris, non *abſolutè*, ad omnia tempora. Vnde peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*: Deſignatur enim ὑπεροχὴ illa ſingularis gentis Judaicæ, quod, tempore Veteris Teſtamenti, illis, & ſolis quidem, concredita fuerint eloquia Dei, Ad Rom.3.2. in Novo verò ſublata diſtinctio Judæi & Græci, ad Galat.3.28. ad Coloſſ.3.11. idque ſecundùm prædictiones Prophetarum Eſai.2.& 11.& 60. Zach.8.23. Mal.1.11.

LIX. *Argumentùm ſecundum ex parte prædicati* eſt: Quod de fide in Chriſtum non loquitur, immò juſtitiam operum urget, contrariam juſtitiæ fidei, & de multis fidei dogmatibus non loquitur, ex illo fidei dogmata nec peti debent, nec probari. At Scriptura Veteris Teſtamenti de fide non loquitur, &c. Ergo. Minor *prob.* per *partes*. 1. Fidem in Meſſiam nullibi nec imperatam fuiſſe in Teſtamento Veteri, nec præſtitam, nec ejus vel *præceptum* dari poſſe, vel *exemplum*. 2. Juſtitiam operum urgeri, ut cauſam aſſe-

assequendæ vitæ, patet ex Levit.17.5. 3. De multis fidei dogmatibus non loqui Scripturam V.Testamenti, de immortalitate animarum, de remedio peccati originis, ratione fœminarum, de morte Messiæ, & aliis id genus.

LX. Ad *Argumentum* II. *Resp.* 1. *Minorem* falsam esse, secundùm omnia membra sua, & probationes ejus inconsequentes. 2. In *prima* petitur τὸ ἐν ἀρχῇ. Fidem in Messiam futurum nec imperatam fuisse, nec præstitam, ejusque nec *preceptum* exstare, nec *exemplum*. Immò prius evincitur, omnibus promissionibus, quæ de Messia exstant in Scriptura, quæ & fide excipi debebant, & ideo proponebantur, ut fide exciperentur, Gen.3.12. 22.& 49. 2.Sam.7. Esa.7.9.11. Malach.4. & alibi passim: posterius confirmatur toto cap.11. Epist.ad Hebr.ubi magna exemplorum congeries.

LXI. In *secunda* probatione peccatur 1. *Elencho consequentia, & non causæ*, nec enim justitia operum eo fine urgetur à Mose, ut Israëlitis esset *causa* assequendæ vitæ, sed ut iis esset & regula vitæ, & medium humiliationis, & occasio id in Messia quærendi, quod ob ἀσθένειαν & ἀδυναμίαν suam sibi deesse videbant, adeoque pædagogus aliquo modo ad Christum per ceremonias legales adumbratum. 2. Supponitur falsum, justitiæ fidei mentionem non fieri in Testamento Veteri. Contrarium demonstratum exemplo Abrahami & Davidis, ut patet ex allegatione Apostoli ad Rom. 4.& loco Habac.2.4. & ad Rom.1.17.

LXII. In *tertia* probatione peccatur 1. *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Dato, de multis fidei dogmatibus non loqui Scripturam Veteris Testamenti, inde tamen non sequeretur, alia fidei dogmata ex ea peti vel probari non posse, quæ in ea reperiuntur. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia quædam ex illis duntaxat ex sententia *Antinomorum*, in ea non reperiuntur, reliqua reperiuntur, adeoq; ex ea & peti possunt & probari. 2. Peccatur petitione τὸ ἐν ἀρχῇ, quoad omnia exempla: *Immortalitatem animarum* in V. Testamento non exstare falsum est, & revincitur locis innumeris, v.g. Exod.3.6. Eccles.12. 9. Idem patet ex natura fœderis Dei, & locis omnibus quæ de eo agunt, ex promissionibus Dei passim Dei populo propositis, ex sensu conscientiæ, & ex fidelium morte & capulo propinquorum gaudio & fiducia, Gen.49.18. Iob.19.25.26. ut & ex iis quæ de creatione animæ proponit Scriptura, Genes.2.7. 3. Sic falsum est, remedium non exstare peccati originis ratione fœminarum in Testamento Veteri, illud enim id ipsum est quod virorum fuit, gratia nimirum fœderalis fide applicanda, ex qua & originalis, & actualium peccatorum petenda erat remissio. Illam verò ad fœminas Deus æquè extendit ac ad mares, quum inquit, se *Deum fore & Abrahami & feminis ejus*. Causâ verò *principali* datâ, de *instrumentali* & modo applicationis nequicquam hîc litigatur. 4. Pariter falsum, de morte Messiæ nihil exstitisse in Testamento Veteri. Atqui & *prædicationibus* plurimis illa denuntiata, Genes.3.15. Esai.53.4.5.6.7.&c. Daniel.9.26. & expressa *typis* agni Paschalis, hirci expiatorii, Serpentis ænei, immò sacrificiorum omnium, quod demonstratum it Apostolus ad Hebr.9. & 10.

LXIII. *Exc.* 1. Promissiones duntaxat exstare de Messia, non verò de

Nazareno, fidem ergo in illum nec imperari potuisse, nec præstari. Ad eam enim præsupponi τὸ ποσὸν. .2. Iustitiam operum proponi ut causam vitæ, patere ex connexione obsequii & vitæ, nec ullam fieri mentionem reliquorum finium. 3. Immortalitatem animæ tantùm per consequentias meras ex locis & argumentis illis duci. 4. Gratiam fœderalem maribus fuisse applicatam per circumcisionem, ex instituto divino, fœminis non item. 5. Prædictiones de morte Messiæ nullas exstare locis allegatis, Gen. 3.15. Sermonem esse de antipathia duntaxat Serpentum & hominum, & de consequenti læsione mutua. De Serpente enim illo sermonem esse, qui maledictus dicitur, v.14. præ bestiis omnibus agri, cui eundum super ventrem, & cui pulvis comedendus denuntiatur, Esa. 53. sermonem esse de semine sancto, (hoc est, piis Israelitis) ferent dolores & pœnam prævaricatorum Israelitarum, quam illi soli ferre debuissent. Conqueri enim hoc capite Prophetam, reliquias sanctas in populo Dei affligi ob probrum totius nationis, impios verò ex Judæis & sua gente ad gentiles transire, & suam nationem ita percussam à Deo abominari. Prophetam verò ad illos revocandos, & ad amovendum scandalum, docere, hoc non esse nationis vitium, nec illam odio habitam, aut derelictam à Deo, sed culpam penes ipsos apostatas esse. 6. Typos illos σχέσιν habuisse ad Christum, supponi, non probari, Deum enim voluisse illa sacrificia sufficere peccatis expiandis in Testamento Veteri.

LXIV. Sed hoc est αἰθέρα τέμνειν ἐρίσαντι, & conchas ac umbilicos legere. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. κατὰ τὸ βίαιον, eo ipso quo de Messia promissiones exstant in Test. V. tales exstant de Jesu Nazareno, ut qui est ille ipse Messias. Nec enim promissiones aliæ exstant, quàm de Messiâ futuro semine Abrahami, è Iuda prodituro, è trunco Isai & lumbis Davidis suscitando, & Virginis filio. Fides ergo Patrum habuit ποσὸν suum, quantum satis.

LXV. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, Justitiam vel obedientiam conjungi cum vita. 2. Ἀρνητικῶς. conjungi eo fine, ut Israelitæ ex justitia operum vitam quærant. Inaccessa enim ea peccatori, nec eâ causâ proposita. Peccatur ergo *Elencho non causæ*, ob fines verò á nobis indicatos proposita duntaxat fuit, ut patet ex conjunctione ejus cum lege ceremoniali, ex consideratione & impotentiæ & impuritatis humanæ, ex interpretatione Prophetarum,. & ex propositione Novi Fœderis, & beneficiorum ejus.

LXVI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, per *consequentias* probari immortalitatem animæ. 2. Ἀρνητικῶς, ob id illationem vel falsam, esse, vel infirmam. Distinguendum enim inter consequentias ἐμφύτως & παρεισάκτως, *innatas* Scripturæ, & *illatas* in eam: *Prioris generis* consequentiæ, solidâ stum, sunt fundamenta probationum, *posterioris* non item. At *consequentiæ* priori genere sunt, non ex posteriore.

LXVII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid.* verum est *secundùm quid*, gratiam fœderalem non fuisse applicatam fœminis per circumcisionem earum; falsum, eam simpliciter fœminis non fuisse applicatam nec per circumcisionem masculorum, in quibus censebantur, nuptæ in maritis, innuptæ in parentib, nec per Dei spiritum, quum tamẽ

fœminæ æquè fuerint fœderatæ, vel in fœdere, ac mares, utpote verum semen Abrahæ, cui facta promissio. 2. Peccatur *falsa hypothesi*, gratiam fœderalem necessariò, *necessitate* non *præcepti* tantùm, sed *medii* etiam applicari per signum aliquod externum fœderatis, quod falsum, ut patet ex obitu infantium ante octavum diem circumcisioni destinatum in Veteri, & ex eorundem morte in Novo, antequam possint Baptismo tingi, quorum saluti *privatio* Sacramenti non obest, vbi ejus abest *contemptus*.

LXVIII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρ᾽ ὁμωνυμίας in loco Gen.3. 15.& *paralogismo à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter*: De *antiphatia* serpentum & hominum sermonem esse, *secundùm quid*, quoad literam, & corticem, verùm est, *simpliciter* & *absolutè*, falsum. Immò sermo ibi & de Serpente *instrumento* tentationis, & de Serpente *authore* tentationis, de illo minus *principaliter*, de isto *principaliter*: absurdum enim & *instrumentum* tentationis à Deo puniri, & hominem tentatum, *authorem* verò tentationis non item. Adde, nec *antiphatiam* inter Serpentem & hominem *absolutè* universalem esse, nec homini sæpè noxiam, nec tanti, ut sola commemorari in actu illo judiciali debuerit. Adde, nomen Serpentis & quidem Serpentis veteris Sathanæ tributum esse, 2.Corinth. 11.3. Apoc. 12.9. & 20.2. & contritionem Sathanæ promissam Dei Filiis, ad Roman.16.20. satis docere, de quo Serpente præcipuè sermo sit, Genes.3.15. 2. Eodem *Elencho* peccatur in expositione loci, Esa.53.1. *Quia subjectum*, de quo sermo isto capite instituitur, describitur ut immune à peccato, & aliorum peccata tantùm ferens, quale sanè non fuêre sanctæ etiam reliquiæ in Dei populo. Immò Propheta, vers.2. se & semen pium distinguit ab illo de quo agit, *quando intuemur eum, non inest species cur desideremus eum*, & vers.3. *contemptus est*, *ut non æstimemus illum*, & vers.6. *Iehova fecit, ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm*. An verò Propheta se in eodem censu constituit cum Israelitis defectoribus à Lege? 2. *Quia prædicata* varia de eo efferuntur, quæ in semen sanctum Israelitarum cadere haudquaquam possunt, verbi gratia, *tumicè ejus fieri curationem altis, ipsum exposuisse se sacrificium pro reatu, eum cognitione sui justificare alios*, seipsum in mortem profundere, & alia id genus quæ passim toto isto capite habentur. Absurdum itaque, & stramentitium est glossema illud Iudaicum potiùs quàm Christianum, quum & omnes commeriti fuerint inter Judæos pœnas divinas, nec ob probrum nationis, sed in florentissimo potius ejus statu Judæos à Deo defecisse legamus, in calamitate verò potius resipuisse. Reliqua quæ ad hujus capitis vindicias pertinent, suo loco reservamus.

LXIX. *Argumentum* III. *ex parte prædicati* est: Scriptura quæ abrogata est, ad Christianos non pertinet, nec ex ea sive *fidei* dogmata sive *vitæ* instituta vel peti debent, vel probari. At Scriptura Veteris Testamenti abrogata est: Ergo, &c. Minor *probatur*. 1. Quia omnes Prophetæ & ipsa Lex usque ad Johannem prophetarunt, Matth.11.12. 2. Quia Filius unus in monte audiri jubetur, non Moses, nec Elias, Matth.17.5. Quia finis Legis est Christus ad Rom.10.4. 4. Quia Vetus Testamentum est *pactum literæ*,

ministerium mortis, ministerium condemnationis, inutile, velamen, quod ut tale *jam in Christo sublatum*, occasio etiam est calli Iudæorum, cui opponitur *novum pactum, ministerium spiritus gloriosum, ministerium justitiæ*, & intuitio gloriæ Domini quasi in speculo, 2.Cor.3.6.7.&c.

LXX. Ad *Arg.* III. *Resp.* 1. In *Minori* peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, Scriptura quæ abrogata est, quà abrogata est, & secundùm id, secundùm quod abrogata est, utique ad Christianos non pertinet. At Scriptura Veteris Testamenti non est abrogata ratione sui, ne vel legatur vel cognoscatur, vel ne sive ad fidei, sive ad vitæ nostræ institutionem & directionem referatur; sed abrogata tantùm dici potest, sive ratione pædagogiæ ceremoniarum legalium, quatenus ea obseruari amplius sub Novi Testamenti œconomia non debet, sive quatenus modus justificandi legalis per opera Christianis sectandus non est. 2. Immò *Minor absolutè* falsa est, Scripturam, h.e. Scripta Mosis & Prophetarum abrogata esse, nec probatur locis subiectis. Non *primò* ex cap. Matth.11.13. ut patet ex eius & loci paralleli vindiciis, quæ exhibitæ fuère, *Disput.*IV. *Thes.*IV. Non *secundò* ex Matth.17.5. ut pariter demonstratum hac ipsa *Disputatione*. Nec Moses & Elias audiendi negantur, hoc est scripta Mosis & Prophetarum, immò dum Filius ipse audiri jubetur, illi etiam audiri jubentur, & eo fine, ut testes gloriæ Christi, adhibentur in monte. Non *tertiò* ex cap.10. ad Rom. v.4. ut ostensum etiam *Disputatione* IV. *Thes.*XLI. Non *quartò* ex 2. ad Cor. 11. tum quia peccatur *paralogismo* ὁμωνυμίας in vocibus *Veteris Testamenti*, tum quia peccatur παρβλυψίᾳ loci illius, nec enim Vetus Testamentum ibi ab Apostolo sumitur pro Scriptura Veteris Testamenti, opposita Scripturæ Novi Testamenti, sed pro ministerio Legis, cui opponit ministerium Euangelij, quorum illud describit, ut *imperativum* tantùm, non *operativum*, ut *externum*, non *internum*, ut *corporale*, & *literale*, non *spirituale*, ut condemnationem inferens, non justificationem, ut temporarium, non perpetuum adeoque intelligit œconomiam Veteris Fœderis in se spectatam, exigentem perfectum obsequium, cum rigore & maledictione, idque sine spiritu vivificante, oppositam Novo Fœderi, gratiam & vitam tum *offerendi*, tum *conferendi* per vim spiritûs, quocum administratur, *ex promissione*, Ierem. 31.31.&c. Nec sanè sine absurditate *prædicata* illa ad Scripturam Veteris Testamenti applicari possunt, quippe quæ id se etiam continet verbum gratiæ, vitæ & salutis, quamvis velatum *comparatè*. Vide etiam de hoc argumento, *Disp.*IV. *Thes.*XLVIII.

Exceptiones, & ἐνστάσεις quæ hujus argumenti confutationi opponi possunt, Disputationibus superioribus à nobis occupatæ & discussæ fuère. Et hîc quidem Controversiæ isti primæ, de *Usu Scripturæ Testamenti Veteris in Ecclesia Christiana*, cum pulvisculo & ramento à nobis expurgatæ finem imponimus, delati cum bono Deo, in hoc argumento, εἰς φῶς, ἵνα πάντ' ἔχῃ τὸ ὅριον.

DISPU-

DISPVTATIO SEXTA

Κατασκευαστική,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM *in condendis & probandis Fidei Articulis.*

Thesis I.



Ontroversia *prima*, quæ nobis intercedit cum *Anabaptistis* super *Canone sacro*, *de Vsu*, nimirum, *Scripturæ Veteris Testamenti in Ecclesia Christiana*, hactenus aliquod Disputationibus, partim κατασκευαστικῶς, partim ἀνασκευαστικῶς pertractata, progredimur, cum bono Deo, ad *Controversiam secundam*, quæ ad Canonem sacrum pertinet, & moveri potest de *Authoritate librorum Apocryphorum, sive in condendis, sive in probandis articulis Fidei.* Vt enim ex una parte ἐλλείψει, vel ἀφαιρέσει peccant Anabaptistæ, Canonem sacrum aliquâ sui parte truncando, sic ex altera parte peccant προσθέσει, ea quandoque nobis scripta pro principio vel fundamento fidei obtrudendo, quæ admitti nec possunt, nec debent, & non nisi συνάπτοντα ἀπόκρυφα sunt, sive in *condendis*, sive in *probandis* articulis Religionis Christianæ.

II. Vt verò *prima* illa *Controversia* maximi momenti est, sic & ista suum pondus habet, & necessaria est, quum Prophetis incumbat ex præcepto divino *discernere: pretiosum à vili*, Ier.15.19. quamvis in pauciora argumentum istud contrahi possit. Vtraque verò idem planè molitur humani generis hostis, ut hinc veritatem suis exuat præsidiis, Mosen & Prophetas exturbando ex Ecclesia Christiana, isthinc mendacio nova quærat firmamenta, & sic quovis modo erronea in Ecclesiam invehat, propugnetque dogmata, πρῶτον, πλεονασμῷ τι, ἢ ἐλλείψει, ἢ δὲ πάθει.

III. Ad *statum controversiæ* quod attinet, qui bene nobis in antecessum constituendus est, quæritur; *An libri Apocryphi divinam authoritatem habeant, sive in condendis, sive in probandis Articulis fidei?* Negant id Orthodoxi; contrarium tuentur aliqui ex Anabaptistis. Ne enim hîc quicquam affingere videamur Adversariis, candidè in limine ista præscribimus. I. *Anabaptistas* affirmativam αὐτολεξεὶ non docere, adeoque non ex *verbis* illorum hunc Controversiæ statum formari, sed ejus fundamentum esse in eorum *praxi*, quatenus & quædam ex suis dogmatibus ex scriptis Apocryphis propugnatum, & nostra ex iisdem impugnatum eunt. II. Non ab omnibus Anabaptistis hoc peccatum peccari, sed ab aliquibus tantùm, quum plurimi ex illis hæreant Canonicis scriptis, nec Apocrypha, sive in probandis suis, sive in confutandis nostris adhibeant. Proinde affirmativam suis tantùm authoribus inter Anabaptistas imputamus, quales sunt. 1. *In genere authores* & patroni *Confessionis Mennonistarum*, qui in ea passim loca ex libris Apocryphis dogmatibus suis probandis, sive conjunctâ

Canonicis, sive sola quandoque producunt. 2. *In specie* hoc probationis modo utuntur quatuor primæ notæ Scriptores inter Anabaptistas. 1. *Menno Simonis*, Mennoniticæ familiæ Patriarcha, parte 11, libri, quem vernaculo idiomate inscribit *Summarien*, sive Epitomen aliquot Confessionum ac Defensionum, pag. 22. ubi locum ex Sap. 7. 1. 2. opponit Canonicis scriptis. 2. *Iacobus Outermannus* in libello Decem Articulorum vulgato Anno 1611. Artic. 111. Rat. 7. qui ex Sap. 8. 3. *ὁμουσίαν* Filii & Spiritus Sancti impugnat. 3. *Cornelius Cuyperus* in Simplici defensione de uno Deo, &c. Pag. 3. qui opponit dictis Canonicis de Omnipotentia Dei locum ex lib. IV. Esdræ cap. 5. 38. 4. *Reynerus VVybrandus* in Catechismo suo, qui prodiit Amstelodami Anno 1640. pag. 384. qui libros S. Scripturæ nobis à Spiritu Sancto relictos ad institutionem nostri in pietate, distinguit in libros Veteris & Novi Testamenti, & illos postmodum subdividit in Canonicos & Apocryphos, pag. 387. Quamvis idem Author non sibi ipsi in hoc argumento constet, & nobiscum Apocryphorum cum Canonicis comparatorum vilitatem agnoscere videatur. Cum his itaque Anabaptistarum Doctoribus, & eorum in hoc argumento Sectariis nobis hic negotium est, non cum aliis ex ista gente, qui authoritatem divinam & *αὐθεντίαν* solis scriptis Canonicis nobiscum transcribunt.

IV. Vt verò in eo *consensus* est inter *Anabaptistas* istos & *Pontificios*, quod utrique ex locis Apocryphis vel *condant* vel *probent* articulos quosdam fidei; sic in eo *dissensus* inter illos est, quòd Pontificii *χύδην* ὑφ' ἓν quosvis Apocryphos conflent in Canonicos, & promiscuè divinam in condendis probandisve Fidei articulis authoritatem utrisque constare velint, quum Anabaptistæ prudentius longe pudentius in hoc negotio versentur, nec eousque erumpant. Et sanè 1. Pontificii *plures* admittunt vel adhibent libros Apocryphos; Anabaptistæ *pauciores*. 2. Pontificii *crebrius* eorum authoritate utuntur; Anabaptistæ *rarius*. 3. Pontificii non tantùm *praxi* suâ, sed & *scriptis* tum *Didactis*, tum *Polemicis* Apocryphorum *αὐθεντίαν* tuentur; Anabaptistæ verò à nobis designati praxi duntaxat suâ illis succollant, dum & dogmata quædam fidei hoc tibicine solo quandoque fulciunt, & dictis Canonicis, quibus à nostris urgentur, loca ex Apocryphis libris deprompta opponunt. Et hæc causa est, cur hunc errorem illis eamus impactum, & eos ducamus in hunc circum. Ne verò superficiaria opera fungamur, paulò penitius in hoc argumentum nobis inquirendum erit, & multa exequenda, quæ usum habere possunt in Controversia istius generis, quæ nobis intercedit cum Pontificiis.

V. *Statu Controversiæ* ita constituto, & limitationibus istis circumscripto, proponemus, 1. *Κατασκευαστικῶς* Sententiæ Orthodoxæ 11. *Ἀνασκευαστικῶς* Sententiæ heterodoxæ, confutatis *exceptionibus* præcipuis, quæ aliqua veri specie rationibus nostris opponi posse videntur. *Κατασκευαστικῶς* pro Methodi nostræ instituto, probatam dabimus *argumentis*, ductis partim ex *natura subjecti*, partim ex *natura prædicati*.

VI. *Argumentum* ex *natura subjecti* unum duntaxat *generale*, prætermissis, consulto

consulto consilio, multis aliis, proponemus, quod sub se plurima complectitur, & omnium instar esse potest; Libri Apocryphi continent. I. *Falsa.* II. *Contradictoria.* III. *Impia* vel *Superstitiosa:* Ergo divinam authoritatem non habent, nec ex iis articuli fidei vel *condi* possunt, vel probari αὐτοπίστως. *Consequentia* patet; neque enim libri, qui tales, θεόπνευστοι esse possunt, quippe qui nihil nisi defæcatum & *septies excoctum* aurum habent, nec instar Colossi Nebucadnezaris ex luto auro permisto constant. Qui verò libri θεόπνευστοι non sunt, haudquaquam possunt esse fundamentum immotum nostræ fidei. *Antecedens* 1. probandum *per partes.* 2. *Exceptiones*, quæ probationibus nostris intercedere videntur, amoliendæ sunt & confutandæ. Et quia *inductione* hîc opus singulorum librorum, qui pro Canonicis obtrudi solent, ne nimia prolixitate peccemus, trimembrem *Antecedentis* probationem, & unius cujusque membri vindicias totidem Disputationibus, faciente Deo, exequemur, ita ut hac Disputatione *Sexta* demonstremus *falsa* contineri libris Apocryphis, *Septimâ* verò *contradictoria* iis contineri, *Octavâ* demum iis contineri *impia* vel *superstitiosa.*

VII. *Falsa* contineri libris Apocryphis probatum imus *inductione* exemplorum è singulis. 1. In libro *Tobiæ* Cap.5.4. & seqq. Angelus Raphaël sistitur velut histrio ἀπὸ μηχανῆς in pegmate, indutus schemate mendaci. Dicit enim se apud Gabraelem fratrem commoratum, v.7, & interrogatus à Tobia seniore, è qua tribu & familia oriundus foret, *qui genus esset, unde domo*, vers.16. & 17. respondet, secundùm *textum Græcum*, se ab Azaria & Anania magno fratribus Tobiæ genus ducere, ver.18. secundùm *versionem vulg.* se esse Azariam, Ananiæ magni filium. Hoc schema Angeli Tobiam seniorem in errorem ducit; subjicit enim v.19. se agnoscere, ipsum bonâ & honestâ progenie ortum, nosse enim se Ananiam, & Ionathanem esse Semei magni filios, & se unà cum illis Hierosolymas ad adorandum profectum, ad decimas fructuum, & ad primogenita offerenda. Ista verò à mendacio vindicari nequeunt; vel enim comes ille Tobiæ junioris Angelus Raphaël fuit, & sic falsum est, eum Azariam fuisse, &c. vel fuit Azarias, & sic falsum est, illum fuisse Angelum Raphaëlem.

VIII. *Exc.1* *In genere*, In Canonicis etiam talia reperiri, quæ falsa videantur, quamvis falsa non sint. 2. *In specie.* 1. Angelum vocari Azariam non magis hic mirum esse, quàm Angelos vocari homines vel viros, Genes.18. 2. Angelum Azariam vocatum, quod sive vultum, sive habitum, sive ingenium Azariæ tunc exprimeret, vel referret, prout eâdem de causâ Iohannes Baptista vocetur Elias, Matt.17.12. 3. Apud Hebræos *esse* idem sæpe designare quod *significare* vel *repræsentare*, & Scripturam sæpe referre personas, vel res, non quales sunt, sed quales videntur esse. 4. Azariæ & Raphaëlis nomina idem prorsus significare, *Raphaëlem* designare Hebræis *remedium Dei* *Azariam* eodem sensu *auxilium Dei.* Vocare etiam eundem filium *Chananiæ*, h. e. *gratiæ* & *bonitatis* Dei, & tales esse Angelos bonos. 5. Aliud esse, mentiri, aliud, dissimulare veritatem mendacium etiam malum esse, quod fit in perniciem alterius, non quod fit illius bono. 6. Non magis ob sermonem istum Angeli è Canone

expungendum hunc librum, quàm librum primum Samuelis, ubi ab ipso Deo jubetur Samuel, 1.Sam.16.3. dissimulare veritatem, *Dixi Iehova, Vitulam armenti accipito in manu tua, & dices, ad celebrandum convivium Iehovæ veni*, quum tamen profectio ista suscepta fuerit Davidi in Regem ungendo. 7. Angelos bonos etiam esse ex numero Israelitarum, quia semper *videant Deum*. 8. *Figuratè* Angelum se ita vocare, propter conjunctionem charitatis, qua Angeli sunt conjuncti cum filiis Dei, & utrosque esse progeniem Dei, Act.17.28.

IX. Ad *Except. generalem. Resp.* Peccari *petitione τὸ ἐν ἀρχῇ*, & *Elencho parium*, talia in Scriptis Canonicis reperiri, quod non falsum duntaxat, sed impium etiam & blasphemum, quippe quæ à Spiritu veritatis orta, θεόπνευστα planè sunt, & quia talia, & quà talia, aliena omninò ab omni mistura erroris & mendacii.

X. Ad 1. *Exc. specialem Resp.* Peccari *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ὁμώνυμον, nec enim eadem exemplorum utrobique ratio. 1. Angeli se non profitentur homines vel viros, sed tales tantùm videntur Abrahamo, & sic ab eo vocantur. Error ergo in Abrahamo, non in Angelis: At hic peccatum ab Angelo ipso, se Israelitam, & quidem Azariam vocante. 2. Aliud est, Angelos videri homines, aliud, Angelos videri hos homines in individuo. Prius habetur Gen.18. posterius hic in libro Tobiæ.

XI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Gratis supponi Angelum sive vultum sive habitum, sive ingenium Azariæ expressisse, quod dicitur, non docetur. 2. Adde, causam dari non posse, cur ejus vultum vel habitum vel ingenium induerit, potius quàm alius cujusdam Israelitæ. 3. Immò eorum indui potest vultus vel schema in gratiam aliorum qui noti sunt aliis. At hic neutri Tobiæ talis videri poterat Angelus, non juniori, ut patet, qui illum etiam Azariæ vultum (*ex hypothesi*) mentientem, tamen ut ignotum compellat; nec seniori, quia obstabat illius cæcitas, & demum ex relatione Angeli discit, illum esse Azariam. 4. Peccatur *Elencho parium*, & exemplum Iohannis Baptistæ ἀσυστάτων est, quum Scriptura commentarius sit hoc loco sui ipsius, & disertè profiteatur, Johannem à Christo vocatum fuisse Eliam, Matth.11.14. & 17.13. immò & rationem istius nomenclationis reddat, quod nimirum præcesserit Messiam in Spiritu & virtute Eliæ, Luc.1.17. secundùm vaticinium Malachiæ. Quæ verò hic conformitas ministerii inter Angelum & Azariam. 5. Adde Iohannem non seipsum uspiam nominare Eliam, quod facit Angelus iste, seipsum nominando Azariam. 6. Adde, Iohannem non sibi adscribere genus idem, vel eosdem parentes cum Elia, ne videretur id esse, quod non erat: At Angelus iste id facit, ut videretur esse quod non erat.

XII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* τῶν ἐν μέρει, τὸ *esse* sanè idem designat quod *significare*, sed aliquando tantùm, & id locum habet in locutionibus vel *figuratis*, vel *sacramentalibus*, non in narrationibus *historicis*, qualis hic occurrit. 2. Supponi gratis, tunc Angelum visum fuisse Azariam, quod falsum, immò ne cogitatum quidem fuit ab utroque Tobia de hoc nomine priusquam id ab Angelo proferretur. 3. Peccatur *Elencho parium*; aliud

aliud enim est, Scripturam personas vel res referre, non quales sunt, sed quales vulgò esse videntur; aliud verò, personas sibi ipsis circumponere schema alienum,& profiteri se id esse, quod non sunt,quod hic factum.

XIII. Ad 4. *Exc.Resp.* 1. Jejunam & dilutam esse grammaticationem illam circa nomina ista.Nec enim ii,qui vel idem prorsus nomen habent, vel nomina quoad significationem cognata, ob id sibi possunt imponere nomina alia, vel sibi aliorum nomen præscribere. 2. Ex contextu apparet,quæstionem Angelo isti proponi à Tobia de nomine proprio,familiâ, tribu: Ad ista verò respondet personatus iste Angelus, se esse Azariam, filium Chananiæ magni. Nec responsum id aliud, quàm genealogicum censetur à Tobia, cap.5.18.19. 3. Non tantùm ita se vocat ipse, sed& assentitur Tobiæ, genius istud altius repetenti. 4. Immò cap.7.4. Rehueli dicit unà cum Tobia juniore,se *esse è filiis Naphthali,qui captivi sunt Ninives*, quod *etymologicè* etiam cum *Hugone Cardinali* exponere, est cum ratione insanire. An verò Angeli etiam transportati à Salmanassare in Assyriam?

XIV. Ad 5. *Exc.Resp.* 1. Per συγχώρησιν, aliud esse,mentiri, aliud,dissimulare veritatem: illud nunquam licitum, istud licitum quandoque. 2. Per ἄρνησιν, hìc dissimulari duntaxat veritatem,immò mendacium disertè impingitur Angelo; nec enim tantùm dissimulat se esse, quod erat *ex hypothesi*, sed etiam profitetur se esse, quod tamen haudquaquam erat. 3. Peccatur *falsa hypothesi*, aliquod mendacium bonum esse vel licitum, quod πρῶτον ψεῦδος. Quamvis enim *Casuistæ* quidam,& æquivocationum Architecti vel *officioso*, vel *jocoso mendacio* patrocinentur; nos tamen omne mendacium à Spiritu Dei omninò proscribi profitemur, Psal.5.7. & 15.2. Ephes.4.25. & aliis id genus locis, quippe quod si vero & veritatis authore recedit, & Diabolum authorem habet, licet aliud alio gravius sit tum *intensivè*, tum *extensivè*. Nec enim vel unquam mala sunt facienda ut eveniant bona, ad Rom.3.8. vel spleni nostro indulgendum, aut auribus alienis cum dispendio veritatis. Nec magis mendacium faciendum quàm committendum adulterium. Vide eximium *Augustini* librum de Mendacio ad Consentium, qui exstat initio Tom.IV. Oper. August. Nec ex *fine* duntaxat vel *intentione* mentientis judicandum mendacium, sed etiam ex *intrinseca* & *formali* sua *difformitate* & ἀταξία, nec honestas unquam ex utilitate metienda.

XV. Ad 6. *Except. Resp.* Peccari *Elencho parium*: alia enim ratio exempli, quod allatum ex 1.Sam.16.3. alia hujus, allati ex libro Tobiæ. Illo enim loco verum dicitur, isto falsum; illo pars tantùm veritatis occultatur, quam proferre non erat necesse, isto mendacium merum profertur, quod necesse non erat proferri. Verissimum erat, Samuelem debuisse contendere Bethlehemum sacrificatum Deo,sed non tantùm hoc fine,verùm etiam ut ungeret ibidem Davidem in Regem. Uno verò fine posito, non tollitur alius. Immò Sacrificii, & convivii post Sacrificium pro more instituti,interventu debebat via sterni ad actum unctionis quum disertè Isai invitandus fuerit ad convivium illud v.3. eam ob causam.

XVI. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρ' τὸ ἕτερον, Angelos bonos

esse ex numero Israelitarum, quia semper videant Deum. Atqui nec omnes qui vident Deum, ob id sunt Israëlitæ, nec omnes, qui Israelitæ sunt, vident Deum. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, quoad originationem hujus nominis, quum *Israel* haudquaquam originem trahat à *visione Dei*, sed potius vel à *fortitudine* ostensa in lucta cum Deo, vel a *principatu*, quod velut victor Dei fuerit Jacob in lucta ista, prout Spiritus.S. exponit nomen illud, Genes.32.28. & id ducitur non à verbo ראה, *vidit*, sed à verbo שרה, quod est ἄρχειν, ἐνισχύειν, & hic apud LXX. ἴσχυσεν.

XVII. Ad 8. *Except. Resp.* 1. Falsum esse, Angelum sibi nomen illud tribuere *figurativè*, imò *propriè* id facit, aliàs non respondisset ad quæsitum, quo Tobias nomen, genus & gentem ex eo quæsierat, ad quod *figuratè* respondere hoc modo, est illudere Tobiam, & ei os sublinire. 2. Adde, Angelum unà cum Tobia se oriundū profiteri e tribu Naphthali, & esse ex captivitate Ninives, Tob.7.4. an & hoc figuratè? 3. Κατὰ τὸ βίαιον, si propter conjunctionem charitatis Angelus hoc nomen sibi imponit, cur nomen Azariæ potius usurpat, quàm aliud quoddam? An majorem cum hoc Azaria conjunctionem habuit? & cur illam habuit? An fortè Angelus ejus custos fuit? At & hoc commentum purum putum est, & [illegible]. 4. Si propter conjunctionem charitatis nomina aliorum usurpari possunt, quidni nomina omnia fidelium promiscuè sint habenda? adeoque nullum relinquetur ὀνοματικὸν vel διακριτικὸν aliorum ab aliis, & propter conjunctionem charitatis Jacobus se poterit dicere Josephum, David Ionathanem, vel Absolomum; & sic de aliis. Locus ex Act.17.28. adductus ad Angelos ibi haudquaquam, refertur, sed ad homines duntaxat, nec sequitur eos, qui ejusdem sunt progenies, aliorum nomina usurpare debere, ali s Cain sibi arrogare potuit nomen Abelis, Iaphet Semei, Ismael Isaaci, Ruben Iudæ, &c.

XVIII. *Falsa* etiam contineri in *libro Iudith*, probatur. 1. Liberatio describitur illustris & miraculosa populi Dei, quæ nec ad tempora *antecedentia* captivitatem Babylonicam referri potest, nec ad tempora quæ eam *subsequuta* fuere. Falsò itaque adscribitur regno Nebucadnezaris, Cap.1. nec, ut quidam contendunt, adscribi potest temporibus, quæ excepêre captivitatem, post adscensum populi ex ea non ita pridem reversi, quod videtur innui Cap.4.2. Qui enim hoc admitti potest? quum Holophernes Dux exercitus Nebucadnezaris ignoret prorsus statum populi Israelitici, quærit enim sollicitè, Cap.5.3. &c. velut homo in alium prorsus orbem delatus, *quis sit populus iste, quæ civitates ejus, quod robur, quis exstiterit apud eos Rex, aut Princeps exercitus eorum?* 2. Sic Festum in memoriam victoriæ illius institutum ab Hebræis dicitur vers.31. cap.16. in *vers. vulg.* & observatum ex illo tempore in præsentem usque diem, cujus tamen ne vistigium quidem apparet in tota Scriptura Canonica, immò ne apud *Iosephum* quidem, vel *Philonem*, vel ullum probi commatis Scriptorem inter Judæos, quibus tam insigne Dei beneficium, ad gentis suæ gloriam pertinens, haudquaquam fuisset dissimulatum, qui absurda etiam & ridicula quandoque congerunt, ut decus gentis suæ omnibus impingant.

XIX.

XIX. *Exc.* 1. Quamvis non conveniat de tempore liberationis illius quæ commemoratur in libro Iudith, ob id tamen non magis eam in dubium vocandam, quàm historias alias, de quarum tempore non constat. Sic *v.g.* non constare de tempore septuaginta Septimanarum, nec de tempore vel nativitatis Christi, vel adventus Magorum, vel infanticidii Bethleemitici; nec tamen de his vel aliis id genus dubitari. 2. Nihil absurdi oriri, si historia ista adscribatur temporibus, quæ *sequuta* fuêre captivitatem Babylonicam. Nec obstare Holophernis interrogationem Cap.5.℣.3. &c. quum ea non sit hominis ignari vel originis illius populi, vel status, sed sive *admirantis* Israelitarum audaciam, quod se opponere ausint, Regi suo, sive *contemnentis* populum Israeliticum, & quærentis per ἀνακοίνωσιν quandam *Rhetoricam* de re jam nota. Tales enim ἀνακοινώσεις sæpè adhiberi ab illis, quibus res ipsæ erant notissimæ. 3. Nec absurdum quid consequi, si dicatur liberatio illa contigisse temporibus illis quæ *præcessêre* captivitatem Babylonicam, *sub regno Manassis.* Nequicquam verò urgeri ea, quæ de captivitate populi, ejusque reditu ex ea leguntur Cap.5.21.22. Aliam enim captivitatem ab ultima illa intelligi posse. Et sanè Hebræos ibi dici exterminatos fuisse *à multis gentibus*; in excidio verò à Babyloniis genti & urbi sacræ illato *unam* tantùm *gentem* in Iudæos grassatam fuisse. Sic dici ibidem *plurimos* abductos fuisse; in captivitate Babylonica verò *omnes* fuisse abductos, & istam dispersionem ac desolationem fuisse totalem. Nec obstare ea quæ de templi desolatione commemorantur, quum templum non dicatur eversum fuisse, sed profanatum duntaxat & vastatum, ut videretur esse velut solum quoddam commune, quod ab omnibus promiscuè calcaretur, & hoc designari phrasi, εἰς ἔδαφος πατεῖσθαι, quod tempore etiam Regum profanorum inter Iudæos contigerit. 4. Ab authoritate S. Scripturæ non esse *negativè* argumentum ducendum, nec magis silentium S.Scripturæ proscribere veritatem hujus festi hanc ob causam inter Iudæos instituti, quàm *festi Encæniorum*, vel *Dedicationis*, cujus mentio exstat tantùm Ioh.10.22. 5. Silentium *Iosephi* vel *Philonis*, vel aliorum è Iudæis, non magis intercedere veritati hujus narrationis, quàm infanticidio Bethleemitico, historiæ adventus Magorum, & aliis id genus, de quibus altum etiam silentium est apud Scriptores eosdem.

XX. Ad 1. *Except. Respond.* 1. Per συγχώρησιν, non omnes historias in dubium vocandas, de quarum tempore *definito* & *præciso*, vel ἀκριβῶς non semper constat. Sufficit verò, ut constet de eo ἐν πλάτει, ut sine absurditate circa hæc vel illa tempora contigisse dicantur. 2. Per ἄρνησιν, eandem esse rationem narrationis illius, quæ instituitur in libro Iudith, quum non tantùm non ἀκριβῶς ullum ei assignari possit tempus, sed ne ἐν πλάτει quidem, sive gravi absurditate. 3. Peccatur *Elencho parium*, quia illa conferuntur tanquam paria, quæ non sunt paria. Nam quamvis de initio, adeoque de fine LXX. Septimanarum præcisè definiendis litigent inter se eruditi, tamen inter omnes illos convenit, intelligi per Septimanas illas Septimanas annorum, h.e. CCCCXC. annos,

inter plerosque etiam, vel eorum initium ducendum esse ab anno septimo *Artaxerxis Longimani*, Esdræ libertatem & diploma concedentis Hierosolymas remigrandi, adeoque finem constituendum esse in morte Christi, vel si finis constituatur in excidio Hierosolymitano, initium figendum esse in anno secundo *Darii Nothi*. Nihil verò tale dici potest de bello isto illato Judæis ab Holopherne, & feliciter ab illorum cervicibus depulso. 4. Sic quamvis de anno nativitatis Christi multa lis sit Theologis simul & Chronologis, ea tamen de paucis annis est, an videlicet natus fuerit Iuliano XLI. an XLII. an XLIII. an XLIV. Ex Sacra Scriptura tamen habetur τὸ πότε, quando natus fuerit, nimirum tum sub Herodis Ascalonitæ regno, tum sub Imperio Augusti, & quidem circa ultima Herodis illius tempora. Sic patet ex phrasi Scripturæ, & ἀκολουθίᾳ verborum Spiritûs Sanct. & adventum Magorum & infanticidium Bethleemiticum exiguo tempore post nativitatem Domini contigisse, etsi ἀποτόμως & ἀπαραλλακτῶς singulares certæ diei περιστάσεις designari nequeant. Nihil verò simile narrationi eorum, quæ in libro Judith commemorantur, tribui potest. Hæc comparatio itaque extenditur παρὰ τὸ μάλλον.

XXI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, nihil absurdi sequi, si adscribatur Historia ista temporibus, quæ *sequuta* fuêre captivitatem Babylonicam, quum narratio Achioris disertè ostendat, Babyloniis ignotum prorsus fuisse populum Judaicum, quod dici nequit de ista gente, quæ in Judæos tam frequenter grauiterque grassata fuerat, quæque eos LXX. annis domi sibi obnoxios habuerat, & illos recens dimiserat à se. 2. Peccatur *Elencho oppositorum*, verba ista esse *admirantis*, non *ignorantis*; immò κατὰ τὸ βίαιον, ideo admirantis sunt, quia ignorantis: nec enim comperta nobis admirationem exprimunt, sed incomperta. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, verba Holophernis esse non *ignorantis*, sed *admirantis*; contrarium ὀφθαλμοφανῶς liquet ex inspectione verborum, quæ Jud. vers. 3. *Significate mihi, viri Chananæi, quis sit populus iste montanas regiones insidens, quas habitet urbes, quantus copiarum ejus numerus, in quo potentia ipsius, viresque consistant, quisnam ei Rex aut militiæ Dux est constitutus.* Quæ verba sanè sunt hominis ignari prorsus rei, quam rogat, & cupientis edoceri. Sic cap. 6. cum Achioris narrationem acerbè perstringeret Holophernes, & Judæorum imbecillitatem traduceret, tantùm meminit potentiæ sui Regis, nec vel verbo tangit, istam gentem non ita pridem subactam fuisse à Babyloniis, & gratis dimissam, nec immemorem esse debere vel cladis suæ, vel potentiæ Babylonicæ, quod argumentum homini feroci & impotenti primum fuisset, Achiori evincendo, si tale quid contigisset. Satrapam verò Babylonicum, & Ducem exercitûs Regii ignorasse excidium recens Judaicæ gentis, captivitatem tot annorum, liberationem precariam, & alia id genus, ab omni ratione & veri specie alienum est. Immò Hierosolyma tunc stetisse leguntur, quæ tamen à Babyloniis excisa fuêre, necdum instaurari vel ita muniri potuêre, ut exercitûs ingentis vim sustinere possent. 4. Nec ἀνακοίνωσις Rhetorum hîc locum habere potest, quum in istius usu ille, qui interrogationem format, vel sibi ipsi respondeat, vel

saltem

ſaltem reſponſum non expectet ab alio. Adde, meritò negari à Celeberrimo Orator. Inſtit. Authore, ἀνακοίνωσιν eſſe ſpeciem interrogationis, lib.5.cap.7. §.4. Nec ſanè tam patientis ſtomachi erat Holophernes, ut, ſiquidem nota fuiſſet ipſi conditio gentis Judaicæ, paſſurus fuiſſet natales iſtius populi, fortunas & ſtatum ſibi tam prolixâ, & ad commendationem gentis iſtius faciente narratione, exponi. Nec exemplum ullum ſimile in Scriptura S. reperitur. Unde ut nec ad *admirationem* Holophernis, ſic nec ad *contemptum* gentis Judaicæ interrogatiò illa referri poteſt.

XXII. Ad 3. *Exc. Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, poſſe referri narrationem illam ad tempora, *quæ preceſſere* captivitatem Babylonicam, ſub regno Manaſsis. Atqui intercedunt varia, quò minus ὄφιν iſtud φάρμακον admitti poſsit. 1. In Scriptis Canonicis, ubi Hiſtoriam Manaſsis prolixè, & aliquot quidem locis, exequitur Spiritus S. ne ullum quidem hujus belli, & liberationis, quæ eam excepit, veſtigium reperitur. At tam mira & tam inuſitata populi per fœminam unam liberatio haudquaquam fuiſſet diſsimulata, quum alia longè minora, quæ Manaſſe rerum potiente contigêre, cum cura annotata fuerint. 2. Si expeditio iſta Holophernis, & ea quæ eam excepêre, contigere temporibus Manaſsis, vel contigere *ante* ejus *captivitatem*, de qua ſermo 2.Paral.33.11. vel *durante* ejus *captivitate*, vel *poſt* eam. At 1. Non *ante captivitatem*; 1. Quia quum invaſiſſet Holophernes Judæam, nulla Regis ullius mentio, ſed Jojakimi duntaxat Sacerdotis, Judith.3.5. cujus auſpiciis prærupta montium occupata, & omnia ad bellum ſuſtinendum adminiſtrata fuêre. Nihil verò abſurdius, Rege, & quidem idololatrâ, qualis Manaſſes fuit ante captivitatem, ſuperſtite, Sacerdotem talia moliri. An paſſus fuiſſet Manaſſes, cui ſanguinem Dei cultorum fundere ludus erat, ſibi extorqueri jus Majeſtatis à Sacerdote? An Sacerdos talia vel aggredi auſus fuiſſet, vel exequi? Nec ſanè civilia vel bellica id genus negotia adminiſtrare Sacerdotum erat, ſed Regum. Nec ad captivitatem uſque Babylonicam, Regibus ad clavum Reipubl. ſedentibus, talia à Sacerdotibus unquam occupata leguntur inter Judæos. 2. Adde, nullam Jojakimi Sacerdotis ſummi in catalogo Pontificum mentionem fieri, inde à Salomone uſque ad captivitatem Babylonicam, quod liquet ex illa ſerie Pontificum, quam habemus 1.Paral. 6. Vel itaque catalogus ille qui texitur à verſ.10.ad 16.hiulcus eſt, & aliqua ſui parte truncus, quod abſurdum, vel Jojakim iſte ὑποβολιμαῖος eſt, & nequicquam in ordinem hunc infartus. Adde, nec *Ioſephum* ullibi Pontificis iſtius circa tempora illa meminiſſe in Catalogo Pontificum, quem texit lib.xx.Antiq. cap.8. 3. Immò nullâ veri ſpecie dici poteſt, Manaſſe rerum potiente in Judæa, adeò ignotam fuiſſe gentem Judaicam Babyloniis, vel exteris aliis, prout eam Holopherni fuiſſe, refert Auctor, quum jam ſub Ezechia Manaſsis patre non ita pridem vaſtata eſſet à Senacheribo Aſſyriorum Rege Judæa, & Hieroſolyma ipſa obſeſſa, & ad ſummum diſcrimen redacta. Adde jam tempore Ezechiæ Judæos notiſsimos fuiſſe ipſis Babyloniis, & familiaritatem interceſsiſſe Ezechiæ Manaſsis patri cum Merodach-Baladane Rege Babyloniæ, qui literas

S 2

&c munera misit ad Ezechiam, &c illi valetudinem recuperatam gratulatus fuit, Esa.39.1.

XXIII. Nec dici potest, Historiam illam contigisse *durante captiuitate* Manaſsis propter easdem causas. Quod si enim Manasses Babylonem captivus abductus fuit, quod habetur 2.Paral.33.11. adeoque gens Iudaica Babyloniis obnoxia fuit, cur contra eandem gentem expeditionem molitur Holophernes? Et qui tum ignotus esse poterat populus iste Holopherni, cuius Rex attinebatur carcere Babylone?

XXIV. Nec dici potest, Historiam illam contigisse *post captiuitatem* Manaſsis. Præterquam enim quod eædem rationes opponi possunt, 1. Nihil minus credibile, quam Legatos Nebucadnezaris contumeliosè habitos fuisse à Judæis, quod dicitur c.1.11. qui non ita pridem potentiam Babyloniorum experti fuerant in clade illa & strage, quam gravissimam ab iis passi erant sub Manasse. 2. Pax illa profunda, & diuturna, quæ liberationem illam excepisse, & Iudæis constitisse dicitur toto tempore vitæ Iudithæ, & multis annis ab eius excessu, Iudith. 16.30. cum Historia Iudaica illorum temporum conciliari nequit. Dicitur enim Iudith ætatem protraxisse ad centum & quinque annos, v.28. nec provectæ jam ætatis censeri potuit, quando pulchritudinis suæ fiducia vel lenocinio potiùs Holophernem aggressa fuit. At pauciores longè anni intercesserunt inter tempora ultima Manaſsis, & Josiæ cladem, de qua sermo 2.Paral.35. 20. &c. Abductus enim fuit Manasses Babylonem, circa annum *Periodi Iuliana*, 4 0 4 6. Josias verò cæsus fuit à Nechone Ægyptiorum Rege, circa annum ejusdem *Periodi* 4 1 0 2. Immò si sequamur aliorum Chronologorum opinionem, minus adhuc erit intervallum, quum illa testetur abductum fuisse Manassem Babylonem anno demum XXII. regni sui, adeoque anno *Periodi Iuliana* 4 0 6 1. Et sanè variis & adultis flagitiis Manasses iram Dei in se concitauerat, & per Prophetas varios diu monitus fuerat, antequam objiceretur violentiæ hostium suorum. Nec Regi vel puero, vel nondum maturæ ætatis, necdum roboratâ potestate, licuisset flagitia omnia perpetrare, quæ narrantur ab eo patrata 2.Reg.21. quum puer admodum regni gubernaculis admotus fuerit, & dubio procul ab iis recta fuerit eius adolescentia, qui ab Ezechia pio patre ad id erant delegati, quippe qui puer adhuc regnare cœpit anno ætatis XII. 2.Reg.21. 1. An verò puero vel adolescenti Regi licuisset ita grassari? nec coercitus fuisset iste impetus? Imò ne cadere quidem poterat tam obfirmatus ad quævis flagitia animus in istam ætatem. Adde, 2.Paral.33.6. haberi, Manassem filios suos traduxisse per ignem, quod utique non nisi de secundò-genitis inintelligendum, Amone majore natu dubio procul in spem regni seruato, qui tamen natus demùm circa annum XXXIII. regni Manaſsis, quum viginti duorum annorum esset, quando regnare cœpit, ut habetur 2.Reg.19. Adde, Manassem dici Hierosolyma repleuisse sanguine, 2.Reg.16.21. ex quo patet illum diu admodum ibi grassatum fuisse. 3. Si *post captiuitatem* Manaſsis contigisset illa Historia, quæ narratur in libro Iudith, Manaſsis utique auspiciis bellum gestum fuisset, non Sacerdotis. At nulla prorsus Ma-

prorſus Manaſsis in tota Hiſtoria mentio, nulla Regis ullius, ſed Pontificis duntaxat, qui Hieroſolymis rerum potitur, literas dat ad Iudæos, & belli arcendi modum præſcribit, immò limitem Iſraeliticum perluſtrat, & omnes ad conſtantiam hortatur, adeoque omnia peragit, quæ Regis ſunt, non Pontificis. Nequicquam verò pigmenta quædam à Sophiſtis conquiruntur, ſive à pietate Manaſsis, quod ſacris tantum cogitationibus & occupationibus inde à reſipiſcentia ſua vacarit, ſive à cura Hieroſolyma muniendi, in quam totus incubuerit, ſive ab authoritate Pontificum inter Iudæos, præſertim Pontificis huius, qui ſub reditum Regis continuârit eandem Regni adminiſtrationem, quam ſuſceperat inde à captiuitate Regis. Nec enim Regis magis erat ſacris operari, quàm Pontificis, nec ſive Regem decebat negligere officium ſuum, afflictis populi rebus, ſive Pontificem, invadere alienum, nec Hieroſolymarum muniendarum cura intercedere debuit curæ totius regni, nec totum Regem ita occupare poterat, ut totius regni curam exuere cogeretur. Nec authoritas Pontificum *ante captiuitatem* Babylonicam Politica erat, ſed Eccleſiaſtica duntaxat. Ineptum etiam, fingere, Sacerdotem continuaſſe regni adminiſtrationem, idq; duriſsimis temporibus, Rege pręſente, nec vel ſuum munus, vel ullam regni curam occupante. Et quamvis hoc ei licuiſſet, Rege abſente & captivo, præſente tamen haudquaquam licuiſſet. Argumenta gemina opponi poſſunt illis, qui ſive ad tempora Sedekiæ, cum *Genebrardo*, lib.11. Chronol. ſive ad tempora Ioſiæ cum *Iohanne Benedicto*, *Annot. marginal. ad cap.5.* liberationem illam referunt, quum nec pax illa diuturna populo Dei à regnis illorum Regum conſtiterit, nec Pontificatui Ioiakimi illis temporibus locus eſſe poſsit. Meritò itaque utramque ſententiam iſtam ipſe *Bellarminus* confutat lib.1. De Verbo Dei cap.12. quamvis nihilo felicius narrationem iſtam ad tempora Manaſsis referat, ut demonſtratum. 4. Si ea incidiſſent in primos Manaſsis annos, quæ in Hiſtoria Iudithæ referuntur, & quidem poſt Manaſsis ex captiuitate reſtitutionem, ſequeretur, Manaſſen maturè pœnitentiam egiſſe. At qui fit, quod Spiritus S. multus ſit in deſcribenda Manaſsis impietate, & percenſendis eius ſceleribus, parcus verò admodum in referenda Manaſsis pietate & pœnitentia, ſi inde à captivitate totus in ſtudia pietatis tot annis incubuit, quum in talibus potiùs recenſendis Scriptura occupetur, ubi eorum materia datur & argumentum? Et ſi ita ſe res habet, & captiuitas Manaſsis ejus furorem maturè primis regni annis ſtitit, qui fit, quod pauciſsimorum annorum crimina in catalogum referantur 2.Reg.24. verſ.5. horrendorum illorum peccatorum, quæ πανωλεθρίαν fermè toti genti Judaicæ attulêre? quum tamen plurium longè annorum pœnitentia & pietas Manaſsis iſti impietati interceſſerit, adeoque iram Dei avertere potuerit, ut patet ex Ezech.33.14.15.16. Hinc itaque liquet, nec *poſt captiuitatem* Manaſsis narrationi illi locum eſſe, quamvis illa omnia fingantur contigiſſe primis regni Manaſsis annis.

XXV. Falſum quinetiam, de alia captivitate q̃ Babylonica intelligenda eſſe ea, quæ habentur Iudit.5.21.22. Nam 1. De captiuitate totius gentis

& μετοικεσία eius in terram alienam sermo. 2. De eversione templi. 3. De reditu gentis à dispersione, quę totidem κεφάλαια sunt captiuitatis Babylonicæ. Inania verò sunt quæ obtenduntur Thesi XIX. 1. Iudæos ibi dici exterminatos fuisse à *multis gentibus*, non *ab una*, Babylonicâ nimirum. 2. *Plurimos* ibi abductos fuisse, non *omnes*, ut in captivitate Babylonica. 3. Templum profanatum duntaxat dici, non eversum. Ad 1. *Resp.* Supponi falsum. Nihil enim tale exstat Iudith. 5. v. 22. in textu Græco, sed tantùm ᾐχμαλωτεύθησαν εἰς γῆν οὐκ ἰδίαν. &c. καὶ αἱ πόλεις αὐτῶν ἐκρατήθησαν ὑπὸ τῶν ὑπεναντίων, quod ad Babylonios solos referri potest sine ullo incommodo. Verba itaque, Iudæos fuisse exterminatos à *multis nationibus*, Latini duntaxat Interpretis sunt, non Scriptoris Græci. Ad 2. *Resp.* 1. Per ἄρνησιν. Nec enim *plurium* vel *omnium* fit mentio, sed *indefinitè* dicitur, illos fuisse captivos abductos. 2. Per συγχώρησιν, quamvis *plurimi* abducti dicantur, non *omnes*, nihil tamen id obstat, quò minùs hoc referatur ad captiuitatem Babylonicam, quum nec in ea omnes Iudæi abducti fuerint Babylonem, sed multi agris colendis relicti, sub Gedaliâ, ut patet ex 2. Reg. 25. 22. Ad 3. *Resp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ merâ verborum Achioris, quæ non de prophanatione templi, sed de eius eversione, nec de clade quavis populi, sed de eius μετοικεσίᾳ disertè loquuntur, ᾐχμαλωτεύθησαν εἰς γῆν οὐκ ἰδίαν, καὶ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, &c. Καὶ ἀνέβησαν ἐκ τῆς διασπορᾶς, οὗ διεσπάρησαν ἐκεῖ, καὶ κατέσχον τὴν Ἱερουσαλὴμ, Quid clarius quàm de excidio gentis, & templi, & μετοικεσίᾳ reliquiarum populi, adeoque de clade Babylonicâ Achiorem loqui? 2. Peccatur denuò παρερμηνείᾳ phraseos, εἰς ἔδαφος ἐγενήθη, quasi ea profanatio duntaxat designetur, non subversio. Atqui aliud planè Græcorum filii docent, quibus phrases geminæ, εἰς ἔδαφος καταβάλλειν, vel κατασκάπτειν idem designant quod ἐδαφίζειν, *solo æquare*. Sic *Hesychius* ἐδαφιοῦσι interpretatur κατάξουσιν, ἰσοῦσιν, προσκρούσουσι τῇ γῇ, ἐδαφισθήσεται, εἰς ἔδαφος ἀναιρεθήσεται. Sic LXX. Hebræum שׁוה, vertunt ἐδαφίζειν, & συντελεῖν. Sic שמם illis est, ἐδαφίζειν & ἀφανίζειν & ἐρημοῦν. Adeoq; falsum est, εἰς ἔδαφος fuisse redactum templum sub Regibus prophanis ante excidium Babylonicum.

XXVI. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, ab authoritate Sacræ Scripturæ non esse argumentum ducendum *negativè* semper & promiscuè in omnibus, sed in articulis tantùm fidei, & in iis quæ in toto Dei populo perpetua quadam consuetudine obtinuēre. 2. Per ἄρνησιν, non posse hac ratione festum illud, quod Author libri Iudith institutum in Dei populo dicit, impugnari. Nec enim S. Scriptura ea, quæ totam gentem spectant, & perpetuæ consuetudinis ac perpetui officii, immò tam solennia in ista gente fuere, silentio prætermittit. Immò vix liberatio alia major hac fuit, si fuit, sive *rem* spectemus, sive *modum* rei. Mirum utique foret, Prophetas nunquam impegisse populo tam insigne Dei beneficium, nec festivitatis istius ullam uspiam exstare memoriam. 3. Peccatur *Elencho partium*, in exemplo allato de *festo Encæniorum* ex Ioh. 10. 22. quum illius mentio fiat istic loci in Scripto Canonico, festi verò, de quo sermo in libro Iudith, nullibi locorum in Scriptis Canonicis. Illius quidem institutio Iudæ Assamonæo videtur adscribi à Macchabæorum Scriptore, 1. Mac. 4. 59. Sed satis no-

nobis, praxin haberi in Scripto Canonico. Adde, etiam Encœniorum festum Judæos agnoscere, istud non item.

XXVII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Per ἀντ̓ίρρησιν, Silentium *Iosephi* vel *Philonis*, vel Scriptorum aliorum inter Judæos, non intercedere veritati, quam Scriptores Canonici testantur. 2. Per ἔνστασιν, id argumentum nullius ponderis esse, ubi agitur de Historia mira, quæ totam gentem Judaicam concernit, & admiranda prorsus de ea refert, eam nimirum gravissimum adiisse discrimen, sed singulari Dei beneficio, idque per instrumentum debile, & contemptui obnoxium, miraculosè libertatam fuisse. Hoc verò non tantùm non exstare in Scriptura Canonica, sed ignotum etiam, vel dissimulatum fuisse omnibus Judæorum Scriptoribus, ab omni veri specie alienum est, qui tam prolixi & anxii, adde etiam putidi sunt, in iis percensendis, immò & fingendis quæ ad gentis suæ decus pertinent. 3. Peccatur *Elencho parium* in exemplis. Infanticidium sanè Bethleemiticum, & adventus Magorum dissimulata fuêre, vel ignorata *Iosepho*, quæ uno loco & paucis testibus contigêre. Tale verò dici nequit bellum illud toti genti ab hoste extero illatum, & ab illius capitibus tam miraculosa liberatione depulsum, & anniversaria festi publici solemnitate omnibus impactum. Adde, ea quæ ad Christi natales illustrandos, & ad historiam illius spectant, à verpis per scelus summum fuisse dissimulata, & id eorum in Christum & Christianos odio imputandum esse, hîc verò istius silentii causa nulla. Nec sanè ipsa verba, quæ *Iosephus* de Christo habet, lib. XVIII. Antiq. c. IV. γνήσια videntur, sed ὑποβολιμαῖα & gratis infarta, per eos inter veteres, qui *pias* quasdam *fraudes* quandoque adhiberi posse censebant, cum quibus haudquaquam facimus.

XXVIII. Quamvis verò *Baruchi* librum, comparatum cum Apocryphis aliis, melioris notæ censeamus, tamen in eo etiam stricturæ exstant Spiritûs humani. *Falsa* enim eo contineri sic probatum imus, 1. Baruch fingit, se scripsisse librum suum *in Babylonia*, Baruch 1. 1. quum tamen constet ex Jer. 43. 6. eum ab excidio urbis non Babylonem fuisse traductum, sed abductum in Ægyptum. 2. Baruch profitetur, se librum suum legisse Jechonia & populo toto, imò & potentioribus, filiis Principum, & Senioribus ad lectionem hujus libri audiendam coactis, Bar. 1. 3. 4. quod haudquaquam cum Jechoniæ captivitate, in qua pessimè habebatur, consistere potest, nec ullo modo credibile, Babylonios permissuros fuisse, ingentem multitudinem, & totum populum seditionibus obnoxium, propè Regem suum, dum is carcere attineretur, cogi. Adde, populum istum ad fluenta Babelis dispersum fuisse, nec intra unum tractum à Babyloniis conclusum fuisse, Ps. 137. 1. 3. Dicuntur Judæi pecunias misisse Hierosolymas ad Sacerdotem Jojakimum, & Sacerdotes alios, ut holocausta, oblationes, & munus offerretur ad Altare Dei, quum tamen nec Sacerdotes Domini superessent Hierosolymis, nec altare Domini, subversum quippe, & in cineres redactum à Babyloniis. 4. Balthasar dicitur filius Nabuchodonozoris ℣. 11. 12. quum is fuerit Evilmerodachus, Balthasar verò vel Belsazer nepos tantùm Nebucadnezaris ex filia.

XXIX. *Exc.*1.Distinguenda esse tempora,Baruchum sanè in Ægyptum fuisse traductum cum Jeremia,sed vel ab ipso Ieremia Babylonem Iudæis solandis ablegatum,vel eo exstincto,ultrò profectionem istam ad gentem suam suscepisse. 2. Iechoniam liberiùs habitū fuisse in captivitate,immò in thronum Regium restitutum,2.Reg.25.27.&c. 3. Plerosq; Sacerdotes, non omnes, traductos fuisse Babylonem, à superstitibus verò altare aliud exstructum fuisse Hierosolymis subsidiarium, super quo operarentur sacris,dum instauraretur templum Dei. 4. Nepotem Filium dici,in Scriptura solenne esse; sic Christum vocari filium Heli,h.e.nepotem,Luc.3.23. Immò Dan.5.2. Balthasaris patrem dici Nebucadnetzarem.

XXX. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Per *συγχώρων*, distinguenda sanè esse tempora, sed ibi & tunc, quum Scriptura S. præit, & id *περιστάσεις* aliæ vel exigunt,vel admittunt. Hic verò nihil tale. Immò quum disertè Baruchi traductio in Ægyptum unà cum Jeremia à Scriptore Canonico narretur,nec vel illius ablegatio, vel spontanea profectio commemoretur, gratis prorsus alterutrum affirmatur,quum minima etiam à Jeremia Barucho imperata in scriptis Canonicis consignata fuerint. 2. Per *ἀρνῶν* Baruchum ex Ægypto Babylonem post Ieremiæ obitum profectum fuisse, solandis Iudæis,quum Judæis in Ægypto hærentibus Propheta potius opus fuerit, quàm iis qui detinebantur à Babyloniis, quippe qui Ezechielem, Danielem,Haggæum,Zachariam,Esdram,& insignes alios Dei viros habebant. Adde, Judæos protervos, qui vi secum abduxerant Baruchum, vix hoc ipsi concessuros fuisse. Immò ei rei etiam repugnat meticulosum Baruchi ingenium, quod describitur Jer.45. quo nomine etiam perstringitur ibidem à Deo. Nec credibile,quamvis Baruchus se ex Ægypto post Jeremiæ obitum proripuisset, eum Babylonem potius profecturum fuisse, quàm Hierosolymas,& se in captivitatem ultrò daturum, quum ei sponte sua vivere liceret in terra pátria cum reliquiis populi. Nec id ab eo fine singulari Dei instinctu tentandum erat, qualem hîc intercessisse probari non potest. Id verò ab homine timido ultrò factum fuisse, vix ulli persuaderi poterit. Nec enim captivitas temerè affectanda erat, sed ferenda duntaxat immissa à Deo. Nec hîc Baruch vel legationis suæ à Jeremia,vel instinctus aut mandati divini nomine ullibi se tuetur,quod haudquaquam prætermisisset ad authoritatem sibi inter Judæos, pro more Prophetarum, conciliandam. Quin etiam circumstantia temporis commentum istud parum probabile reddit, quæ habetur Baruch 1.2. Dicitur enim librum istum scripsisse anno quinto ab exustis Hierosolymis, adeoque causa non est, quum paucorum admodum annorum intervallum intercesserit, cur Jeremiæ mortem fingamus,& ultroneam Baruchi ab ejus obitu migrationem ad Babylonios.

XXXI. Ad 2. *Except. Resp.* *Συγχωρητικῶς*, Jechoniam liberiùs habitum fuisse à Babyloniis, immò restitutum in solium Regium ab Evilmerodacho,ut habetur 2.Reg.25.27. 2. *Ἀρνητικῶς*, hanc ipsi liberationem constitisse eo tempore, quo hîc liber *in auribus ejus & totius populi* lectus dicitur. Legitur enim Jechonias restitutus fuisse anno demum trigesimo septimo

captivitatis

captivitatis, 2.Reg.25.27. At Baruch quinto anno ab exustis Hierosolymis librum istum Jechoniæ & toti populo, propè Regem suum coacto legisse fingitur, Baruch 1.2. adeoque eo tempore, quum durius adhuc haberetur Iechonias. Et sanè Sedechias immediatè successit Iechoniæ, ille verò nono regni sui anno Babylonem quoque traductus fuit,& Hierosolyma excisa, 2.Reg. 25. Annus ergo quintus excisæ urbis, quo lectus liber Baruchi, incidit demum in annum XIV. captivitatis Iechoniæ, adeoque in id tempus, quo adhuc carcere attinebatur Iechonias.

XXXII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Gratis dici, Sacerdotes relictos Hierosolymis: atqui fæcem tantùm plebis, vinitores & agricolas Babylonii in Palestina reliquisse dicuntur, 2.Reg.25.12. Sacerdotum verò nulla mentio. Adde, ex verbis quæ vers.7. patere, Ioachimum à Barucho fingi tunc Hierosolymis fuisse, velut summum Sacerdotem, & Sacerdotes complures alios, & ingentem populi multitudinem. 2. Gratis etiam fingitur fabrica novi altaris exstructi Hierosolymis; at id demum factum, postquam Judæi rediissent ex captivitate, Esdr.3.2.3. 3. Immò patet ex Threnis Jeremiæ, templo exusto,& populo Babylonem traducto, cessasse diu Hierosolymis cultum omnem publicum. 4. Adde, ex verbis Baruchi liquere, non de quovis altari sermonem esse, sed de altari Domini, quod unum hoc nomine designari solebat, & ex ipsius mandato exstructum fuerat. 5. Immò ex vers.8. cap.1. Bar. liquet, Baruchum existimasse, templum Hierosolymitanum adhuc integrum esse, quod tamen jam excisum erat, ut patet ex vers.2. Disertè enim verba Baruchi vers.8. innuunt, vasa duntaxat templi à Babyloniis sublata fuisse, pro quorum restitutione, & sacrificiorum oblatione Judæi pecunias mittunt Hierosolymas, haudquaquam de altari, vel templo soliciti. 6. Adde, nullum circa illa tempora fuisse Joachimum summum Sacerdotem, ut liquet ex 1.Paral.6. cujus tamen mentio fit vers.7. qui idem etiam fingitur fuisse Pontifex circa tempora Manassis à Scriptore Apocrypho libri Judith cap.4.5.

XXXIII. Ad 4. *Except. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, sæpe nepotes vocari filios in Scriptura, ut Christus Heli, Luc.3.23. 2. Per ἄρνησιν, hoc loco filii nomen pro nepote poni. Disertè enim Balthasar proponitur tanquam filius, & successor immediatus futurus Nabuchodonozoris, quum tamen Evilmerodachus filius intercesserit inter utrumque, immò & Neriglissarus, vel, ut alii, Neriglossoror, Nabuchodonosori gener, Laborosoardachi vel Balthasaris Pater, ut Filii tutor, à quibus demum ad Balthasarem fuit translatum imperium, cujus nulla ipsi spes esse poterat vivente Nabuchodonosore. At verba Baruchi aperte habent, cap.1. vers.11. Iudæos debere *orare pro vita Nabuchodonosoris Regis Babyloniæ, & pro vita Balthasaris filij ejus.* Et absolutè additur, *ut dies eorum sint sicut dies cœli super terram.* Sic v.12. additur, *& vivemus sub umbra Nabuchodonosoris, Regis Babyloniæ, ac sub umbra Balthasaris ejus filii, & serviemus eis diebus multis.* Posset sanè dici, Balthasarem in spem imperii ab avo adoptatum verbis illis designatum fuisse, si nullus Nabuchodonosori fuisset filius. At quum filium haberet Evilmerodachum, qui patri successit, quæ veri species, Iudæos pro Rege & nepote

Babyloniorum satis æstimari potest. Notum etiam solenne esse Judæis, regna genti suę in Oriente affingere hodieque,& Synagogas suas in tribunalia, scholarum rectores in Satrapas & pædagogica sceptra in regia convertere, ut patet vel ex solo Benjaminis Itinerario, & notis eruditis ad illud Clarissimi Collegæ nostri. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Judæis judicia capitalia, & quidem sine appellatione in reos decernere licuisse: contrarium patet ex ipso textu Ioh.18.31. ubi disertè subjicitur, eos excepisse, *nobis non licet interimere quemquam*, quod gens ista juris sui nimium quantum tenax, haudquaquam dictura fuisset, nisi id in vulgus constitisset. Hæc enim ad circumstantiam festi Paschatis, vel ad mortem crucis tantùm restringere, dilutum est,& à verbis Iudæorum alienum,quæ generica sunt, & absoluta. Pilati itaque verba, vel illusoria sunt, vel judicia minora concernunt, quibus controversiæ circa sacra potissimùm exortæ decidebantur à Iudæis, ad quæ alludit Gallio Proconsul, Act.18.15. Hinc etiam flagris animadverterunt in Apostolos, quod illis licebat, sed in Synagogis suis, quod non sine causa notatur disertè Matth.x.17. Adde, Judæos sub Romanis & Regem habuisse, & in patria suis planè legibus vixisse, Judæos verò Babylone detentos tantâ libertate haudquaquam potitos fuisse.

XXXVII. Ad 2. *Exc.Resp. Peti* τὸ ἐν ἀρχῇ, & divinam istam benedictionem fingi, non probari,quam circumstantiæ omnes fabulosam esse evincunt.Dicitur enim Jojakimus cap.13.fuisse homo *dives admodum*, παράδεισον, hortum amœnissimum habens suis ædibus propinquum. At pręterquam quod Judæi in captivitate exuti erant bonis suis, atterebantur dubio procul oneribus gravissimis à Babyloniis, prout captivitas illa ut dura & acerba passim repræsentatur. At quæ veri species, Jojakimum divitias istas sibi comparasse, ædes & παράδεισον Babylone? quum miseram ibi captivorum fuisse conditionem satis pateat ex Threnorum libro,& Psal. 137. Immò nec divitiæ,nec ædes,& horti,vel instrumenta deliciarum alia piis Judæis conquirenda erant Babylone,sed manus Domini agnoscenda,& tempus visitationis suæ,& periodus liberationis ac reditûs in Palæstinam exspectanda,immò solicitanda continuis à Deo precibus. Jojakimus verò nobis describitur ab Auctore illorum Paralipomenon ut pius, affixus tamen glebæ illi,& Susanna Deum timens,& tamen vacans duntaxat deliciis, deambulationibus, lotioni curiosæ, & quidem in loco patulo,subdio, quæ omnia parùm cohærent.

XXXVIII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Gratis itidem fingi divinam illam inspirationem. 2. Ineptè dici ѵ.45.Deum excitasse Spiritum S. παιδαρίου νεωτέρου, quæ phrasis aliena est à stylo sacro. 3. Peccatur *Elencho parium* in exemplo Salomonis,quippe qui & à Deo in solio regio constitutus erat, & singulari sapientiâ ab eo instructus,quorum utrumque constat ex libro Canonico. 4. Absurdè senes illi finguntur judices fuisse isto anno in populo; nam articulus οἱ πρεσβύτεροι ѵ.8. ἀναφορικὸς est, & v.5. iidem πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ vocantur, & κριταὶ v.41.& tamen,quum tanta illis authoritas esset,ad simplicem Danielis παιδαρίου vocem totus populus non commoveretur tan-

tùm sed etiam ad tribunal regreditur, senibus etiam illis publicis populi judicibus nihil quicquam contradicentibus, & se ultrò puerili privati & ignoti arbitrio committentibus, qui tamen facilè præcipiebant animo meditatum scelus in caput suum exiturum. Adde, modum procedendi ridiculum fingi, interrogatos fuisse senes duntaxat, sub qua arbore Susanna se adulterio polluerit, nec tamen inde se expedire potuisse, quasi id necessariò vel sub arbore fieri debuerit, vel testium fuerit, arboris speciem, subito tali & inopinato sibi objecto spectaculo, anxiè contueri & necessariò designare. Hinc etiam responsum affingitur senibus, quod vervecum est potiùs, quàm hominum qui per ætatem usu rerum, & experientia pollere debebant, & satis nosse, quomodo quæstiones frivolæ id genus in foro vel eludi possent, vel declinari.

XXXIX. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, *paronomasias* quandoque reperiri in Scriptis Canonicis. 2. Per ἄρνησιν, talem hîc Danieli adscribi posse; atqui ista tota Græca est, & τὸ σχίζειν apertè alludit τὴν σχῖνον, τὸ πρίσαι τὴν πρῖνον, nec Hebræa arborum id genus nomina quicquam tale admittunt. Gratis itaque dicitur, allusionem ejusmodi in textu Hebræo fuisse. 3. Κατὰ τὸ ἴδιον, si allusio talis fuisset in textu Hebræo, servanda fuisset vis verborum textûs authentici in tralatione Græca, nec substituenda erant verba alia. Nec enim tantùm licet Interpreti. 4. Adde, verba ista involvere mendacium: vel enim sub arboribus designatis Hebraica aut Chaldaica lingua, dictum fuit, visam fuisse Susannam, vel non: Si priùs, falsum est, dictum fuisse à senibus, illam visam fuisse ὑπὸ σχῖνον, vel ὑπὸ πρῖνον Si posterius in textu Hebræo vel Chaldaico, qui fingitur à multis, mendacium fuit. Nec sanè senes isti ὑπελέγχεσθαι vel mendacii argui poterant, vel calumniæ, nisi servatis & retortis nominibus arborum, quas designaverant ipsi. 5. Exemplum ex Gen. 11. ineptum est, tum quia in eo retinetur significatio verborum Hebræorum, quod hîc non fit, tum quia similia arborum istarum nomina non dantur apud Hebræos, quæ *paronomasiam* illam admittant, adeoque illa tota hîc est in textu Græco tantùm.

XL. Nec verò *Additiones ad Estheram* characterem fabulosum minus habent *Additionibus ad Danielem*. 1. Meræ ibi fabulæ de somnio Mardochæi, cap. 1. de quo altum silentium in Scriptura Canonica. 2. Gemina somnio isti est délira ejus interpretatio, quæ habetur Cap. 6. ubi se cum Dracone confert ipse Mardochæus, æquè ac Hamanem. 3. Sic narratio quæ habetur cap. 5. tota dramatica est. Esther ibi introducitur velut in Scena uni anciliarum (ὡς τρυφερευομένη) innixa, & aliam pone se trahens, quæ syrmæ suæ vestis suspensum ferret: dicitur ibidem fuisse ἐρυθριῶσα ob præstantiam formæ suæ, & Regem furibundo prorsus aspectu eam fuisse intuitum, inde Estheram in deliquium animi prolapsam, Regem totum jam modò efferatum, è vestigio non placidum tantùm redditum, sed & anxium è throno desiliisse, Estheram amplexatum, & verbis istis erectum ivisse, *Ego sum frater tuus*, sceptrumque aureum cervici illius imposuisse. Nec dum tamen Estheram restitutam, sed adhuc præ formidine concidisse. Ista omnia conficta planè esse, & anilia, lectori attento patebit, præ-

fertim

ſertim ſi ea contulerit cum iis, quæ à Canico Scriptore de acceſſu iſto Eſtheræ ad Ahaſuerum referuntur Cap.5. 4. Adde, diplomata illa publica, quæ habentur in Additionibus, cap.2.& 6. nec aliorum, quæ à Perſarum Regibus emanârunt, characterem referre, nec Scriptorem Canonicum priorum capitum poſtremas litteras diſſimulaturum fuiſſe, ſi tales emanaſſent à Rege, quales referuntur Cap.12. Contradictio, quæ ibidem reperitur, reſervatur loco ſuo. 5. Dilutum eſt, Hamanem cogitaſſe tunc temporis de Imperio Perſarum ad Macedonas transferendo, quum Macedonum Domini reguli adhuc eſſent minorum gentium, & regnum Macedonum exiguis finibus circumſcriptum. Contradictiones complures, quæ inter Canonicum & Apocryphum Scriptorem intercedunt, referentur Diſputatione ſequenti. 6. Adde, Capite 11. 1. ineptè mentionem fieri Ptolemæi & Cleopatræ, per ἀναχρονισμὸν intolerandam, quum aliquot ſecula interceſſerint inter tempora Eſtheræ & Cleopatræ, ſive Ahaſuerum Eſtheræ maritum ſtatuamus fuiſſe Xerxem Darii filium, ſive Artaxerxem Longimanum, ſive Artaxerxem Mnemonem etiam.

XLI. *Except.* 1. Somnia multa etiam in Scriptura Canonica referri. 2. Mardochæum tantùm conferri cum Dracone propter luctam cum Hamane, nec hoc magis mirum eſſe, quàm Chriſtum conferri cum fure ſine abſurditate, Matth.24.43.44. 3. In narratione quæ exſtat, Eſth.cap.5. in *genere* referri, quæ hîc referuntur in ſpecie, & κατὰ μέρος. Nec quicquam ibi referri, quod non contingere potuerit circa Eſtheram. 4. Diplomata illa optimè convenire cum iis quæ referuntur in Scripto Canonico, ubi diſertè literarum illarum Regiarum mentio fit. 5. Quamvis regnum Macedonicum tunc adhuc debile fuerit, necdum cum ſplendore conjunctum, id tamen non obſtare potuiſſe, quominus homo Macedo de augmento decoris gentis ſuæ cogitaret, regnum Perſicum ſibi vindicando. Immò quia regnum Macedonicum adhuc debile fuerit, & obſcurum, eo ipſo Hamanis ambitioni occaſionem præbitam tale quid in gentis ſuæ gratiam moliendi. Nec hanc Hamanis molitionem affirmari à Scriptore Additionum Eſtheræ, ſed tantùm recitari litteras Ahaſueri, quæ de ea agant. Quamvis itaque iſta ipſa molitio falſa foret, eam nihil derogaturam authoritati horum Capitum, non magis quàm profanorum vel paganorum dicta aut facta alia.

XLII. Sed & iſta omnia levia ſunt, & ſua ſponte cadunt. Ad 1. *Except. Reſp.* 1. Per συγχώρησιν, ſomnia multa referri in Scriptura Canonica. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, quia ſomnia multa in Scriptura Canonica referuntur, ſi hoc verè oblatum fuiſſet Mardochæo, & ἀνάλογόν τι illud quoque à Scriptore Canonico expreſſum fuiſſet. 3. Peccatur *Elencho non cauſa.* Cauſa rejecti hujus ſomnii non eſt, quod nullum ſomnium referatur in Scriptura Canonica, ſed quod ſomnium iſtud in ea non referatur.

XLIII. Ad 2. *Except. Reſp.* 1. Comparationem illam Mardochæi cum Dracone abſurdam meritò cenſeri, quia in malam partem perpetuò ſumitur in Scriptura Canonica comparatio ſumpta à Draconibus. 2. Peccatur

falsa hypothesi, Christum conferri cum fure. Argumentum enim haudquaquam ducitur Matth. 24. 43. 44. à *comparatione parium*, sed à *comparatione imparium* potius, hoc sensu: Si paterfamilias diligenter horam illam attenderet, quâ posset prævertere exiguo incommodo sibi à furis irruptione ingruenti: utique vobis magis attendenda est hora illa, quâ & maximo incommodo liberari, & maximum bonum vobis polliceri potestis sub adventum filii hominis.

XLIV. Ad 3. *Except. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. ea hîc referri circa Estheræ accessum ad Ahasuerum in *specie*, quæ in libro Canonico referuntur in *genere*. Immò non alia tantùm omnia, sed & contraria referri liquebit ex Disputat. sequenti. 2. Nihil absurdius, quàm schema illud affectatum Estheræ, facta & verba Ahasueri, se *fratrem* ejus profitentis, & alia id genus, aliena planè à Majestate & severitate illâ publicâ Regum istorum. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἐνδεχόμενον, talia contingere potuisse circa Estheram; Ergo contigisse. Immò non contigêre, quia contigêre alia, ut patet ex Scriptore Canonico.

XLV. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari itidem *paralogismo* παρὰ τὸ ἐνδεχόμενον, diplomata illa convenire cum iis quæ referuntur à Scriptore Canonico: Ergo Canonica esse, multa enim conveniunt cum Canonicis, quæ tamen Canonica non sunt. 2. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, falsum enim, diploma posterius convenire cum Scripto Canonico. Contrarium demonstrabitur Disput. sequenti.

XLVI. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Supponi semper, non probari, Hamanem conatum esse ad se transferre Imperium Persarum, quod homo peregrinus ne sperare quidem poterat, in aliena & potentissima gente, nedum audere, & cui id unum curæ erat, ut patet ex scripto Canonico, ut ad gratiam Regis sui ambiret, & illum occuparet. 2. Adde, ne dici quidem Hamanem ad se voluisse transferre Imperium, sed ad Macedonas, φησὶ, inquit Scriptor Apocryphus, λαβὼν ἡμᾶς ἐρήμους τὴν τῶν Περσῶν ἐπικράτησιν εἰς τοὺς Μακεδόνας μεταθεῖναι. Non magis verò Macedone aliquo ad imperium evecto dici potest translatum esse imperium ad Macedonas, quàm *Maximino* in Imperium Romanum intruso id translatum fuisse ad Thracas, vel *Severo* electo ad Afros. 3. Absurdum semper, & nodus manet, qui Haman moliri potuerit translationem Imperii ad Macedonas, vivo Ahasuero, quum Ahasuerus iste, qui Xerxes Chronologis accuratis fuisse videtur, occubuerit anno *Periodi Iulianæ* 4249. Olymp. LXXVIII. anno quarto; Philippus verò Macedonum Rex, Alexandri Magni pater, sub quo demum Macedonum regnum se erigere & formidabile esse cœpit, imperare cœperit Anno *Periodi Iulianæ* 4352. Olymp. CIV. Anno tertio, hoc est, centum & tribus post annis. Quamvis verò referatur duntaxat molitio ista Hamanis ad Ahasuerum hoc literis suis inserentem, eo ipso tamen τεκμηρίως convincitur & Epistola illa, & ejus Scriptor, quippe qui Ahasuero ea per insignem ἀναχρονισμὸν affingit, quæ ad tempora illius referri non possunt, & ei ne in mentem quidem venire potuêre. Ahasuerum enim illum non posse esse Artaxerxem Ochum fatentur *Salianus* & *Petavius* & Chronologi

nologi celebres alii inter Pontificios, contenduntque potius fuisse Artaxerxem illum qui μακρόχειρ, sive Longimanus dictus fuit, quamvis Xerxes potius fuerit Longimani pater, cujus ætate *res inopes* adhuc habebant Macedones.

XLVII. Si verò ullus inter Apocryphos liber ποθοῦσαν suæ κενώσεως in se habet evidentia, is est uterque Macchabæorum liber *secundus* vel in primis. *Falsitates* aliquot hîc tangemus, *contradictionibus*, quæ quamplurimæ in utroque libro deprehenduntur, reservatis suo loco. Falsum 1. Alexandrum Magnum regnum suum divisisse inter Ministros qui cum ipso fuerant educati, quod tamen habetur, 1. Macchab. 1. 6. 7. 2. Romanos tempore Judæ Macchabæi singulis annis uni soli commisisse potestatem, ut omnes uni obedirent. 3. Senatum Romanum constitisse ex cccxx. viris. 4. Romanos Antiochum Magnum vivum in potestatem suam redigisse. 5. Indorum regionem Antiocho ereptam cum aliis regnis, datam à Romanis Eumeni, quibus tamen nunquam illa obnoxia fuit, 1. Macchab. 8. 8. 6. Epistolam à Juda scriptam fuisse Anno CLXXXVIII. quum tamen jam exstinctus fuisset anno CLII. adeoque XXXVI. annis post obitum. Confer caput IX. lib. I. & Caput I. libri secundi. 7. Iudæos abductos fuisse in Persidem 2. Macchab. 1. 19. 8. Adde, fabulam de occultatione arcæ, tabernaculi & altaris à Ieremia, 1. Macch. 2. quum tamen Ieremias multos annos ante excidium urbis delituerit in carcere, & ista omnia in potestate Sacerdotum, infensissimorum Ieremiæ hostium, fuerint. Nec etiam urbe expugnata quicquam tale licere poterat Jeremiæ inter Babylonios, qui adeo prædæ inhiabant, ut minima quæque etiam convasarint & asportarint, quæ flammis subduci poterant. An verò credibile, lebetes & æramenta alia id genus à Chaldæis cum cura absportata, arcam verò auro obductam undiquaque & opertam ut & altare incensi, & alia id genus neglectui habita fuisse ab iis? Adde, minima etiam commemorari, quæ circa vasa & instrumenta templi contigêre, mirum verò foret Scripturam ne verbo quidem tangere, quid iis, quæ pretiosissima erant templi ornamenta, actum fuerit, nî illa flammis hausta fuissent. Et sanè si textum sacrum accuratè expendamus, patescet reliqua omnia flammis absumpta fuisse, præter ea, quæ Chaldæis cesserunt in prædam. Nec opus fuisset novi altaris fabrica, siquidem vetus fuisset ad manus. Immò sic non periisset arca, tam insigne templi primi decus quod tamen cum aliis id genus secundo templo defuisse fatentur Hebræorum filii. 9. Auctor primi Macchabæorum falsò asserit Cap. 12. 1. Spartiatarum Regem litteris ad Oniam summum Sacerdotem scriptis testatum esse, *repertum esse in monumentis Scriptorum de Spartiatis & Iudæis, eos esse fratres, ex genere Abrahæ oriundos*, quæ gratis consicta, & aliena ab Historiarum sacrarum & profanarum fide. 2. Refert Auctor idem, non tantùm Spartiatas hoc sibi adscripsisse, verùm etiam Iudæos id admisisse, & Ionathanem summum Pontificem, Senatum gentis, Sacerdotes, & reliquum populum Judæorum Spartanos pro fratribus agnovisse, & cum illis fraternitatem (quæ tamen nunquam ante contracta fuerat, renovare voluisse) & Iudæos omni tempore

in diebus festis, in sacrificiis & precibus suis Spartanorum ut fratrum, prout par fuerit, meminisse. Quæ omnia gratis conficta ab horum librorum consarcinatore. Nec enim ignotus Iudæorum fastus, & gentilium contemptus, & gloriatio, se solos Abrahæ posteros esse. Nec vel amicitia antehac inter Iudæos & Spartanos, minus fraternitas, coaluit nec Iudæorum erat gentilium meminisse in Sacrificiis & precibus suis, quippe quos istis temporibus, & diu post adhuc, à Dei fœdere, & omni spe gratię exclusos censebant, & eo ipso gloriabantur: An ergo illi meminissent Spartanorum in sacrificiis & precibus suis? & cui bono id fecissent? Fabulosa multa alia in hanc rem congeri possent, sed ista sufficiant, præsertim quum demonstrandum sit in sequentibus, *contradictoria* etiam & *impia* ac *superstitiosa* iisdem libris contineri. Meritò ergo secundi libri Scriptor singulari sibi deprecatione utendum censuit, in somniis istis Ecclesiæ obtrudendis, 2. Macc. 15. 39.

XLVIII. *Exc.* 1. *Alexandrum* divisisse regnum, h. e. diuidendum reliquisse *Qu. Curtium* etiam testari lib. x. quosdam credidisse, testamento Alexandri distributas esse Provincias. Addi etiam posse, Alexandrum in Perdiccam contulisse auctoritatem suam, tradito ei annulo suo: quia itaque à Perdicca regna divisa fuerint, *Iustino* teste, id ipsum quodammodo ab Alexandro ipso factum censeri, quippe qui annulum suum Perdiccæ tradendo declarârit, quod à Perdicca fieret, hoc suâ auctoritate factum haberi oportere. Et huc applicari posse regulam *Iurisconsultorum*, quod quis per alium facit, id ipse facere censendus est. 2. Consules alternis diebus Romæ imperasse, ita ut uni commissa videretur Respubl. Vel vnū in Vrbe omnia administrasse, alterum bella foris cum summo imperio gessisse, adeoque urbana ab uno, externa etiam ab uno suspensa fuisse. Vel Auctorem loqui de Dictatoribus, sub quorum imperio summa potestas omnium rerum erat penes unum. 3. Constare ex Historicis Romanis, Senatorum numerum inde à Tarquinii Prisci temporibus extensum fuisse ad ccc. usque, quibuscum putati fortè fuerint alii quidam inferioris ordinis homines, in dignitate tamen publica constituti. Numerum etiam Senatorum postmodum in majus auctum fuisse, ut sexcenti essent. 4. Antiochum vivum captum dici à Romanis, h. e. regno pulsum, cæsum, & Romanis obnoxium redditum. 5. Quamvis Scriptores profani non meminerint, Indorum regionem Antiocho ereptam, & Eumeni traditam, ab authoritate tamen humana *negativè* argumentum non procedere. Aliàs pleraque ex Historia sacra expungenda esse. Indorum etiam nomen impropriè pro regionibus vicinis sumi posse. Ista omnia etiam ab Auctore primi Maccabæorum referri, 1. Macc. 8. non ut vera, sed ut nuntiata Judæ. 6. Vel alium Judam fuisse Scriptorem istius Epistolæ, Judam nimirum Simonis filium, qui commemoratur 1. Macc. 16. 2. vel Judam alium Hircani filium, de quo loquitur Josephus lib. xx. Antiq. cap. 18. Vel supputationem annorum ad præcedentem populi, non ad sequentem Judæ Epistolam pertinere, quum numerus annorum subscribatur potius Epistolis quàm præscribatur: vel saltem annos ab Auctore

libri

libri primi putari ab initio regni Græcorum sub Seleuco: ab Auctore verò libri secundi computari à duodecimo anno Ahasueri, annum verò duodecimum Ahasueri antecessisse initium regni Græcorum annis circiter 34. Diversos enim utriusque libri Auctores esse, adeoque mirum non esse, diversam dari in utroque supputationem. 7. Persarum, ut & Persidis nomen latiùs sumi ab hoc Auctore, pro locis obnoxiis Persarum imperio, eo quod latè terrarum imperitarint Persæ. 8. Id Ieremiæ tribui, quod ejus instinctu & authoritate factum fuit. Nec arcam etiam, vel altare legi delata Babylonem, adeoque dubio procul occultata fuisse. Quamvis verò instrumenta illa visa non fuerint in secunda domo, eò quod gloria ejus aliundè arcessenda esset; vel arcam *mysticè* sumi posse pro Christo, vel statuendum, ea omnia exhibenda aliquando esse tempore novissimo, ante decretorium diem, quando reliquiæ Israelis servabuntur, Rom. 9. 27. Immò arcam dici *in hunc usque diem* fuisse, 2. Paral. 5. 9. quum tamen Auctor libri istius etiam referat, quæ post captivitatem Babylonicam contigêre, 2. Paral. 34. 9. Auctorem referre, non præstare scripta, sive à Spartanis, sive à Iudæis, prout & alia multa à Scriptoribus Canonicis referantur, sed ex aliorum relatu, quæ tamen falsa, v.g. ea quæ narrantur ab incolis Gibhonis, Jos. 9. & alia id genus. Josephum quin etiam meminisse literarum illarum, lib. XII. Antiq. cap. V. Spartanos etiam ex Abrahamo vel per Ismaëlem, vel per filios Cethuræ descendisse.

XLIX. At verò ejuscemodi exceptionibus niti, est sibi ipsi manum adire. Scilicet *ubi magna mala superest audacia causa, creditur à multis fiducia.* Ad 1. *Except. Resp.* 1. Glossema pugnare cum textu; aliud enim est, dividere, aliud, dividendum relinquere. Immò unum contradistinguitur alteri, & unius positio est negatio alterius, & contra. Qui enim ipse dividit aliquid, non relinquit id dividendum aliis, & contra. Eo ipso itaque κτ' ῥητὸν v. perperam dicit auctor, Alexandrum divisisse, quod dividendum tantùm reliquit. 2. Peccatur *Elencho Divisionis* allegatione verborum *Curtii*: fatetur ille quidem, *credidisse quosdam testamento Alexandri distributas esse provincias*: addit verò, *sed famam ejus rei (quanquam ab auctoribus tradita est) vanam fuisse comperimus.* Quod *Curtii* judicium confirmant Scriptores omnes probæ notæ. Adde, ex oratione Perdiccæ post obitum Alexandri habita liquere, nihil de successore uno vel pluribus ab Alexandro statutum fuisse. *Capite opus est*, inquit apud *Curtium* Perdiccas libro decimo; *Hoc uno, an pluribus, in vestra potestate est.* Addit, *Sextus mensis est, ex quo Roxane prægnans est, Optamus ut marem enitatur, cujus regnum Diis approbantibus futurum quando adoleverit, interim à quibus regi velitis, destinate.* Idem patet ex verbis à Nearcho ibidem subjectis, filio Regis è Barsine diadema dandum. Adde diversa planè Ptolemæi & Aristoni & aliorum suffragia, & seditiones ac turbas super successore excitatas. 3. Peccatur denuo *fallacia divisionis*, dividuntur enim componenda. Nec enim tantùm Alexander divisisse dicitur regnum suum *admini[illegible] su[illegible] gloriosis*, qui unà cum ipso fuerant educati à pueritia, sed præmi[illegible] eti[illegible], eum ob id ipsum eos accersivisse, quum agnosceret fatalem h[illegible] sibi instare. Subjungitur etiam, divisionem illam factam ab

Alexandro, *quum adhuc viveret.* Quî verò hoc conciliari poteſt cum exceptione, quæ id demum, Alexandro rebus humanis exempto, factum dicit à perdicca? Quum Scriptor primi libri Maccabæorum notet diſertè, hoc factum *immediatè* ab Alexandro, non *mediatè* per alium, & quidem accerſitis ad id adminiſtris ab Alexandro in morbum conjecto, idque *ante finem vitæ*. Verba ſunt aperta v.6.7. Καὶ μετὰ ταῦτα ἔπεσεν ἐπὶ τὴν κοίτην, καὶ ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει. Καὶ ἐκάλεσε τοὺς παῖδας αὐτοῦ τοὺς ἐνδόξους, τοὺς συντρόφους αὐτῷ ἀπὸ νεότητος, καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Subjicitur verò demùm verſ.8. Alexandrum mortuum fuiſſe.

L. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Gratis dici Coſſ. alternis diebus imperare ſolitos fuiſſe Romæ, quod falſum eſſe, ex Hiſtoricis patet. 2. Immò tantùm abeſt, ut id uſu receptum fuerit inter Romanos, ut Author ſit *Livius* lib.11. ideo duos Coſſ. creatos, ut alterius auxilium & provocatio eſſet, alterutro ex Coſſ. poteſtate ſua abutente, & quod eo modo minimè putarent poſſe per licentiam inſoleſcere animum humanum, ut habet *Saluſtius*. Sic etiam diviſa poteſtate futurum cenſebant, ut alter Coſſ. alterum revereretur, & revocaret ad officium, & æmulatio ad virtutem magis in utriuſque animo accenderetur, ut notat *Dionyſ. Halicarnaſſæus.* & Scriptores alii *Inſt.* Videri tamen imperium illud alternis diebus exercitum fuiſſe ab uno Coſſ. Ex pugna enim Canenſi conſtare, temeritate unius Coſſ. penes quem illa die erat imperium, legiones Romanas cæſas, & totum fermè imperium in extremum diſcrimen fuiſſe adductum. *Reſp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὴν ἄγνοιαν, & ἑτεροζήτησιν Aliud enim eſt, loqui de imperio in totam Rempub. aliud, de imperio in exercitum ſingularem, illi non unus, iſti unus ſæpe imperabat. Auctor verò libri Maccabæorum de imperio in totam Rempublicam loquitur: dicit enim diſertè, 1.Macch.8.16. eos imperium in ſe committere *uni homini*, qui *univerſæ* ipſorum *terræ dominetur, & cui omnes dicto ſint audientes.* 2. Supponitur denuò falſum; nec enim Scriptor Maccabæus alternis diebus imperium mutatum dicit, ſed κατ' ἐνιαυτὸν *quotannis*. 3. Adde imperium iſtud alternis diebus adminiſtratum circa pugnam Cannenſem extraordinarium quid fuiſſe, non ordinarium. Hinc extortum *Paulo Aemylio* collegæ à *Terentio Varrone* fuiſſe τὸ παρ' ἡμέραν ἄρχειν notat *Plutarchus* in vita Fabii Maximi adeoque id ne in exercitu quidem uſu receptum erat. III. *Exceptio* (illa omnia ab uno ſuſpenſa dici, quia Coſſ. unus urbana omnia, alter externa in bello curarit) vana eſt, tum quia ne ſic quidem ab uno omnia ſuſpenſa fuêre; ſed à duobus, tum quia repugnāt verba 1.Macc.8.16. Πιστεύουσιν ἑνὶ ἀνθρώπῳ ἄρχειν αὐτῶν κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ κυριεύειν πάσης τῆς γῆς αὐτῶν, καὶ πάντες ἀκούουσι τοῦ ἑνὸς, quæ & ordinarium & abſolutum unius imperium in omnes ditioni Romanæ ſubjectos deſignant. IV. *Exceptio* de Dictatoribus etiam futilis eſt, tum quia Dictatura poteſtas erat ſemeſtri ſpatio definita, non annuo, ut hic Author habet, tum quia Magiſtratus ille ordinarius non erat, ſed extraordinarius, ſive bello gerendo, ſive ſedandæ ſeditioni, adeoque afflictis alicubi Imperii Romani rebus erigendis, tum quia nullus temporibus Iudæ Maccabæi Dictator erat Romæ. Sylla enim, *Velleio Paterculo* teſte, Dictator creatus eſt, poſtquam iſtius honoris.

honoris usurpatio per annos cxx. intermissa fuisset, quod factum anno *Periodi Iul.* 4632. V.C. 671. Judas verò Macchabæus occubuit anno *Period. Iul.* 4552. V.C. 591. & sex duntaxat annis imperavit.

LI. Ad 3. *Except. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, Senatorum numerum inter Romanos, qui centum primò erant à *Romulo* lecti, post ad ducentos excrevisse, tandem, ut auctor est Dionys. Halicarnassæus, ad 300. usque fuisse extensum à *Tarquinio Prisco*. Eo ipso verò mendacium Scriptoris istius patet, asserentis Senatores fuisse 320. & retorquetur argumentum τῷ ἀντιβίαν. 2. Gratis dicitur, inferioris ordinis homines cum reliquis fuisse computatos. Auctor enim libri Maccabæorum istos 320. idem ἀξίωμα omnes habuisse, & eadem munia exercuisse notat, 1. Macc. 8. 15. Καὶ ἡμέραν ἐβουλεύοντο τριακόσιοι εἴκοσι, βουλευόμενοι διὰ παντὸς. 3. Conceditur etiam, numerum Judicum auctum fuisse, & equites totidem trecentis Senatoribus additos fuisse, sed id post obitum demum Judæ Macchabæi factum, temporibus *Caii Gracchi*, qui Tribunus plebis creatus legem istam scivit, ut refert *Plutarchus* in vita Tiberii & Caii Gracchorum. Τριακοσίων ὄντων τῶν βουλευτῶν ... τριακοσίους, καὶ ... τῶν ἱππέων ... Quod factum anno *Periodi Iul.* 4591. V.C. 630. At Judas Maccabæus obiit anno *Periodi Iul.* 4552. anno V.C. 591. adeoque tempore Judæ Maccabæi nondum auctus erat numerus ille. Et quamvis post fuerit auctus, ingens tamen discrimen inter Senatores DC. & CCCXX. Priorem numerum docet Historia Romana; posteriorem verò non docet. Adde, Scriptorem Maccabæum de ista consuetudine, ut veteri & consueta, non verò ut noviter introducta, loqui.

LII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Glossema illud ineptum esse. Aliud enim est, vivum capi, aliud regno pelli, vel obnoxium fieri alicui. Prius verò disertè habetur 1. Macc. 8. 7. Καὶ ἔλαβον αὐτὸν ζῶντα. Præcessit verò mentio v. 6. de Antiocho Magno, ejusque in Romanos expeditione. 2. Adde, distinctè primò cladem Antiochi narrari, & postmodum demum captivitatem. Καὶ συνετρίβη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἔλαβον αὐτὸν ζῶντα v. 6. & 7.

LIII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Ἀντιρρητικῶς, ab authoritate humana *negativè* argumentum duci nunquam posse, ubi agitur de historia celebri, quam Scriptores multi graves & diligentes exequuti fuerint. Inde enim concludi potest, quum hoc vel illud indictum fuerit Scriptoribus omnibus, qui argumentum aliquod tractandum suscepere, id fictitium esse & nothum, qualis est narratio de Indis Antiocho ereptis, & Eumeni subjectis à Romanis. Neque enim tale quid prætermissum fuisset vel à *Livio*, vel ab *Appiano*, vel ab aliis id genus Scriptoribus. 2. Συγχωρητικῶς, demus, à silentio aliorum Scriptorum argumentum non esse ducendum, qui India Antiocho erepta à Romanis Eumeni tradi potuit, quum illa nunquam paruerit Antiocho? & qui illi eripi potuit, quod nunquam habuit? Immò ne Romanis quidem ullum in Indos imperium fuit, ne sub illis etiam Imperatoribus, qui latissimè fines Imperii sui extenderunt, & Euphrates ubique fermè terminus Romani Imperii figitur. Indorum etiam nomen impropriè hic sumi pro regionib. aliis supponitur, nō probatur, immò cō-

distinguitur regionibus aliis, adeoque propriè sumitur. Ista verò omnia referri, ut vera, ex eo patet, quia referuntur ut fundamentum & causa, cur Judas Legatos Romam miserit, & Romanorum amicitiam ac societatem sibi conciliare studuerit.

LIV. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, multimodis. Nam 1. Gratis dicitur, alius Judæ nomen isti Epistolæ præscribi. Contrarium patet ex συντάξει, & lectione ipsius Epistolæ, quæ exstat 2. Macch. 1. ubi conjungitur cum τῇ γερουσίᾳ, adeoque velut Dux aut Princeps inter Judæos notatur. Nullus verò Iudas in dignatione fuit inter Judæos isto tempore, præter Judam illum Assamonæum. Nec enim Judas Simonis filius intelligi potest, cum literæ illæ scriptæ fuerint anno 188. Seleuci, qui concurrit cum anno *Period. Iul.* 4589. At isto tempore, Simone jam exstincto, regno potiebatur *Iohannes Hyrcanus*, qui principatum gerere cœpit inde ab anno 178. Seleuci *Period. Iul.* 4579. cujus utique nomen potius literis illis præscribendum fuisset, quàm Judæ hominis privati. Minùs intelligi potest Judas Hyrcani filius, Simonis nepos, longè adhuc posterior, de quo loquitur *Iosephus* loco citato, quippe qui demum imperare cœpit anno 209. Selecui, *Period. Iul.* 4610. & Aristobulus etiam dictus fuit, ut notat ibidem *Iosephus*. 2. Gratis etiam dicitur, illam supputationem pertinere ad finem Epistolæ præcedentis, nec opus alio argumento isti opinioni confutandæ, præterquam observatione distinctionum, & inspectione textûs. Nec insolens, præfigi designationem temporis literis. Vide exemplum 2. Macc. 1. 7. 3. Gratis ibidem additur, supputationem istic loci institui Hebræo more ab Ahasuero, cum ubique alibi in libris istis anni putentur à Seleucho, more Græco. Cujus æræ Seleucidarum vel Dilkarnaim initium figitur Anno *Period. Iul.* 4402. à regno Seleuci Nicanoris, Syriæ & Babyloniæ regis, & tantùm abest, ut diversa Æra ab utriusque libri Scriptoribus adhibita fuerit, ut Chronologi plerique eruditi eandem utrobique observatam notent, & *Petavius* ipse unum tantùm discrimen agnoscat, Epocham nimirum libri primi sex mensibus tantùm alteram libri posterioris antevertere, Lib. x. de Doctr. Tempor. cap. XLIII. quia anni libro priori à Nisan inchoantur, in posteriori à Tisri, amborum tamen initium esse ab anno *Period. Iulianæ* 4402. quo Seleucus Babylonicum regnum obtinuit. Adde, nec istam supputationem ab Ahasuero commento isti favere, vel nodum suprà nexum solvere, quod demonstratum ab eruditis.

LV. Ad 7. *Except. Respnod.* 1. Ἀρνητικῶς; Καθεκτικὸν enim, & insolens planè Persidis nomine designari regiones omnes, quibus imperarint aliquando Persæ. Sic sanè Judæa vocanda fuisset Babylonia, & Persis Græcia, quia illa à Babyloniis, ista à Græcis subacta fuit. Nec nomenclatio ista ulli authori probata unquam fuit. 2. Συγχωρητικῶς; demus, Persidis nomen obtigisse regionibus, quæ paruêre sceptro Persico, quid hoc ad Babylonem, quæ tunc nondum paruit Persis, quum Judæi Babylonem abducti fuêre, sed postmodum demum, Babylonica Monarchia in Persicam conversa.

LVI.

LVI. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, hoc ipsum factum fuisse Jeremiæ authoritate & instinctu, quod est inter τὰ κρινόμενα. Dubium itaque probatur per æquè dubium. 2. Ponamus per συγχώρησιν, hoc factum esse Jeremiæ authoritate vel instinctu, nec sic tamen à falsi crimine liberabitur Maccabæus Scriptor, quippe qui id non Ieremiæ instinctu ab aliis, vel à Ieremia per alios, sed a Jeremia ipso *immediatè* factum refert 2.Macc.2.4.5. Dicit enim Ieremiam egressum fuisse in montem, & progressum reperisse antrum, & in id intulisse tabernaculum, arcam, & altare suffitus, & obstruxisse ostium. 3. Peccatur *Elencho non causæ.* Quamvis enim arca vel altare Babylonem delata non legantur, causa tamen ejus rei non est, quod à Ieremia illa fuerint abscondita sed quia exusta fuêre, unà cum ipso templo, & flammis incinerata, prout & supellex pretiosa alia, quæ non commemoratur cessisse in prædam Babyloniis, flammis in prædam cessit. 4. Gratis planè dicitur, instrumenta ista aliquando exhibenda esse tempore novissimo. Quo Authore verò, quibus tabulis id probatur? cui bono etiam ista exhibitio? An *Symbolo* præsentiæ Domini ibi opus erit, ubi deducemur in *visionem intuitivam*? Et quid opus erit *altari* in decretorio illo die, ubi Dominus ipse altare nostrum se totum nobis indulgebit, & nos consummato Sacrificii sui fructu beabit? 5. Immò an non sic Iudæi in superstitione sua obfirmantur, futurum, ut ante ultimum diem cultus ceremonialis, qui in tabernaculo, ad arcam & ad altare exercebatur: postliminiò restituatur, si instrumenta illa restituenda sint? 6. Sin per arcam *mysticè* intelligendus sit Christus, cui bono *symbolicæ* arcæ & aliorum id genus occultatio? cum sub œconomia Messiæ, & post vocationem gentium nulla sit futura mentio arcæ, usus nullus, Ierem.3.16. Nec locus 2.Par.5.9. commento illi patrocinatur. 1. Quia phrasis, *in hunc usque diem* aliquid exstare, restrictè sumenda de tempore, quo hoc vel illud scriptum fuit. 2. Quia supponitur vel libros Paralipomenωn ab uno Scriptore, quoad omnia capita vel eodem tempore integros scriptos fuisse. Nec sequitur magis, quia quædam quæ post captivitatem contigêre isto libro describuntur, omnia post captivitatem scripta fuisse, quàm omnia post mortem Mosis vel Samuelis scripta fuisse, quia Deut.34. à v.5. recensentur ea, quæ non nisi post mortem Mosis scribi potuêre, prout & à cap.25. libri 1.Sam. ea sub Samuelis nomine referuntur, quæ post mortem ejus demum contigêre. 3. Quia certum, nec in Esdra, nec in Nehemia, nec in Prophetis illis, qui scripsêre post captivitatem Babylonicam, ullam mentionem fieri arcæ velut tunc exstantis. Immò Esdr.3,12. minora longè de vasis ac ornamentis templi restitutis commemorantur, nihil verò de arca. Hinc planctus Judæorum conferentium domum secundam cum prima, Esdr.3.12. quæ velut nihil videbatur collata cum priori Agg.2.3. 4. Quin ipsi Judæorum Magistri unanimiter fatentur, secundæ domui defuisse arcam Urim & Thummim, שכינה. Spiritum propheticum, & ignem cœlitus demissum ad comburenda sacrificia.

LVII. Ad 9. *Except Respond.* Supponi τὸ ἐν ἀρχῇ, tale quid vel à Spartanis, vel à Judæis scriptum fuisse, quippe quod alienum planè ab utro-

rumque consuetudine, stylo & fastu. 2. *Contradictionem poni in adjecto*, Judæos istos pios fuisse, & cultûs Dei patronos, & vindices, & tamen eos gentem tunc Deo adhuc exosam, temporibus iræ, & pariete intergerino adhuc erecto, pro fratribus habuisse, & ejus meminisse in precibus & Sacrificiis suis. Nec si tales fuissent, subscripsissent mendacio isti de origine Spartanorum ab Abrahamo, quod tamen faciunt. 3. Peccatur *Elencho parium* in exemplo allato ex Ios. 9. quum istius narrationis falsitas in ipso textu ostendatur, hujus non item. 4. *Iosephus* litteras quidem refert Spartanorum & Iudæorum illos verò ab Abrahamo oriundos fuisse, non refert, nec ea omnia præstat, quæ refert. 5. Originem istam conjectura nisi mera, non probatis auctoribus, satis collegi potest.

LVIII. *Sapientiæ* quoq; librum, ut ut magis castigatum, scorias tamen auro suo permistas habere, & *falsi* argui posse, demonstrari potest. Author Scripti istius se Salomonem fingit Cap. 9. 8. cui Deus templi sibi ædificandi curam commiserit: *Tu me elegisti Regem populi tui, & Iudicem filiorum tuorum ac filiarum. Iussisti ædificare templum in monte sancto tuo, & in urbe habitationis tuæ altare, instar tabernaculi sancti, quod præparasti ab initio.* At ille ipse Scriptor parum sui memor, schema suum non tuetur, sed ea prosequitur, quæ arguunt, illum Salomone aliquot seculis ad minimum recentiorem esse. Præterquam enim quod se Græculum potius esse, quàm Hebræum docet, eorum meminit, quæ longè post tempora Salomonis demum inter Græcos in usu esse cœpêre. Nec sanè ulli nisi cucurbitæ persuaderi poterit, Salomonem meminisse ἆθλα ἀγῶνος, & στεφάνων μισθ., cujus obitus incidit in annum *Periodi Iulianæ* 3733. quum ludorum istorum, & Hieronicarum pompa demum instituta fuerit circa annum periodi Julianæ 3938. temporibus Uziæ Regis.

LIX. *Exc.* Illas voces quæ alludunt certamina vetera Græcorum in tralatione Græca, Interpretis esse, non Auctoris. *Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ librum istum Hebraicè scriptum unquam exstitisse, quod est πρῶτον ψεῦδος, quod docendum erat, non dicendum tantùm. 2. Supponitur itidem gratis, dari voces Hebræas, quibus respondeant Græcæ illæ. Non Interpreti itaque ista imputanda, sed Autori suo, nec [illegible] Græca opus erat illi Scripto, quod illa ipsa lingua primò contextum fuit. Unde meritò *Hieronymus* Tom. III. Præfatione cxv. in Proverbia notat, hoc Scriptum esse ψευδεπίγραφον. Et sanè occasio prima, cur Salomoni tributum fuerit, inde duntaxat orta videtur, quod Scripta varia id genus ἠθικὰ & γνωμικὰ simul in unum volumen compacta fuerint jam olim, & sic *Sapientiæ* liber, ob argumenti similitudinem, conjunctus cum Ecclesiaste & Proverbiis adeoque denominatio ista toti volumini apud imperitos à potiori hæserit. Hinc persuasum multis, Salomonem hujus libri Authorem esse, qui *Philonis* potius ex stylo & contextura esse videtur.

LX. *Ecclesiastici* tandem liber talia habet, quæ spiritum humanum sapiunt, non Dei digitum. Κριτικὰ alia suis classibus reservamus. *Falsitatis* hoc indicium evidens, quod errorem Judaicum istius libri Auctor erret, Cap. XLVIII. 10. de Eliæ Thesbitæ reditu in has terras. Ex quo Iudæis

proclive

proclive erit inferre, Jesum Nazarenum non esse Messiam, quum ejus adventum non anteverterit Elias.

LXI. *Exc.* 1. Si promissio de adventu Eliæ error sit, eundem errorem errare Malachiam, qui idem promittat cap. 3. 23. 2. Authorem Ecclesiastici intelligi posse, non de reditu Eliæ ante primum, sed ante secundùm Christi adventum & ἰσόφορον habere Johannem, Apoc. 11. 3. Authores etiam Canonicos sæpe scribere secundùm receptas potius opiniones, quàm ex sensu suo.

LXII. Ad 1. *Exc. Resp.* Peccari paralogismo παρὰ τὸ ὁμώνυμον, & *Elencho parium*: alia enim prorsus ratio dicti Malachiæ, alia Authoris Ecclesiastici; ille loquitur de Elia *repræsentativo*, Iohanne nimirum Baptista, quod patet ex interpretatione Spiritus S. Matth. 11. 14. & 17. 12. Marc. 9. 11. Luc. 1. 17. iste verò loquitur de Elia Thisbite illo ipso, quem igneo turbine in cœlum evectum fuisse dixerat ℣. 9. immediatè antecedente.

LXIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Ἀρνητικῶς, petitur enim τὸ ἐν ἀρχῇ, Auctorem Ecclesiastici loqui de adventu Eliæ ante secundum Christi adventum; nec enim tunc opus Elia, qui *sit redargutioni salutari, ut sedet iram judicii Domini, convertat cor Patris ad Filium, & constituat tribus Iacobi.* 2. Συγχωρητικῶς demus, eum de adventu Eliæ ante secundùm Christi adventum loqui, κατὰ τὸ βέλτιον hoc ipsum retorquetur, nam eo ipso, quo de adventu Eliæ ante secundùm Christi adventum loquitur Auctor ille, peccat, quum Eliæ adventus primum Christi adventum præcedere debuerit, non secundum, ut patet ex declaratione Domini, Matth. 11. 14. & 17. 12. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, loqui Johannem Apoc. 11. de ejusmodi reditu Eliæ, quod interpretamentum duntaxat excogitatum callido commento, Antichristo velando. Nec sanè testes illi duo, de quibus sermo Apoc. 12. 3. Enochus & Elias esse possunt, 1. Quia Prophetas Novos expectandos amplius non esse, & hærendum tantùm esse Mosi & Prophetis, quos habemus, satis innuit Christus Luc. 16. 29. 2. Quia gesta illis assignata de igne processuro ex ore ipsorum, de occlusione & apertione cœli, & de conversione aquarum in sanguinem, *symbolica* sunt; Ergo & personæ *symbolicæ* hìc intelligendæ. 3. Quia testes illi dicuntur occidendi à Bestia, & cadavera illorum exponenda post obitum ludibrio hostium. At corpora glorificata non obnoxia amplius sunt id genus contumeliis. 4. Quia ut nec dies illi, quibus videnda dicuntur eorum cadavera à quibusdam gentibus, nec Sodoma vel Ægyptus propriè sumi debent, v. 8. & 9. sic nec testes illi. 5. Quia complementum istius Prophetiæ clarissimum exhibitum fuit in testibus à Deo ad regnum Antichristianum concutiendum & labefactandum hactenus submissis.

LXIV. Ad 3. *Exc. Resp* 1. Per συγχώρησιν, interdum Scriptores Canonicos quędam referre secundùm receptas opiniones, sed iis ἐπιστάσεις additis, quæ satis ostendunt, eos nec ex suo, nec ex Spiritus S. sensu loqui. 2. Per ἄρνησιν idem de h. l. posse dici, ubi Auctor Prophetam agit, & Elię Thisbitę adventum Ecclesię pollicetur, adeoq; vel Malachię verba detorquet in sequiorem sensum, vel dicendum erit id à Christo fieri, quod blasphemum.

LXV. De *tertio* & *quarto Macchabeorum* libris, ut & de *tertio* & *quarto Esdræ* libro prolixè agendum non censemus, quippe quos plerique etiam è Doctoribus Pontificiis τῶν ἀποκρύφων, & rejectaneos esse fatentur, ipseque *Bellarminus* lib.1. de Verbo Dei cap.x. & xx. in eorum censum conjicit, qui nunquam publico totius Ecclesiæ judicio approbati fuere. Quia tamen *Cornelius Cuyperus* Apol. pag.3. locum ex IV. libro Esdræ cap.5.38. opponit locis Canonicis adstruentibus omnipræsentiam Dei, uno vel altero duntaxat exemplo demonstratum ibimus, *quartum* istum *Esdræ* librum æquè ac superiores νόθους suæ certa argumenta habere. *Falsa* enim & vana sunt. 1. Esdram fuisse deportatum in regionem Medorum, cap. 1.3. 2. Deum in creatione reservasse duo animalia *Enoch* vel *Behemoth* & *Leviathan*, & ea separasse, eò quod aqua illa continere non posset, animali verò *Behemoth* eam terræ partem datam, ubi sunt *montes mille*, Leviathani septimam partem humidam, Esdr.4.49.50.&c. Quæ recocta sunt & anilia Judæorum commenta de *Behemoth*, tauro ingenti reservato convivio à Messia instituendo, qui quotidie mille montes depascitur, si putidis Hebræorum Magistris credimus, in hunc sensum torquentibus locum, Psalm.50.10. Similia in Talmude habentur de Ceto *Leviathan*, & ave *Bar-Iuchnè* Iudæis dicta. 3. Addo, commenta de lege planè exusta, & exstincta, de precibus Esdræ, ut illa à se reparari posset, & de pollicitatione Dei, se accensurum in corde ipsius lucernam intellectus, quæ non exstinguatur, donec finita forent, quæ cæpisset scribere. Calicem postmodum plenum Esdræ præbitum fuisse rei liquidæ, instar aquæ, sed colore igneo. Quumque ex eo bibisset, in pectore ejus intumuisse sapientiam, & sic à se dictatam fuisse Scripturam, & à quinque viris exceptam, & scriptos fuisse per quadraginta dies libros ducentos & quatuor. Vide cap.14. à vers.21. &c. Quis verò tam patientis stomachi est, ut ista concoquere possit? An credibile Deum permissurum fuisse legem suam, quæ cœlo & terra firmior, in totum exscindi? An probabile, neminem ex Judæis penes se habuisse Codicem ullum sacrum in Captivitate Babylonica? An pii Levitæ Cytharарum suarum tenaces fuêre, Psal.137. haudquaquam verò soliciti fuêre de hymnis sacris, & de Lege Dei? An sancti Dei viri, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Aggæus, Zacharias, alii, non passi fuissent vitam sibi millies potius extorqueri, quàm Codices sacros? Immò annon disertè commentum illud jugulatur à Daniele, cap. 9. qui & Prophetiæ Ieremiæ meminit, vers.2. & Legis Mosis, vers.11. non ut librorum abolitorum, sed ut tunc adhuc exstantium? Et sanè quum Ieremias adeo solicitè in Threnis defleat, & sancti in Psalmis aliquot, minima, maxima, quæ sibi per Babylonios perierant, an credibile neminem potissimæ istius jacturæ memorem fuisse, amissorum nimirum & exustorum Codicum omnium sacrorum? Adde, quamvis Codices omnes à Babyloniis exusti fuissent, commento tamen isti locum haudquaquam futurum, eo quod Israelitæ jam pridem ab Assyriis deportati, dubio procul penes se habuerint Codices varios. Falsa itaque & fabulosa est tota ista narratio, & ad Sacræ Scripturæ majestatem & auctoritatem subruen-

ſubruendam comparata. 4. His accenſeri poſſunt, quæ leguntur eodem cap.v.26. & 46.47.48. Deum è libris Eſdræ dictatis voluiſſe quædam palàm fieri, quædam verò ſapientibus occultè tradi, & prius ſcripta palàm proponenda fuiſſe, ut legerentur à dignis & indignis, poſteriores verò LXX. libros conſeruandos, ut traderentur ſapientibus è populo. In illis enim eſſe verum intellectûs & ſapientiæ fontem, & ſcientiæ flumen. Quis verò non videt, iſta nihil aliud eſſe, quàm vana commenta Iudaica, de *lege ſcripta*, & *non ſcripta*, & de *Cabbalâ* ſuâ? quibus obſtetricatur Pſeudonymus iſte Eſdras, ut & impio iſti dogmati, de præſtantia legis non ſcriptæ, reſervatæ ſapientibus Iudæorum, ſuprà ſcriptam. Quod dogma fundamentum eſt traditionum, & fabularum omnium Iudaicarum, & hoc ipſum eſt, quod à Iudæis poſtmodum hauſerunt, & compendi fecerunt Romanæ ſedis hyperaſpiſtæ, ut opportunum admodum traditionibus ſuis τοῖς ἀγράφοις ſtatuminandis.

LXVI. *Exc.* 1. Regionem Medorum vocari, quæ poſtmodum ceſſerit Medis. 2. Non magis ex mentione *Behemoth* & *Leviathan* reum peragi poſſe Scriptorem quarti Eſdræ, quàm Jobum, qui cap.XL. prolixè agat de utroque animali, immò & Pſalm.74.14. mentionem fieri ceti Leuiathan. 3. Ab Hebræorum Magiſtris etiam reſtitutionem Scripturæ adſcribi Eſdræ. Nec eo ipſo authoritati eius quicquam derogari, immò eandem adſtrui, quum diuinitùs & miraculosè prorſus dictata cenſeatur. 4. Gradus cognitionis, & μέτρον δωρεᾶς ſemper diverſa fuiſſe & eſſe in Eccleſia, nec omnibus idem lumen affulſiſſe. Paulum ipſum etiam diſtinguere item *lac* & inter *cibum ſolidum*, inter illos qui ſunt νήπιοι in domo Dei, & inter illos qui ſunt τέλειοι, 1.Corinth.3.1.2.

LXVII. Sed & iſta partim levia, partim ἀπροσδιόνυσα. Ad 1. *Except. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*. Quamvis enim Babylonia potuerit vocari regio *Medorum*, *ſecundùm quid*, & *conſequenter*, tamen *abſolutè* vel *antecedenter* ita vocari haudquaquam debuit, prout vocatur à Pſeudonymo Eſdra; dicit enim ſe tranſportatum fuiſſe in regionem Medorum, adeoque in regionem *antecedenter* hoc nomine inſignitam: at tunc cum tranſportaretur, Babylonia nondum erat regio Medorum, ſed poſtmodum demum regio Medorum facta eſt, ex quo Perſis & Medis Babylonicum Imperium ceſsit. 2. Adde, καταχρηστικῶς admodum hîc Babyloniam vocari *regionem Medorum*, quum non magis regio Medorum fuerit, quàm omnes aliæ ſubjugatæ à Perſis & Medis. Et ſanè, quum hic nomen διακριτικὸν regionis proponi debuerit, in quam tranſportatus fuerit Eſdras, ineptè proponitur nomen *genericum* & *ſecundarium*, proprio & primario prætermiſſo, ac ſi quis dixiſſet olim, ſe in regionem Romanorum abductum fuiſſe, & ſic deſignare voluiſſet Pontum, vel Judæam; ſic abſurdè diceretur is ſe abductum in regionem Gallorum, qui indicare vellet, ſe abductum in Lotharingiam, vel Alſatiam. 3. Nomina id genus ſola poni non ſolent, ſed adduntur nominibus διακριτικοῖς, & dici ſolet, aliquem abductum in Babyloniam tunc regionem Medorum, vel in Judæam, tunc obnoxiam Romanis, vel in Lotharingiam nunc obnoxiam Gallis. &

ſanè per regionem Medorum quævis alia regio, Medis olim obnoxia æquè intelligi poterit, ac Babylonia, immò Media potius quàm Babylonia.

LXVIII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Supponi falſum, quaſi id vitio verteretur Pſeudonymo Eſdræ, quod meminerit vel Behemoth vel Leviathanis. Id verò vitio illi vertitur, quod in nugas febriles & aniles ſuper iſtis animalibus erumpat, & meras fabulas è lacunis Rabbinicis hauſtas nobis obtrudat de reſervatione & ſeparatione iſtorum animalium, de magnitudine eorundem, quod aqua illa continere non poſſet, & de *montibus mille*, ubi paſcatur, vel quos depaſcatur potius Leviathan. Vide *Synag. Iud.* Celeberrimi *Buxtorfii*, cap. XXXVI. Qui portentoſa id genus Rabbinorum deliria & mendacia refert de ave quadam aquis exſtante, & à Rabbino quodam conſpecta, quarum profunditas tanta fuerit, ut ſecuris, quæ ante ſeptennium alicui exciderat, fundum nondum attigerit, eo tempore, quo prætervehebatur Magiſter ille Hebræus. Adde commentum geminum Talmudicum de monſtroſo quodam Leone in Sylva Ela deliteſcente. 2. Peccatur *Elencho partium*; neque enim gemina ſomniis iſtis referuntur de animalibus iſtis, vel in Iobo, vel ab Auctore Pſal. 74.

LXIX. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς: Demus, Hebræorum Magiſtris videri, Scripturam ab Eſdra prorſus reſtitutam fuiſſe; at & alia ipſis videntur, quæ falſa, & impia, ſed videntur tantùm. Peccatur itaque paralogiſmo παρὰ τὸ ἑπόμενον, in argumentatione ducta à Iudæorum placitis ad rei veritatem. 2. Ἀρνητικῶς: falſum enim, ſapientioribus inter Hebræorum Magiſtros id ipſum viſum fuiſſe. Certum quidem, ab iis Eſdræ encomia ingentia adſcribi, ob dona ſingularia, quibus Deus eum ad opus extraordinarium inſtruxit, & ob ἀξίωμα politicum, quod ei à Perſonarum Principibus conceſſum fuit. Et ſanè Eſdras cum Zorobabele populo reduci è captivitate præivit, cultum Dei labefactatum ad præſcriptum Legis inſtauravit, feſta celebrauit, vaſa religioſis uſibus conſecravit, populum repurgavit à mixtura cum gentibus, Legem cum Prophetis ſuperſtitibus, Aggæo, Zacharia, Malachia, & viris aliis ex כנסת הגדולה *Synagoga magna*, conſervavit, libros ſacros & Θεοπνεύστους diſtinxit, Heterogeneos expunxit, & Legem *Maſora*, quaſi *ſepe* circundatam, & communitam in tuto à corruptelis omnibus collocavit, adeoque verè עזרא *auxilium* fuit Dei populo. Quæ ad commendationem Eſdræ ſufficere poſſunt, quamvis Scriptura tota ab eo reſtituta non fuerit. Nec ſanè in Scriptura Canonica tale quid Eſdræ adſcribitur, ſed è ſuperioribus multa, ob quæ vocatur סופר מהיר, *ſcriba velox in Lege Moſis*, nomine *Scriba* ſumpto pro Doctore & Interprete Legis, prout τὸ ספר Hebræorum LXX. nunquam reddunt per γράφειν, ſed per ἀναγινώσκειν, ἐξαγγέλλειν, ἐξηγεῖσθαι, διηγεῖσθαι, ἐκδιηγεῖσθαι, & alia quædam, quamvis τὸ סופר vertant γραμματεύς, prout & γραμματεῖς in Nouo Teſtamento *Interpretes* Legis fuêre & Doctores. Hinc in *Targum* הנביאים ſunt ספרין & ספריא. Sic *Elia Levita* in *Meturgeman* ספר interdum eſt נביא *Propheta*, interdum ספר per *Syncopen*, pro טפסר, h. e. *Doctor*. Idem in *Thisbite* docet סופרים eoſdem eſſe qui חכמים vel רבנים *Sapientes* vel *Doctores* vocantur.

 Quam

Quæ ideò obſervamus, ne Eſdras, qui *Scriba* vocatur, ſcriptor potius totius Scripturæ, quàm Interpres videatur. Quamvis nomen iſtud סופרים poſtmodum ad illos relatum fuerit, qui in Criticam Hebræorum incubuerunt, nec verſus tantùm & voces, ſed & literas in numerato habuerunt, & anxio ac ſterili labore ſupputarunt, quæ voces, qui verſus, immò quæ literæ medium unius cujuſque libri occuparent, ſignificatione ducta à ספר *numeravit*. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, fabuloſa narratione de potu aſſumpto, & inſtillata hoc infundibulo ſapientia Eſdræ, adeoque de reſtituta per eum Scriptura, majeſtatem & auctoritatem Scripturæ commendari, quæ commentis iſtis deteritur potius & obſcuratur. Et longè major Scripturæ veneratio conciliatur, ſi quidem dicamus, Providentiam Dei interceſsiſſe, quo minus unquam Scriptura vel à ſæviſsimis etiam tyrannis exuri potuerit aut obliterari. Quod fruſtra ſequioribus ſeculis tentatum etiam fuit à Tyrannis aliis, qui in libros ſacros poſt Chriſti tempora graſſando, & eos à *traditoribus* in Eccleſia veteri, ſive impetrando, ſive extorquendo, tantùm theſaurum excuſſum voluêre Chriſtianis & interverſum.

LXX. Ad 4. *Exc. Reſp.* Peccari *ignoratione Elenchi.* Nec enim quæſtio eſt, an diverſi ſint gradus, cognitionis in Eccleſiâ, ân μᾶλλον ἧττον diverſum an idem luminis gradus affulgeat omnibus? An in Eccleſia ſint *lac & cibus ſolidus*, an νήπιοι aliqui, alii τέλειοι? ſed an Deus libros quoſdam à ſe dictatos voluerit intra paucorum notitiam coërceri, & ſapientibus quibuſdam occultè tradi, in quibus ſit ſingularis quædam ſapientia. Quod abſurdum, immò impium, quaſi detur ſapientia major illa, quæ exſtat in Scriptura Canonica, palam omnibus propoſita: Quod accedit planè ad impia iſta Rabbinorum commenta, qui Legem, quam vocant שבעל פה *oralem*, efferunt ſupra Legem שבכתב ſive *ſcriptam*. Sic *Aben-Ezra* diſertè notat *Præfatione in Pentateuchum*, non poſſe dari perfectam expoſitionem Legis ſcriptæ, niſi fundamentum locetur in verbis ſapientum. Sic Auctor libri עמודי גולה *Columnarum Captivitatis* δευτερώσεων ponit, non eſſe exiſtimandum, Legem Scriptam Religionis fundamentum eſſe, ſed illius fundamentum eſſe Legem ore traditam; propter Legem enim oralem initum eſſe fœdus à Deo cum Iſraelitis, quia ſcriptum ſit, *Iuxta verba hæc pango tecum fœdus.* Exod. 34. 27. Hinc Rabbi *Bechai* in כד הקמח ſive *cado farina*, virtutem inferiorem cenſet, ponere operam במקרא in lectione Bibliorum, longè majorem verò, operam ponere in במשנה in δευτερώσει, maximam tandem, ponere operam in בגמרא *in Gemara.* Harum impietatum vel ſemina ſparguntur, vel fundamenta jaciuntur à Pſeudonymo illo Eſdra. Meritò ergò librum iſtum, ut falſa & abſurda nobis obtrudentem, exploſimus & expunctum è Canone, adeoque locus à *Cuypero Anabaptiſta* ex eodem adductus, inanis eſt, quamvis verba ipſa etiam citata omnipræſentiam Dei haudquaquam euertant, ſed ſano ſenſu exponi poſsint.

Et ſic *Minorem* Syllogiſmi *generalis* probatam & vindicatam, dedimus, quoad partem ejus *primam, falſa* nimirum libris Apocryphis contineri *contradictoria* etiam iiſdem contineri, demonſtratum ibimus; favente Deo, Diſputatione ſequente.

DISPVTATIO SEPTIMA

Κατασκευαστική,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.

OSTENSVM fuit Disputatione superiore, probationes è libris Apocryphis ductas, sive ad *condendos* sive ad *probandos* fidei articulos haudquaquam esse *αὐτοπίστους*, quum illi nec *θεόπνευστοι* sint, nec pro talibus censeri possint vel debeant, ob varios humanæ imbecillitatis characteres, quos sibi impressos habent. Quod quidem argumeuto generali demonstratum fuit; Libris nimirum illis, quos pro Apocryphis habemus, contineri. 1. *Falsa,* 2. *Contradictoria,* 3. *Impia* vel *Superstitiosa.* *Primam partem* hactenus probatam dedimus. Sequitur hac Disputatione *κατασκευὴ partis secunda,* nimirum *Contradictoria* contineri libris illis.

II. Demonstratum imus hanc Argumenti istius ducti è *natura subiecti* partem *inductione* exemplorum è singulis, è quibus liquebit, libros istos vel sibi ipsis, vel Scriptoribus Canonicis aliis contradicere. In *Libro Tobia* 1. cap.6.2.3. &c. Cetus tantæ magnitudinis ad Tigrim flumen extra aquas se proripuisse fertur, ut Tobiam deglutire conatus fuerit, & tamen immediatè subjicitur, Tobiam prehendisse piscem istum, eumque ad crepidinem vel marginem fluminis pertractum eviscerasse, & assatum cum Angelo comedisse, corde, hepate & felle seruatis in usus futuros, ex suggestione Angeli. Idem itaque piscis Cetus fuit, & non fuit, tantæ molis, ut extremum immineret discrimen Tobiæ, ne ei præda fieret, quem tamen ille statim brachiis arreptis prehensum in terram projicit, eviscerat, assat, & ipse cum comite deglutit, & in sua viscera condit. Vbi *contradictio in adjecto,* & *oppositum in opposito.* 2. Sic cap.3.7. contradictio alia insignis occurrit, cap.3.7. in vulg. vers. legitur; Saram Filiam Raguelis habitasse in Rages ciuitate Medorum, cap.4. verò v.1. narratur Gabaelem, hominem obæratum Tobiæ, Ragis quoque Medorum sedem suam fixisse, & tamen cap.9.3. &c. Tobias junior nuptias celebraturus cum Sara apud Socerum Raguelem, adeoque Ragis Medorum, fingitur mittere Angelum ad Gabaelem in Rages, vt & debitum ab eo exigat, & eundem adducat ad nuptias. *Accipe,* inquit, *tecum puerum, & duos camelos, & vade ad Gabaelem in Rages, ciuitatem Medorum. & referens ad me pecuniam, illum ipsum adduc ad nuptias.* Additur, Angelum profectum fuisse ad Gabaelem, & eum adduxisse ad nuptias. At si socer Tobiæ sedem fixit Ragis Medorum, & Sara fuit conciuis Gabaeli, quid opus itinere & camelis ad eum accersendum? Ista verò haudquaquam conciliari possunt,

Sambu-

Sambucam citiùs caloni aptaveris alto. Hoc tamen candidè notamus, contradictionem istam illis tantùm opponendam, qui vulgatæ versioni hærendum censent. 3. Addi potest contradictio alia, si ætatem putemus, quam attigisse Tobias uterque dicitur cap.14. Filius enim dicitur attigisse annos 127. Pater verò annos 158. Ista verò contradicunt iis, quæ habentur Psalm.90.10. de termino vitæ humanæ, qui vix ad octoginta annos extenditur, & rarissimè ultra ætatem istam exporrigitur aliquot annorum accessione. Nec à tempore Mosis habemus exempla tantæ longævitatis in Scriptura Canonica. Et hæc causa inter præcipuas est, cur Jobi Historia referatur ad tempora anteriora Mose, quia ætatem attigit exporrectam ultra terminum illum à Mose designatum. Tobias verò vixisse censetur multis demum seculis post Mosen.

III. *Exc.* 1. *In genere*, Contradictiones è Scriptis Canonicis etiam colligi posse. 2. *In specie, Exc.* 1. Robur extraordinarium diuinitùs dari potuisse Tobiæ ad attrahendum & eviscerandum piscem illum, etsi ingentem. 2. Vel duas fuisse ciuitates Rages eiusdem nominis in Media, prout & diversis urbibus unum idemque Bethlehemi nomen hæsisse legitur, vel Rages posteriori loco poni non pro civitate, sed pro loco ei vicino, sic dici posse aliquem habitare Romæ, qui Tusculi, vel alibi in agro Romano habitat. Græcum etiam Textum habere non Ragis, sed in Ecbatanis habitasse socerum Tobiæ. 3. Exempla crebra dari illorum qui ætatem ultra LXXX. annos producunt. Singulari etiam cuidam diuinæ benedictioni, & probitati Tobiæ vtriusque longæuitatem illam imputandam esse.

IV. Ad *Exc. generalem Resp.* 1. Per συγχώρημα, in *nominibus numeris & mensuris* ἄτοπα quandoque reperiri, etiam in libris Canonicis, quæ tamen vel ἐναντιοφανῆ potius sunt quàm ἀντιφατικά, vel sive Librariorum incuriæ, sive hostium malitiæ imputanda sunt, haudquaquam verò sive Spiritui S. sive Scriptoribus Canonicis. Qualia quidem providentia divina occurrere interdum voluit, sive subigendæ superbiæ, sive acuendæ diligentiæ, sive exercendæ fidei nostræ. Hoc verò singulari admiratione dignum, quod nihil tale videamus extare in scriptis Canonicis, sive quoad τὰ ἱστορήματα, sive quoad *doctrinalia* & articulos fidei. *Inst.* Eadem excipi posse ad objecta ex libris Apocryphis. *Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *paralogismo parium*. Hoc enim πρῶτον ψεῦδος est, eandem hîc esse rationem librorum Canonicorum & Apocryphorum, quum dispar planè sit. 1. Quia in Apocryphis peccatur non tantùm circa *nominalia & numeralia*, verùm etiam circa τὰ ἱστορούμενα & τὰ δογματικά, quæ in libris Canonicis sibi perpetuò constant. 2. Quia libri Apocryphi reliquos characteres non habent, quos habent Canonici, ex quibus probari possit, eos esse θεοπνεύστους & αὐθεντικούς.

V. Ad 1. *Exc. specialem Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, *à posse ad esse.* 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, nec enim roboris extraordinarii Tobiæ collati vestigium ullum in textu; miraculum hîc gratis fingitur, non probatur. 3. Adde, Cetum illum non tantùm prehensum fuisse à Tobia solo, sed & projectum ad oram fluminis, exenteratum, & ab utroque comesum.

Quæ jocularia, nec illis obtrudi possunt, nisi qui *nondum are lavantur.*

IV. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Supponi falsum, vel dubium probari per æquè dubium. Unde enim constat, duas fuisse ciuitates Rages eiusdem nominis inter Medos? 2. Peccatur *Elencho parium*, alia enim ratio Bethlehemi & aliarum id genus urbium, tum quia Scriptura Canonica utriusque Bethlehemi disertè meminit, tum quia διακριτικῶς nomen aliquod adjicitur, quo una distinguatur ab altera. Sic Bethlehem una eam ob caussam vocatur *Bethlehem Ephrata*, vel *Bethlehem Iuda*, Ruth. 1. 1. Mich. 5. 2. 3. Per Συγχώρησιν, demus, interdum loca vicina vrbis alicuius nomine designari posse, id tamen fit καταχρηστικῶς, quum vrbis appellatio finiatur muris, secundùm *Iurisconsultos*, qui hoc etiam Romæ peculiare esse docent, quod Romæ appellatio continentibus ædificiis finiatur. Addunt iidem, urbes ferè omnes continentibus finiri. Et notum, urbem ab antiquo *urbare*, hoc est, *orbare*, unde orbis, duci; *urbare* verò est aratro definire, quia *urbum*, hoc est curvatura aratri in definiendo urbis spatio adhiberi solebat antiquitus, secundùm illud Poëtæ, Æneid. VII.

---------*Ipse humili designat mœnia fossa.*

Et *Manilij*, lib. IV.

---------*Iunctisq; juvencis*
Mœnia succinctus curvo describet aratro.

4. Per ἄρνησιν, negamus enim locum, quem incoluit Gabael, conterminum fuisse loco illi, quem incoluit Raguel, Tobiæ socer. Nec enim alias Raphaeli opus fuisset anxio Camelorum apparatu, ad hominem in suburbano commorantem conveniendum & accersendum. 5. Fatemur, in textu Græco Raguelis sedem statui Ecbatana, adeoque contradictionem hanc impingi debere potissimùm vulgatæ versionis patronis, interim tamen contradictio non tollitur etiam planè quoad Textum Græcum, si conferamus verba, quæ habentur Tob. 6. 10. cum verbis, quæ leguntur cap. 7. 1. Priore enim loco dicitur, quum jam appropinquassent urbi Rages, Raphaelem monuisse Tobiam, ut diverterent ea die ad Raguelem: posteriore verò dicuntur venisse Ecbatana ad domum Raguelis. An verò idem ἐν Ῥάγῃ καὶ τὰ Ἐκβάτανα? Et annon sic Ragis sedem fixerat Raguel, & tamen Ragis mittitur Raphael ad Gabaelem Ragis accersendum? Nec discrimen ullum, inter habitare ἐν Ῥάγῃ, vel ἐν Ῥάγοις intercedere, probari potest.

VII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, exempla dari illorum, qui ætatem ultra octoginta annos producunt. 2. Per ἄρνησιν, hoc ipsum quicquam facere ad institutum, de quo agitur. Aliud enim est, ætatem ultra octoginta annos aliquantisper proferre, aliud proferre ad annos 127. vel 158. etiam; quod à Mosis ætate insolitum fuisse, notum. 3. Miraculosam fuisse illam longæuitatem, supponitur, non probatur, non entis verò nulla sunt accidentia.

VIII. In Libro *Iudith contradictiones* etiam reperiri sic demonstratum imus. 1. *Contradictio* occurrit inter ea, quæ referuntùr, cap. 1. & cap. 5. Capite primo enim fingitur tempore Judithæ adhuc stetisse Monarchia

As-

Aſſyriorum, quum Nebucadnezaris regnum deſcribatur, ſedes imperii illius, Ninive, bellum ab eo geſtum cum Arphaxad Medorum Rege, victoria Aſſyriorum à Medis reportata ſub Nebucadnezare. Adde, expeditionem ab eo commiſſam Holopherni, cap.11. Atqui ex capite 5. patet, ſupponi, hoc contigiſſe demùm à reditu populi ex captivitate Babylonica. Ante verò tempora iſta Aſſyriorum Monarchia jam deſierat in Babylonicam, immò jam, ante reditum populi, ipſi Babylonii obnoxii eſſe cœperant Perſis & Medis, & reditus ille ad ſecundæ Monarchiæ periodum pertinet. Quî verò ſine aperta contradictione Nebucadnezar Aſſyriorum Monarcha & Medorum victor eo tempore regnaſſe cenſeri poteſt, quo jamdudum abolita erat Aſſyriorum Monarchia à Babyloniis, immò & Babyloniorum etiam à Medis & Perſis? Si ergo Scriptori libri iſtius credamus capite 1. ſtetit eo tempore adhuc Monarchia Aſſyriorum, ſin credamus eidem cap.5. jamdudum everſa erat Monarchia eadem. De deſolatione enim à Babyloniis illata Dei populo, & ultima ejus deportatione ſermonem eſſe cap. v. demonſtratum fuit Diſputatione ſuperiore. 2. *Contradictio* alia inſignis addi poteſt, ſi hunc librum conferamus cum libris aliis, qui omnium conſenſu ſunt Canonici. Teſtatur Spiritus Sanctus 2. Reg. 25. 11. & Jerem. 52. 12. anno XIX. regni Nebucadnetzaris (regno nimirum illius putato ab eo tempore, quo à Nabopollaſſare Patre ſumma poteſtate inſtructus expeditionem ſuſcepit in Syria contra Palæſtinos & Tyrios) Hieroſolyma fuiſſe exciſa à Nebucadnezare, & Judæos deportatos, Anno nimirum Per. Iul. 4124. anno ante Chriſtum natum præter propter 588. Huic verò narrationi contradicit diſertè Author libri Judith, qui inquit, cap. 11. 1. anno decimo octavo Nebucadnezaris, Holophernem ab eo miſſum expeditionem ſuſcepiſſe ad ſubjugandas gentes varias. Et additur capitibus ſequentibus, Holopherne obtruncato exercitum illum cæſum fuiſſe à Judæis, cap.15. Judæam liberatam, nec pacem tantùm reſtitutam Judæis, ſed conſervatam etiam: nullum enim *diebus Iuduthæ* auſum fuiſſe amplius metum injicere Iſraelitis, immò ne *diebus* quidem *multis poſt mortem ipſius*, cap.16.30. Dicitur verò illa protraxiſſe ætatem ad centum & quinque annos ℣.28. At quî contradictio illa tolli poteſt, anno decimo nono Nebucadnezaris exciſa fuiſſe Hieroſolyma à Nebucadnezare, & tamen ab anno decimo octavo ejuſdem in multas annorum decadas ne metum quidem ullum injectum fuiſſe Iſraëlitis, nedum bellum illatum, vel cladem ullam? Annos verò Nebucadnezaris computari non poſſe ab illo tempore, quo poſt obitum Nabopollaſſaris ſolus regnare cœpit, fatentur Chronologorum præſtantiſsimi omnes, quum annus XIX. Nebucadnezaris ab hac radice ductus incidat in annum Per. Iul. 4136. Olymp. L. annum tertium; annus verò exciſæ urbis ſanctæ incidat in annum Per. Iul. 4124. Olymp. XLVII. annum tertium. Vnde, computo illo etiam inito, contradictio tolli nequit, quum anno illo XIX. Nebucadnezaris Hieroſolyma non amplius ſteterint, quæ tamen ſtetiſſe finguntur à Scriptore libri Judith æquè ac templum, cap.4.2. 3. *Contradictio* alia occurrit in verbis quæ habentur, c. 9.

2. collatis cum libris Canonicis, ubi Iudith non tantùm molitionem Simeonis in Sichemitas probat, sed & divinæ inspirationi adscribit, inquiens, *Deum Patri suo Simeoni tradidisse gladium ad ulciscendum alienigenas* Atqui Spiritus S. contrarium planè profitetur per os Iacobi, qui non tantùm semel detestatur facinus illud ex calore quodam & metu, Gen. 34.30. verùm etiam in Cygnea cantione sua, jam morti vicinus, & Dei Spiritu plenus id raptu Prophetico planè detestatur, Gen. 49.5. *Simeon & Levi, fratres, instrumenta violentiæ conventionibus ipsorum. In arcanum eorum ne ingreditor anima mea. In cœtum eorum ne adunator gloria mea, quia pro ira sua occiderunt viros, & pro arbitrio suo avulserunt boves.* Immò maledictionem divinam illis eo nomime denuntiat sanctus, Senex. v. 7. *Maledicta ira eorum, quia vehemens, & furor eorum, quia sævus fuit. Dissipabo eos per Iacobum, & dispergam eos per Israelem.* An verò Spiritus Sanct. detestatur id, quod ex divina inspiratione profectum? An idem facinus commendat simul & proscribit? Immò divina inspiratione id haudquaquam patratum fuisse, patet ex responso Simeonis & Levi, quod opponunt planctui & querimoniæ Jacobi, nec enim vel factum suum tuentur aut excusant, quod Dei instinctu hoc egerint, sed tantùm testantur, victimas illas iræ suæ à se immolatas fuisse, quod cum sorore sua ut cum prostibulo actum fuerit, Gen. 34.31.

IX. *Exc.* 1. Ea, quæ cap. 5. referuntur, de captivitate quidem populi intelligenda esse, sed non de Babylonica ultima, non magis, quàm illa, quæ leguntur, Jud. 3.2. ubi non eversa dicitur domus Dei, vel instaurata, sed sanctificata duntaxat à profanatione. Quamvis ergò à reditu populi ex captivitate Babylonica non steterit amplius Assyriorum Monarchia, eam tamen tunc stetisse, quum clades varias passus fuit Dei populus sub Regibus aliis. 2. In eo peccari, quod confundatur Nebucadnezar vel Nabuchodonosor Assyriorum Rex cum Nabuchodonosore Chaldæorum vel Babyloniorum Rege, Monarchias verò illas, ut & Monarchas ipsos distingui debere, sedem Imperii Assyriaci fuisse Niniven, Chaldæorum vel Babyloniorum Babylonem. Non servari itaque τὸ ὁμώνυμον, nec in eo ullam contradictionem reperiri, si anno XIX. Nabuchodonosoris vel Nebucadnezaris Babyloniorum Regis Hierosolyma legantur excisa, & Judæi deportati, & tamen ab anno XVIII. Nabuchodonosoris vel Nebucadnezaris Assyriorum Regis alta pax constiterit Judæis. 3. Distingui debere in facinore à Simeone patrato ea quæ erant inspirationis divinæ, ab iis, quæ erant imbecillitatis humanæ, ut in Rebeccæ & Jacobi molitione, qua ab Isaaco benedictionem vel impetrasse, vel extorsisse leguntur. Illa laudari à Juditha, ista non item. Immò *factum* Judithæ narrari à Scriptore, non *jus*, nec ea semper probari, quæ narrantur à Scriptoribus Canonicis. Adde, quum nihil sine speciali Dei providentia & voluntate fiat, utique nec Simeonis & Levi facinus isti sphæræ subduci posse. Immò flagitiosas etiam actiones fratrum Josephi, Absolomi, Herodis & Pilati, & aliorum id genus Deo, sine labe tamen, adscribi.

X. Sed hæc *folia* tantùm sunt laciniosa, & mera σωμάτια. Ad 1. *Exc. Resp.*

1. Poni

1. Poni τὸ κείμενον, de alia captivitate quàm Babylonica ultima agi cap.5. Contrarium demonstratum Disputatione superiore, & ostensum, nullum tempus assignari posse Historiæ isti sub prioribus etiam Regibus. Et sanè cum quatuor tantùm captivitates populi Judaici legantur in sacris, *prima* in qua abductus Manasses II. Paral. XXXIII. 11. *secunda*, in qua abductus Jojakim, II. Paral. XXXVI. 6. *tertia*, in qua abductus Jojachin sive Jechonias, 2. Reg. 24. & *quarta*, in qua abductus Sedekias, & Hierosolyma excisa fuêre, ad nullam ex tribus prioribus referri potest narratio ista, sine *parachronismo* ingenti. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, de captivitate Babylonica non agi cap.5. eò quod Jud.3. domus Dei adhuc stetisse legatur; vel enim de eadem captivitate utrobique sermo, vel non. Si *de eadem* utrobique sermo *non* sit, narratio quæ habetur cap.3. non patrocinabitur illi, quæ instituitur cap.5. Sin *de eadem* sit sermo, jam splendida contradictio intercedet inter capit.3. & 5. & eadem domus stetit à reditu populi, ut habetur *loco priori*, & non stetit, ut habetur *posteriori*, quia redacta fuit εἰς ἔδαφος, hoc est, destructa, ut ostensum Disputatione superiore.

XI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, distincta fuisse sceptra *aliquando* Assyriacum & Babylonicum, distinctos Reges, distinctam etiam Imperii utriusque sedem. 2. Per ἄρνησιν, vel regna illa *eo tempore* distincta fuisse, quo expeditio ista Holophernis contigisse fingitur, vel alium fuisse Nabuchodonosorem aut Nebucadnezarem Assyriorum Regem, alium ejusdem nominis Regem Chaldæorum sive Babyloniorum. Quorum utrumque non tantùm sine teste affirmatur, verùm etiam contrarium demonstrari potest ex Scriptura Canonica, & probatis Scriptoribus. Et sane, si Sacræ Scripturam ducem sequamur, certum, Asarhaddonem Senacheribi filium ultimum Assyriorum Regem commemorari, nec post tempora illius ullam mentionem fieri ullius Assyriorum Regis. Et *Petavius* nequicquam hic provocat ad Nabuchodonosorem hunc Assyrium, ὑποτίθεται quippe, libr.x. de Doctr. Temp. cap.3. quum hoc ipsum sit τὸ ἀμφισβητούμενον, an talis unquam fuerit. Successit verò ille Asarhaddon Senacheribo Patri anno period. Iulianæ 4006. Olymp. XVIII. anno primo, anno XXI. Ezechiæ, circa quæ tempora Merodach-Baladan rerum potiebatur inter Babylonios, ut patet ex Esa. 37. 38. & 39. 1. Assyriorum verò Monarchiam destructam fuisse à Babyloniis, secundùm vaticinium Sophon. 2. 13. circa illa tempora, colligi potest ex duobus Sacræ Scripturæ locis. 1. Ex Ezech. 31. 18 ubi Propheta dicit, *Deum tradidisse Assyriam in manum fortissimi gentium*, & cladem panicam Regis & gentis istius prolixè exequitur, & exemplo isto Pharaonem Ægypti Regem territum vult. Sic cap. 32. 2. &c. addit, *gladium Regis Babyloniæ invasurum Pharaonem, & vastaturum fastum Aegypti*, & versu 22. meminit denuò Assyrii & stragis, quam perpessus fuit, ab iisdem nimirum Babyloniis. 2. Idem colligitur ex Jerem. 50. 18. ubi Deus interminatur idem exitium Babyloniis, quod immiserat Assyriis, *Ecce ego animadvertam in Regem Babyloniæ, & in terram ejus, quemadmodum animadverti in Regem Assyriæ.* Quum itaque

tempore Merodachi Babyloniorum Regis vixerit ultimus Assyriorum Rex Asarhaddon, & non fuerit Rex potentior tunc temporis Babylonico,& Ægyptiis eadem clades denuntietur,quæ illata fuit Assyriis,denuntietur verò inferenda Ægyptiis à Babyloniis, nihil verisimilius, quàm Asarhaddonem Assyrium oppressum fuisse à Merodacho Babylonio,quod & *Tornello* Chronologo celebri placet, idque probabile tunc factum fuisse, quando, occiso Senacheribo Patre, contendit de imperio cum fratribus suis Adramelech & Scharetzer parricidis, Esa.37.38. Hinc distractis regni Assyriaci viribus, & scissa in partes potentia Assyriorum, in prædam cessêre Babyloniis. Vnde & Merodach-Baladani cum Ezechia optimè convenisse videmus, Esa.39. ut qui eosdem hostes habuerint Assyrios. Adde, probabiliter admodum colligi posse, tunc Assyriorum imperium subactum fuisse à Babyloniis, postquam gravissima illa strage & clade attriti fuissent Assyrii, quam passi fuêre in Judæa, centum & octoginta quinque millium hominum, Esa.37.36. Qua opportunitate, fractis Assyriorum rebus, & subsequuta fratrum de regno contentione, usi dubio procul Babylonii sibi regnum Assyriacum subjecêre. Ab eo enim tempore iidem Assyriorum & Babyloniorum Reges fuisse leguntur. Et sanè *Iosephus* Antiquit. lib. x. cap.3. ad tempora morbi Ezechiæ Imperii Assyriaci destructionem refert, quamvis illud à Medis factum, parum probabiliter addat, quippe qui tunc temporis non erant *fortissimi gentium*, in qualium manus tamen tradendus dicitur Assyrius, Ezech. 31.18. sed Babylonii potius, quod & *Hieronymo* videtur in Præfatione & Commentario in Nahumum. Ipse tamen *Iosephus* cap.6. Medis & Babyloniis conjunctim tribuit, quod Assyriorum Imperium everterint, nisi bis eversa dicatur Ninive, quod tamen nondum probatum. 3. Gratis asseritur, Nabuchodonosorem fuisse Assyriorum Regem diversum à Nabuchodonosore Babyloniorum Rege, quum nomen illud non tantùm inauditum sit apud Chronologos inter Assyriorum Reges, verùm etiam alienum à more & instituto gentis illius, qui diversissima fuerint nomina, & compositiones nominum inter Assyrios & Chaldæos, ut patet ex laterculo, qui proponit Vir Illustris *Iosephus Scaliger*, libro 6. de emendatione. Temp. parte 2. ubi docet, voces, *Nebo Chad & Netzar* fuisse nomina Chaldaica, non Assyriaca, & ab Idolis Chaldæorum maximam partem petita.

XII. Ad 3. *Except. Resp* 1. *Per concessionem*, in actionibus hominum sæpe distinguenda ea, quæ *perfectionis* sunt, & à causa prima promanant, & ea, quæ sunt *imperfectionis* & promanant à secundis: distinguendas etiam esse *actiones*, & *vitia* actionum. 2. *Per negationem*, distinctionem istam locum habere in hoc argumento, molitio enim ista Simeonis & Levi tota flagitiosa erat, & quoad *rem* & quoad *modum rei*, neque enim illorum erat, stuprum sorori suæ illatum ulcisci, vel religionis obtentu viam sibi facere ad scelus, vel cum Principe reo, integram civitatem in criminis istius societatem vocare, & sanguine ac cædibus cruentare. Nec inspiratio divina prætexi poterat, quippe quam ne ipsi quidem qui se scelere illo

illo obstrinxerant, prætexunt, ut ostensum. Nec partem hujus facinoris duntaxat Dei Spiritus, vel aliquid in eo, sed totum facinus execratur per os Iacobi, & molitionem ipsam æquè ac executionem ejus disertè detestatur, Gen.49.3. Peccatur *Elencho parium*, allegatione exempli benedictionis paternæ derivatæ ad Iacobum, quum præcesserit oraculum apertum du benedictione illa in Iacobum transferenda, & non in *re* ipsa ibi peccatum fuerit, sed in *modo* tantùm *rei*. Adde, Deum rem ipsam ratam habuisse, quamvis infirmitates intercesserint in instrumentis, prout & sanctissimi quique suos manes & sua *ἐπιτίμια* patiuntur. 4. Retorquetur exceptio ista *κατ' τὸ βίνον*. Eo ipso gravissimè peccavit Iuditha, quod flagitiosissimum facinus Deo adscribit, & magnificis quidem verbis, quibus non tantùm gladium tunc Simeoni à Deo porrectum testatur, verùm etiam Deum in sceleris istius societatem per preces Simeonis & Levi vocatum contendit, & cap.9.2.3. eandem sibi à Deo felicitatem & benedictionem precatur, ibid. Qui verò ista ab animo Dei pleno, & à sancta fœmina, qualem nobis depingit author ille, proficisci possunt? 5. Certum etiam, ita narrari ista omnia à Scriptore libri Iudith, ut probentur simul. Nec nisi oculis hîc opus & candore. 6. peccatur *ignoratione Elenchi, & paralogismo παρὰ τὸ ἑπόμενον* aliud enim prorsus, nihil sine speciali Dei providentia, vel voluntate fieri, adeoque nec hoc facinus sine ea admissum fuisse, aliud, ex Dei inspiratione id fuisse admissum. Adde, aliud esse, facinora non fieri sine voluntate, sumpta pro *decreto* Dei, non *effectivo* quidem, nec *imperativo*, sed *permissivo*, & *directivo*, aliud, ea non fieri, sine voluntate sumpta pro *mandato* vel imperio Dei. Sine priori voluntate nihil fit, sine posteriori verò, immò præter & contra eam, multa fiunt. 7. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Aliud enim est, flagitiosas impiorum actiones Deo adscribi quoad *materiale*, aliud, eas illi adscribi, quoad *formale* earum, aliud eas spectari quoad *judicia*, Dei cum actionibus conjuncta, vel illas consequentiâ, aliud quoad ipsam actionum *ἀνομίας* & *ἀταξίας*. Prius fit in Scriptura Sacra non posterius.

XIII. Nec librum *Baruchi* à contradictione omni liberum pronuntiamus. Canonica enim Scriptura docet, Judæos LXX. annis & detinendos fuisse, & detentos reipsâ à Babyloniis, Ierem.25.11. & 29.10. Dan.9.2. Contra Baruchus *usque in generationes septem* populum in Babylonia detinendum refert, cap.6.2. At alia planè periodus septuaginta annorum, alia septem generationum.

XIV. *Exc. Γενεὰ*, generationem variè definiri, nec obstare, quin pro decade annorum sumatur. Posse etiam septem generationes *indefinitè* sumi, vel pro multis generationibus, vel pro numero perfecto, septuaginta enim annos absolvere perfectam periodum vitæ humanæ. *Respond.* 1. *Per concessionem, γενεὰ* variè definiri à variis. 2. *Per negationem*, ab ullo probato Scriptore eam definiri annorum decade, quod tamen est *τὸ κρινόμενον*, & quod nisi probetur, non tantùm mendax deprehenditur Prophetia, quæ extat Bar.6.1.2. verùm etiam contradicit disertè locis Scripturæ allegatis. 3. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*. Numerus septenarius interdum

sumitur *indefinitè*. Ergo & hoc loco. Repugnant verò verba *antecedentia*, quominus ita sumi debeant vel possint verba *consequentia*. Disertè enim ibi habetur; *Quum veneritis in Babyloniam, eritis illic annos multos, & tempus longum, usque in generationes septem. Postea verò educam vos inde cum pace.* Inde liquet, priora verba esse *indefinita*, posteriora *definita*, nisi idem per meram ταυτολογίαν, immò obscuriùs efferatur, quod prius erat expressum clarius. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*; nec enim quæstio est, an septenarius numerus sit numerus perfectus, verùm an septem generationes designent septuaginta annos. 5. Κατὰ τὸ βίαιον, quia septuaginta anni absolvunt perfectam vitæ humanæ periodum, absurdè dicitur, septem generationes designare septuaginta annos, quum una vel altera ætatem illam plerunque absolvat, & absolverit hoc loco, inter Judæos, ut patet ex genealogia descripta, Matth.1.12.

XV. *Additiones ad Danielem*; ut *falsa* quædam habent, sic etiam habent quædam *contradictoria*, quæ ἀντίφατα sunt cum iis, quæ habentur in libris Canonicis. Contradictiones reperiuntur. 1. In assignatione *causæ* conjecti Danielis in fossam Leonum, quam docet liber Canonicus fuisse, liberas Danielis preces, fusas ad Deum contra edictum regium, Dan.6.10.&c. Apocryphus verò refert, supplicium illud Danieli irrogatum fuisse propter destructionem Belis simul & Draconis. 2. In designatione *temporis*, quo Daniel detentus fuisse dicitur in fossa illa, quod liber Canonicus docet fuisse noctis unius, Dan.6.19. Apocryphus sextidui. 3. In designatione *Regis*, sub cujus regno, & cujus mandato Daniel conjectus fuit in fossam illam, qui Darius est scriptori Canonico, cap.6. Apocrypho, Cyrus. 4. In designatione *ætatis* Danielis, in dramate enim Susannæ introducitur Daniel, ut παιδάριον, puer, & quidem nemini hactenùs notus, at si capita ista cohæreant cum Canonicis, qui ille cap.13. talis censeri potest, qui jam cap.7. ex primis Satrapis fuerat in aula Darii? Adde, Danielem puerum censeri non potuisse, sub finem regni Astyagis, quippe qui cum Iechonia translatus fuerat Babylonem à Nabuchodonosore, Dan.1. quum deportatio Jechoniæ inciderit in annum Period. Iul.4115. Astyages verò à Cyro nepote suo regnó pulsus fuerit anno demum per. Iul. 4155. Hinc meritò anteposito veru jugulata fuêre *paralipomena* illa jam olim ab *Hieronymo*, & pro fabulis habita.

XVI. *Exc.* 1. Ejusdem rei plures esse posse causas, sine contradictione, adeoque & suplicii istius Danieli irrogati plures esse potuisse, idem enim sæpe supplicium reo propter crimina diversa vel vera, vel credita pro veris irrogari. 2. Non improbabile esse, diversas Historias referri, nec de eodem Daniele utrobique sermonem haberi, posteriorem Danielem fuisse è tribu Levi, priorem è tribu Iuda, adeoque mirum non esse, diversam, allegari causam, circumstantiam temporis diversam, & nomen diversum Regis. Vel dici posse, Danielem bis conjectum fuisse in fossam Leonum, semel à Dario Medo propter preces, & tunc ibi una tantum nocte detentum fuisse, iterum verò à Cyro, propter interfectum Draconem & tunc sextiduò ibi delituisse. 3. Historiam istam *fabulas* ex Hebræorum sensu

vocari.

vocari ab *Hieronymo* : *Fabularum* etiam nomine interdum probatis Scriptoribus aliis narrationes veras deſignari. 4. Hiſtoriam Suſannæ contigiſſe longè ante tempora Cyri, quum Daniel revera eſſet puer, & ideo illam apud Græcos poni in principio libri. Nec verba de morte Aſtyagis connectenda eſſe cum Hiſtoria Suſannæ, ſed debere referri ad hiſtoriam Belis deſtructi & interfecti Draconis.

XVII. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. *Συζητητικῶς*, ejuſdem ſanè rei cauſas plures eſſe poſſe, immò & eſſe ſæpe. Plura etiam crimina eodem ſupplicii genere, morte eadem ſępe plecti. 2. *Ἀρνητικῶς*, exceptionem iſtam hic locum habere, nec enim prætermiſſurus fuiſſet Spiritus S. vel cauſas illas inſignes, vel ſingularia illa Danielis geſta confundendis Idololatris, & abolendæ ſuperſtitioni opportuna, ſiquidem illa contigiſſent, quum *πολλάκις* multas alias referat de iis, quæ à Daniele, vel circa eum geſta, quæ multò minoris & momenti & uſus eſſe videntur.

XVIII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Hac reſponſione everti primam, quippe quæ eundem Danielem intelligendum cenſet, iſta alium. 2. Petitur *τὸ ἐν ἀρχῇ*, de Daniele alio in ſcripto Apocrypho agi, ex collatione enim laciniarum iſtarum cum libro Prophetico patet, agi de Daniele, ſancto Dei viro, qui cum ſumma dignitate fuerit in aula regia, Satraparum odiis obnoxius, & cujus ſocii in fornacem ardentem conjecti leguntur, adeoque eundem Danielem utrobique intelligi. 3. Retorquetur hæc ipſa exceptio *κτ τὸ βίαιον*, quia utrobique de diverſo Daniele ſermo eſt, eo ipſo concludimus, hæc additamentum non eſſe à Daniele Propheta, ſed à perſonato quodam Scriptore, harũ fabellarum *τῶν ἀποκρύφων* conſarcinatore. 4. *Ἀσύστατα* ſunt, fuiſſe eundem Danielem, & non fuiſſe; fuiſſe, quia conjectus fuerit bis in foſſam Leonum: non fuiſſe, quia prior oriundus erat ex tribu Juda, poſterior ex tribu Levi. 5. Abſurdum prorſus, Danielem primùm à Dario Medo fuiſſe conjectum in foſſam Leonum, propter preces ad Deum liberè pro more effuſas, cap 6. iterum autem à Cyro, propter interfectum Draconem, c. 14. quum à deportatione Iechoniæ ad viceſimum ſecundum annum Cyri, quo is Darium Medum (qui & Nabonedus vocatur) Balthaſaris ſucceſſorem vicit, & Babyloniis ſubactis, regnum Perſicum in Monarchiam erexit, effluxerint anni 61. Deportatus enim fuit Iechonias Babylonem anno per. Jul. 4115. Cyrus verò Babyloniis & Medis ereptum imperium ſibi vindicavit anno demum ejuſdem per. 4176. At jam dudum ante tempora illa fatis conceſſerat Habacuc Propheta, qui ab Apocrypho Scriptore fingitur delatus fuiſſe ad Danielem cap. 14. 32. &c. quum Chronologi eruditi ſtatuant Habacucum vixiſſe ſub Achazo, alii ſub Manaſſe, cum quibus facit Author *Seder Olam*, alii ſub Amone, ad quorum ætatem referri commodiſsimè poteſt argumentum Prophetiæ Habacuci. Certum ſaltem, ante captivitatem Babylonicam prophetaſſe Habacucum, ut qui vaticinatur de irruptione Chaldæorum futura, cap. 1. 6. adeoque jam maturæ ætatis fuit, ante ipſam captivitatem. Falſum ergo, ſub Cyro, & à Cyro Danielem conjectum fuiſſe in foſſam Leonum ſecunda vice, & in eam Habacucum delatum ab Angelo.

XIX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, fabulam interdum ſumi pro ſermone *fando* divulgato, tum ratione *originationis* ſuæ, tum ratione *uſus* apud probatos Authores. 2. Per α̉ίνον, fabulam ſignificare hic narrationem veram *Hieronymo*, contrarium patet ex procemio ejus in Danielem ad Pammachium & Marcellam, ubi teſtatur, *Origenem, Euſebium, & Apollinarium*, & alios viros Eccleſiaſticos oppoſuiſſe Porphyrio, ex his additamentis aliquid objicienti, ſe non debere illi reſpondere pro his, *quæ nullam Scripturæ S. authoritatem præbeant*, adeoque oſtendit, quo ſenſu fabulas vocet additamenta iſta. Sic idem repetit cap.13. & denuò narrationes iſtas Belis & Suſannæ *fabulas* vocat. Ibidem notat, ſe viſiones iſtas obelo prænotaſſe, ſignificando eas in Hebraico non haberi, adeoque non eſſe ex oraculis Dei, quippe quæ Iudæis concredita, ad Rom.3.2.

XX. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, immò falſum ſupponi, ſi enim Hiſtoria Suſannæ contigit longè ante tempora Cyri, cur immediatè ſubjicitur Aſtyagis mors, & Cyri ſucceſsio verſ.65. quo tempore ſanè Daniel puer eſſe non poterat, quum inter Aſtyagis obitum & deportationem Jechoniæ, qua in captivitatem abductus fuit Daniel, interceſſerint anni 47. Deportatus enim fuit Jechonias, anno per. Iul. 4115. Aſtyages verò demum anno ejuſdem periodi 4162. Cyrum ſucceſſorem habuit. 2. Falſum etiam, connecti verba illa de morte Aſtyagis cum narratione ſequente, quod & Græcis codicibus repugnat & Latinis. 3. Falſum quoque, convixiſſe Danielem Cyro in aula Babylonica, & gloria ſuperaſſe omnes amicos Cyri, quod habetur, cap.14.1. adeoque diu ibi hæſiſſe, quum Daniel non legatur ſuperſtes fuiſſe tempore ſolutionis captivitatis Babylonicæ, & tamen Babylonici regni Cyri initium, & captivitatis illius ſolutio incidant, fatente etiam *Petavio*, in eundem annum per. Iul. 4176. Eſdr. 1.1. Non ergò narratio illa referri poteſt ad tempora Cyri. Adde, ineptè fingi, Babylonios per minas extorſiſſe Danielem Cyro, & erupiſſe in verba iſta, *trade nobis Danielem, ſin minus, interficiemus te & domum tuam*, additur, regem neceſsitate coactum tradidiſſe illis Danielem. An verò quiſquam ita bardus eſt, qui iſta concoquere poſsit, Babylonios, gentem ſubactam recens à Cyro, legem illi fixiſſe, & ita protervè Monarcham potentiſſimum circumegiſſe? Adde, ineptè Habacucum eo tempore ſuperſtitem fingi, quo Cyrus Babylonico ſceptro poſt devictum Darium Medum potitus fuit, quum Amon (poſt cujus ſaltem tempora, ut multa etiam largiamur, non vixit Habacucus) fato functus fuerit, anno per. Iulianæ 4072. vel 4073. Cyrus verò Babylonicum ſceptrum ſibi demum vindicavit, anno ejuſdem periodi 4176. Et tamen Habacuc in dramate illo repræſentatur ut integer ævi, qui pultem & panes rus ipſe detulerit meſſoribus verſ.32. quæ ἀπιστα.

XXI. *Additiones ad Eſtheram* ejuſdem omninò commatis ſunt cum aſſumentis illis ad Danielem, & veteri panno, immò purpuræ, hic quoque novus, iſque laciniosſus totus, aſſutus fuit, ſed cum ſciſſura veteris. *Contradictiones* inter utrumque ſcriptum Canonicum & Apocryphum *duûm generum* hîc notamus: *quædam* intercedunt Scriptori Canonico cum Apocrypho,

crypho, *quadam* in ipso Scriptore Apocrypho deprehenduntur. *Primi generis* istæ observari possunt. 1. *In nomine Regis*, cui nupsit Esthera, qui Canonico Scriptori Ahasuerus est, cap.1.1. Apocrypho Artaxerxes, c.1. Addit, v.1. 2. In descriptione *conditionis Mardochæi* qui secundùm scriptorem Canonicum, privatus fuit, & ignotus in aula regia, ante nuptias Regis cum Nepte sua, anno tertio adhuc regni Assueri, cap.1.3. Secundùm Apocryphum verò, ut patet ex cap.1.3. jam anno secundo Artaxerxis ἀξίωμα aliquod obtinuit in aula regia. 3. In *notatione temporis* detectarum insidiarum, quod Scriptor Canonicus refert ad annum septimum Ahasueri, cap. 2.16. Apocryphus ad annum ejus secundum, cap.1.1. 4. In *descriptione præmii* Mardochæo exhibiti, quod Canonicus diu dilatum narrat, cap.6.3. Apocryphus è vestigio in eum collatum docet, cap.1.17. 5. In *descriptione remedii* Iudæis servandis adhibiti, quod docet Scriptor Canonicus fuisse literas nomine Regis scriptas ad Judæos, ut se tuerentur ab insidiis & vehementia hostium, cap.8. Apocryphus verò narrat, literas ad omnes subditos scriptos, revocatorias priorum, ver.17. quod disertè contradicit iis, quæ notantur à Scriptore Canonico, rescripta regia id genus non potuisse revocari, vel rescindi, cap.8.8. *Secundi generis* contradictio ista notari potest, qua Apocryphus istarum laciniarum Author seipsum jugulat, dum Mardochæum à Nebucadnezare abductum docet cum Iechonia Babylonem, & tamen anno secundo Artaxerxis Longimani eundem aulicis ministeriis vacantem, ut vegetæ ætatis hominem repræsentat. Atqui inter Iechoniæ & Artaxerxis (quem Longimanum patroni paralipomenon illorum esse volunt) tempora, intercedunt anni ad minimum 140. immò 165. secundùm adversarios.

XXII. *Exc.* 1. Eundem esse Assuerum & Artaxerxem, Longimanum nimirum, duo itaque nomina duntaxat, personam verò unam eandemque. 2. Narrationem insidiarum, quæ habetur, cap.12. in Latinis Bibliis, pertinere ad initium libri: & ibi narrari insidias *per anticipationem*, quæ narrentur suo loco, cap.2. contigisse verò illas anno septimo. Verba etiam, *anno secundo, regnante Artaxerxe*, non debere extendi usque ad narrationem insidiarum, sed ad ea tantùm, quæ dicuntur ipso cap. 2. hoc est, ad somnium, quod Mardochæus vidit, antequam Esther Regi conjungeretur. 3. Vel mercedem exiguam Mardochæo statim à detectis insidiis repensam, quæ nulla videri potuerit, impar quippe officio, vel eandem esse mercedem, quæ significetur cap. 12. verbis illis *datis pro delatione muneribus*, cum ea, quæ refertur à Scriptore Canonico cap.6. 4. *Ordinariè* sanè non fuisse revocata vel rescissa rescripta regia, nihil tamen obstare, quominus id extraordinariè factum fuerit hoc loco. Immò utrobique idem planè narrari, nimirum conservationi Iudæorum fuisse prospectum. 5. Multos depontanos senes ætatem decrepitam attingere, nec mirum esse Mardochæum vitam ultra CLXV. annos produxisse. Nihil etiam obstare, quominus Mardochæus dicatur translatus Babylonem cum Iechonia, in parentibus nimirum vel majoribus suis. Sic Zorobabelem, quamvis in captivitate natum, Matth.1. cum illis commisceri, qui redière ex capti-

vitate Babylonica Hierosolyma, Neh.7.1. Sic filios Iosephi dici intrasse in Ægyptum cum Iacobo, eo quod Iosephus, in cujus lumbis censebantur, in Ægyptum intrarit, Gen.46.27.

XXIII. Ad 1. *Except. Resp.* Gratis dici, Assuerum Estheræ maritum fuisse Artaxerxem Longimanum, vel eandem cum eo personam, quum Assuerus ab Artaxerxe isto disertè distinguatur, Esdr.4.6.7. Immò Assuerus ille Xerxes potius fuit, filius Darii Hystaspis, ad Marathonem cæsi, ab Atheniensibus, Miltiadis auspiciis, quippe cujus imperium amplissimum fuit, & qui epulum illud solemne instituisse videtur, partim ob victoriam ab Ægyptiis reportatam, partim ad conciliandos sibi Satraparum & Ordinum Imperii sui animos, ob bellum, quod moliebatur contra Græcos. Nomen quoque conjugis, quod habet *Herodotus* in Calliope eò accedit, quæ Ἄμηστρις dicta, quasi הדסה אסתר ut observat Illustris *Scaliger*, lib.6. de Emend. Temp. quamvis fatendum sit, ingenium Reginæ illius, quale describit *Herodotus* ibidem, alienum planè esse ab Estheræ genio, quale describit Scriptura Sacra.

XXIV. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipso quo narratio ista insidiarum pertinet ad initium libri, quæ tamen refertur demum cap.12. hæ laciniæ non sunt à spiritu Sancto. 2. ϖρόληψις fingitur, non probatur. Immò repugnat solutioni priori, si enim narratio insidiarum, quæ est, cap.12. pertinet ad initium libri, nulla ibi ϖρόληψις. 3. Contradictio semper manet, insidias, quæ contigêre *anno septimo*, contigisse *anno secundo*, & gratis dicitur, verba *anno secundo, regnante Artaxerxe*, non esse extendenda ad narrationem insidiarum, sed solùm ad ea quæ sequuntur *immediatè*, hoc est, ad somnium Mardochæi, quum insidiæ, earum detectio, & somnium conjungantur prorsus, & *eadem nocte*, secundùm Græcam editionem, secundùm Latinam, *eo tempore* illa contigisse dicantur, quo hoc contigit.

XXV. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccatur *Elencho parium*, vel falsa suppositione, neque enim eadem sunt vel συνδυάσμα, nullam alicui mercedem rependi, & rependi exiguam. Illud dicit Scriptor Canonicus οὐκ ἐποίησαν, nullam prorsus mercedem repensam fuisse Mardochæo, istud non item. Vide cap.6.3. 2. Adde, gratis & præter rationem omnem dici, præmia Mardochæo exigua repensa fuisse, quæ nulla videri possint, disertè enim habet editio Græca, καὶ ἐπέταξεν ὁ βασιλεὺς Μαρδοχαίῳ θεραπεύειν ἐν τῇ αὐλῇ, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ δόματα περὶ τούτων. 3. Falsum, eandem ubique mercedem designari, quippe quæ alia prorsus fuit, tum ratione *materiæ*, tum ratione *formæ*, tum ratione *durationis*, nec ei rei evincendæ opus nisi oculis, & collatione singulorum.

XXVI. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Gratis supponi, id hic extraordinariè factum fuisse, quod ordinariè fieri non solebat. Quod est petere τὸ ἐν ἀρχῇ. 2. Immò eo ipso contradictio nectitur inter Scriptorem Canonicũ & Apocryphum, adeoq; locus datur retorsioni κατὰ τὸ βίαιον, quum Scriptor Canonicus neget, cap.8.8. id hîc fuisse factum, quod tamen affirmat Apocryphus.

XXVII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, certum, multos senũ decrepitã prorsus ætatẽ attingere. 2. Per ἄρσιν, nulla probabilitatis specie, annos Mardochæi,

Mardochæi, istâ ætate, ultra centum & sexaginta amplius annos extendi, quum jam Mosis ætate longè contractior fuerit vitæ humanæ terminus, nec circa ætatem Mardochæi exemplum habeatur simile. 3. Gratis dicitur, Mardochæum in majoribus vel parentibus suis duntaxat translatum fuisse Babylonem, cum Rege Iechonia, quum disertè *ipse* dicatur *transportatus* fuisse *in transportatione, quam demigrare fecerat Nebucadnezar cum Iechonia Rege Iuda*. 4. Elenchus παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *parium* datur in exemplis objectis, quippe quæ disparia prorsus. *Prius* quidem ex Nehem.7.6. 1. Quia nihil obstat, Zorobabelem, cujus auspiciis populus Hierosolyma reversus, Esdr.2.2. paulò ante captivitatem genitum fuisse, immò hoc videtur exigere ipsa rei ratio, quum non nisi homo annis maturus ad istam ὑπεροχὴν evectus videatur. *Inst.* Zorobabelem, de quo Matthæus cap.1.12. genitum dici demum post captivitatem. *Resp.* Alium esse Zorobabelem, de quo Lucas cap.3. & Nehemias cap.7. alium illum, qui refertur à Matthæo, quum ille ad lineam Nathanis, iste ad Salomonis, ille ad Mariæ, iste ad Iosephi majores pertinuerit. 2. Adde, Canonico Estheræ Scriptori dici, ipsum Mardochæum fuisse ex transportatione, Nehemiæ verò, illos, qui reversi fuerunt ex transportatione, Hierosolyma venisse cum Zorobabele, v.7. ubi potiùs intelligi potest, distingui Zorobabelem ab illis, qui reversi leguntur; adeoque qui ante Hierosolymis fuerunt. 3. Sic exemplum posterius ἀπροσδιόνυσον est ex Genes. XLVI. quum haudquaquam ibi dicatur, LXX. animas ingressas esse Ægyptum, sed omnes animas familiæ, quæ ingressa fuit Ægyptum, fuisse LXX. ita ut ingressus in Ægyptum referendus sit, non ad animas illas LXX. sed ad familiam Iacobi. Et sanè participium הבאה potius referendum ad proximius, domum vel familiam, quàm ad animam, quod remotius.

XXVIII. In *Maccabaeorum libris* quin etiam ἀδύνατα multa, sive eos cum Canonicis contendamus, sive librum unum cum altero. Qualia sunt 1. Antiochum mortuum esse in Babylonia, & quidem morbo ex mœrore animi contracto, 1.Macc.6.16. Eundem tamen extinctum fuisse morte violentâ, lapidibus quippe obrutum Nanneæ, & velut Pentheum alterum discerptum cum comitibus, 2.Macc.1.16. Quin etiam, ut Geryonem dicas, eundem Antiochum alio adhuc fato sublatum legimus, præcipitatum videlicet è curru, & in montanis gravi viscerum dolore correptum, & extinctum ibidem, 2.Macc.9.28. quæ ἀσύμφωνα prorsus. Adde, violentam istam Antiochi mortem contradicere vaticinio Danielis, qui vaticinatus fuit, illum *sine manu frangendum* cap.8.25. ex mœrore itaque potius obiit, ut narratur 1.Maccab.6.8. & *Iosephus* idem confirmat Antiquit. libr. XII. cap.13. & *Hieronymus* in cap.11. Dan. adductis etiam Polybii & Diodori Siculi testimoniis. Sic 2.Macc.9.5. dicitur Deus percussisse Antiochum ἀνιάτῳ καὶ ἀοράτῳ πληγῇ. An verò tumultus ille in templo Nanneæ, & lapidatio subsequuta, & grassatio Sacerdotum erat plaga ἀόρατος æquè ac ἀνίατος? 2. 1.Macc.4. à vers.36. templum purgatum fuisse dicitur & dedicatum à Juda Assamonæo, post victoriam à Lysia reportatam, ante mortem Antiochi, quippe cujus mors demum refertur capite 6.

& tamen 2.Macc.10.9. purificatio illa instituta demum narratur à morte Antiochi. 3. Adde narrationes contradictorias super numero militum & occisorum, in obsidione Bethsuræ & successu prælii, ut patet ex collatione capitum 1. Macc.6. & 2. Macc.11. & 13. in primo libro militum numerus longè major, in secundo minor, contrà in secundo occisorum major refertur, in primo minor. In primo Bethsura occupata legitur ab Antiocho Eupatore, in secundo servata à Judæis, in primo Judæi dicuntur coacti fuisse retrocedere, in secundo splendidam victoriam vicisse dicuntur, quæ omnia ἀσύστατα. 4. Gemina sunt ilia, quæ aliter planè referuntur de Nicanore & Juda, 1.Macc.7. aliter 2.Macc.14. & 15. quæ etiam conciliari nequeunt. 5. Sic 1.Macc.4.17. Lysias Antiochum Eupatorem, post mortem Antiochi Epiphanis Patris regno præfecit, & tamen ex adverso 2.Macc.10.2. Lysias à Rege regni rebus administrandis demum admotus dicitur, nec quicquam illi adscribitur, nisi quod ex Satrapis & Provinciarum præfectis fuerit. 6. Sic eadem nova, quæ ad Antiochum delata leguntur in Perside, 1.Macc.6.5. dicuntur illi fuisse nuntiata κατ' Ἐκβάτανα 2.Macc.9.3. At Ecbatana Mediæ metropolis erant. Iisdem capitibus confunditur Elymais cum Persepoli, quæ urbes tamen diversissimæ fuêre.

XXIX. *Exc.* 1. Antiochum in templo Nanneæ *cecidisse*, dici 1.Macc.11. occisum non dici. Prius verò non ad vitam Antiochi referendum esse, sed ad exercitum ejus duntaxat, quo cæso cecidisse dicatur, instar Regis Sodomæ, qui primò *cecidisse* legitur, Gen.14. v.10. & tamen v.17. prodiisse in occursum Abrahami. Sic eundem in templo Nauneæ lapidibus ictum dici, prostratum non dici. Cædem etiam & dilaniationem referri posse ad comites Antiochi, Rege in tutum subducto. Vel de diversis personis agi diversis in locis, 2.Macc.1. de Antiocho magno, 2.Macc.9. verò de Antiocho Epiphane. 2. Adde, è curru quidem deturbatum Antiochum legi, sed non è vestigio extinctum, vel ideò Antiochum casu illo extinctum dici, eo quod casus ille Antiochi valetudinem afflixerit quidem, & ei mortem consciverit, quamvis non eo ipso momento casum ejus consequuta fuerit mors. 3. Nihil obstare, quominùs bis purgatum fuerit templum, semel ante mortem Antiochi, iterum ab ejus morte. Multa etiam alio tempore sæpè narrari in Canonicis, quàm quo gesta sunt, adeoque quamvis 2.Macc.10. templi purificatio referatur demum post mortem Antiochi, id tamen non intercedere, quominus prius facta fuerit. 4. In illis etiam Scriptoribus, qni à nobis pro canonicis admittantur, quoad numeros, multa reperiri ἐναντιοφανῆ, quæ ἄπορα prorsus sint, nec ob id tamen eos explodi, vel eorum αὐθεντίαν in dubium vocari. Non mirum etiam esse, diversa referri de præliis diversis, non de eodem. 5. Narrationem in speciem adversam de Juda & Nicanore conciliari posse, distinctione temporum, locorum, & modi agendi. 6. Nullam inter ista oppositionem reperiri, à Lysia Antiochum Eupatorem ad regnum admotum fuisse, & ab isto Lysiam ad gradum altiorem inter Satrapas, immò ista sine difficultate conciliari posse, *beneficium* enim istud Lysiæ

colla-

collatum fuisse, propter *officium* ante præstitum. 7. Nihil obstare etiam, idem bis & à diversis, diversis in locis nuntiari, vel aliquid in loco contermino, in collimitio duorum regnorum, contingere, ut videatur contigisse in utroque.

XXX. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Supponi gratis, dici duntaxat, Antiochum *cecidisse* in templo Nanneæ, quod falsum. Id enim Latini tantùm Interpretis verbum est, non Scriptoris Græci, cujus verba alia sunt 2.Macc.1. 13. *κατεκόπησαν ἐν τῷ τῆς Ναναίας ἱερῷ concisi fuêre in templo Nannea*, & v.16. de Sacerdotibus dicitur, *συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα, καὶ μέλη ποιήσαντες, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφελόντες τοῖς ἔξω παρέρριψαν, conjectu lapidum quasi fulminantes, obruerunt Ducem, confectosque membratim, amputatis capitibus, foràs projecerunt.* An verò concidi, lapidum grandine obrui, membratim distrahi, est in fugam duntaxat conjici, & victoria excidere? 2. Peccatur *Elencho parium*, nec enim eadem de rege Sodomorum referuntur Gen.14.10. qui cecidisse duntaxat legitur, nec in prœlio sed in fuga, nec cecidisse absolutè, sed in puteum vallis Siddim, in quem se conjecerat latitandi causâ, reliquis in montana dilapsis. 3. Supponitur etiam denuò falsum, Antiochum ictum duntaxat dici in templo Nanneæ, prostratum non dici, quum membratim concisus, & caput ei à cervice revulsum ibidem dicatur. 4. Falsum quoque, id ad Antiochi comites potiùs, quàm ad Antiochum referendum esse, quum *ἡγεμόνος* mentio fiat *αὐτολεξεί*, hoc est, Antiochi, qui templum istud ingressus fuerat unà cum comitibus, in quem imber iste lapidum depluit, & cui omnia illa contigisse dicuntur. Comitibus sanè Antiochi eadem contigêre, sed cum suo Duce, *inclusivè*, non *exclusivè*. Et alienum ab omni ratione, in comites Antiochi potius irruisse Sacerdotes, quàm in Antiochum, deprædationis templi autorem, quum ob id unum exasperati fuerint illorum animi. 5. Eundem etiam utrobique Antiochum, eandem designari Historiam, ex collatione utriusque capitis patet, nec temporum ratio permittit, ut 2.Macc.1. intelligamus Antiochum Magnum, Callinici filium, quum Epistola, in qua Antiochi illius mors refertur, & gratiarum actio eo nomine Judæis imperatur, à Juda in dignitate jam constituto scripta fuerit quippe cujus nomen cum Senatu ibidem conjunctum legitur, vers.10. *ἡ γερουσία καὶ Ἰούδας*, &c. At tantùm abest, ut ad dignitatem istam evectus fuerit Judas, temporibus Antiochi Magni, ut ejus auspiciis demum res Judæorum administratæ legantur ab anno nono Antiochi Epiphanis, inter quem tamen & Antiochum Magnum intercessit regnum duodecim propemodum annorum Seleuci IV. Philopatoris. Quum verò Antiochus Magnus extinctus fuerit Anno per. Iul.4527. non potuit à Iuda Maccabæo in dignitate jam constituto Epistola illa scripta censeri, eò quod Matathias Judæ Pater moribundus demum præfecerit filiis suis Iudam, anno per. Iul. 4547. anno Antiochi Epiphanis nono.

XXXI. Ad 2. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, demus per *συγχώρησιν*, Antiochum non è vestigio extinctum fuisse, quid inde ad tollendam contradictionem? Satis nobis 2.Macc. 9. post casum illum, &

quidem gravissimum, eum in diros cruciatus incidisse & extinctum dici v.28. ἐν τοῖς ὄρεσιν, *in montanis*, & tamen in Babylonia in lecto eundem mortuum referri 1.Macc.6.16. & quidem ex morbo contracto non è casu, sed ἀπὸ τῆς λύπης, *præ mœrore* v.8. ob Lysiam à Judæis cæsum. Quæ nullâ sophisticâ conciliari possunt. Immò cadaver Antiochi è montanis Philippus σύντροφος ejus detulisse legitur, 2.Macc.9.29. adeoque dici nequit, morbi lethalis initium quidem è casu in montanis ortum fuisse, mortem verò demum subsequutam Antiocho Babylonem delato.

XXXII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Gratis denuò supponi, non probari de diversa templi purificatione utrobique sermonem esse, quod & sine teste asseritur, & sine ratione, quum omnis purificatio præsupponat contaminationem, à prima verò purificatione templum haudquaquam contaminatum legatur. 2. Per *concessionem*, ὑστερώσεις quandoque æquè ac προλήψεις in narrationibus variis dari. Negatur verò talem hic reperiri, cujus nec causa, nec indicium ullum, quale alibi datur. Immò frustra planè & absurdè per ὑστέρωσιν anxiè referretur illud, quod suo loco jam satis superque fuerat relatum.

XXXIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, *quoad numeros* in Scriptis Canonicis quoque quædam reperiri, quæ nobis ἄπορα. 2. Ἀρνητικῶς, tandem esse eorum rationem, quæ opponuntur ex 1.Macc.4. & 2.Macc.11. & 13. & eorum, in quibus diversitas quædam circa numeros reperitur in Scriptis Canonicis, quum ista alia planè habeant κριτήρια ex quibus, ut *argumentis artificialibus*, eorum αὐθεντία possit demonstrari; Apocrypha non item. 3. Adde, non in numeris duntaxat contradictionem hîc reperiri, sed etiam in relatione ipsa historica, quia contradictoria prorsus sunt, eundem locum expugnari & non expugnari, eosdem vincere in eodem prœlio, & tamen vinci, qualia reperiuntur in iis, quæ narrantur 1.Macc.6. & 2.Macc.11. & 13. Nec simile quid ex scriptis Canonicis proferri potest. 4. Denuò gratis supponitur, de diversis prœliis sermonem esse, quod est ponere τὸ ἀμφισβητούμενον. Adde, ex collatione locorum revinci posse, non de diversis, sed de eodem prœlio utrobique agi.

XXXIV. Ad 5. *Exc. Resp.* Gratis denuò supponi, & peti τὸ κρινόμενον, relationes istas de Juda & Nicanore *diversas* duntaxat esse, non *adversas*, adeoque conciliari posse, qnum & *res gestæ* omninò repugnent, & *circumstantia temporis*. quâ gestæ dicuntur. Alia enim prorsus Judæ & Nicanori tribuuntur 1.Macc.7. alia planè 2.Macc.14. Priori loco Nicanor dicitur fraudè & blanditiis adortus Iudæos Hierosolymis vers. 27. ut Iudam in suam potestatem redigeret, vers.29. postmodum verò demum animum convertisse ad vim apertam Iudæis inferendam, vers.31. Nihil verò ejus generis tribuitur Nicanori 2.Maccab.14. sed affectus sincerus in Iudam. Priori etiam loco sanctuarium contaminasse, & Sacerdotes illusisse dicitur, v.33.34. Posteriori nihil mali Hierosolymis patrasse legitur, v.23. Priori describitur ut hostis capitalis Iudæorum vers.26. posteriori alia prorsus persona ei affingitur, quippe qui Demetrii ab Alcimo in se côcitati mandatis demum coactus, in gratiis etiam suis, in Iudæos invasit, v.28.29. &c.

XXXV. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Per συγχωρῶ nullam sanè opppsitionem reperiri, si Satrapa idem regni gubernaculis Regem aliquem admovere, & postmodum ab eodem ad dignitatem vel præfecturam aliquam adhiberi dicatur. 2. Per ἀρνοῦν, in eo contradictionem hîc à nobis constitui, quum in eo constituatur, quod 1.Macchab.6. dignitas & potentia ingens jam ante Antiochi Epiphanis mortem constiterit Lysiæ, quippe qui educationi Antiochi Eupatoris præfuisse, & ea authoritate instructus fuisse legitur, ut eum statim ab obitu patris admouerit regno v.17. Et tamen 2.Macchab.10.11. ne verbum quidem de Lysia habetur, quod eius interventu regnum cesserit Antiocho Eupatori, immò ille ibidem, ut priuatus describitur, & ignotus prius, ab Antiocho verò Eupatore demum evectus, & in dignitate constitutus. Verba enim Græci Scriptoris sunt, οὗτος (nimirum Antiochus Eupator) παραλαβὼν τὴν βασιλείαν, ἀνέδειξεν ἐπὶ τῶν πραγμάτων Λυσίαν τινά. Ista verò inter se arietant.

XXXVI. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Per συγχωρῶν, nihil sanè obstare idem à diversis, diuersis in locis narrari. 2. Per ἀρνοῦν, hoc huc applicari posse, quum 1.Macchab.6.5. immediatè à fuga Antiochi post conatum infelicem de deprædando templo, in Perside nuntium de fusis exercitibus ad illum delatum dicatur, & tamen simul idem dicatur contigisse κατ᾽ ἐκβάτανα. 2.Macc.9.3. Adde, supponi non probari, Ἐκβάτανα sita fuisse in collimitio Persiæ & Mediæ, nec enim metropoles regnorum in finibus eorum condi solent. *Inst. Primo* Maccabæorum libro referri ea, quæ gesta fuêre post peractum facinus ab Antiocho Persepoli; *Secundo* verò ea, quæ gesta fuêre post molitionem ejus in templum extructum Elymaide. *Resp.* κατ᾽ ἢ βίαιον, vel eundem locum utrobique designari, vel non. Si designetur *locus idem*, objectioni superiori suum constare pondus.. Et sanè Geographi quidam contendunt, eandem urbem *Persepolim* dictam Ptolomæo, & *Syras*, & *Elymaidem* aliis; quamvis Elymais ab Elam provincia Persidis dicta quibusdam videatur, adeoque eadem esse, quæ Susa, in qua quippe splendidissimum Dianæ templum donariis pretiosis refertum stetit. Prout verò Susa Susianæ provinciæ metropolis fuit, sic Persepolin Persiæ, Babylonem Chaldeæ, Ecbatana (quæ & Batana *Isidoro Characeno*, & *Curtio* lib. IV.) Mediæ Metropoles fuisse, Geographorum filiis notum. Immò *Strabo* Geographorum præstantissimus lib. XV. Susam 4200. stadiis Persepoli distare refert. Ἀπὸ Σούσων, inquit, εἰς Περσέπολιν στάδιοι τετρακισχίλιοι διακόσιοι. Sic lib.2. utramque urbem distinguit. Susa etiam ad Eulæum flumen extructa fuit; Persepolis verò ad Rhogomanem flumen. Fatendum tamen, Elymaiticam regioenm à Susia distingui à *Strabone*, l.XVI. etsi utramq; conterminam provinciam faciat. Τῇ δὲ Σουσίδι, inquit, ἡ Ἐλυμαΐτις scilicet συνάπτει. Ἐλυμαίους etiam & Σουσίοις bella, ut conterminis gentibus, intercessisse, ibidem docet. Magnum verò semper discrimen inter Elymaidem & Persepolin. Sin designetur *locus diversus*, 2.Macc.9. gravissimo absurdo denuò implicatur posterioris istius Maccabæorum libri Scriptor, quippe qui Persepolin ab Antiocho tentatam dicit, quæ tamen ab Alexandro M. excisa fuerat, & arx ibidem extructa,

exusta, & in cineres redacta, Thaidis prostibuli instigatu, anno Per. Iul. 4384. diu antequam Antiochus Magnus regnare inciperet, quippe cuius initium refertur demum ad annum per. Iul. 4490. *Inst.* Fortè instauratam fuisse urbem illam ab isto excidio. *Resp.* 1. Per συγχώρησιν. instaurari sanè potuisse, & alio nomine censeri. 2. Per ἄρνησιν, sic ab absurdo liberari libros istos, quum urbs Elymais describatur, 1. Macc. 6. 1. 2. ut πόλις ἔνδοξος, auro & argento, & diuitiis abundans, in qua delubrum fuerit opulentum, tegumenta aurea, loricæ & arma, quæ Alexander ibi reliquerit. Adde, tantam ei potentiam adscribi, ut ab incolis illius Rex potens in fugam versus cum dedecore Babylonem repetere coactus fuerit, v. 34. quæ vix tribui possunt urbi recens è ruderibus instauratæ. Qui verò 1. Eadem urbs excisa dici potest ab Alexandro, & tamen ab eodem diuitiis variis dotata? Immò 2. Non tantùm excisam Persepolim ab Alexandro Magno memorant inter Græcos Scriptores *Arrianus*, *Plutarchus*, & *Diodorus Siculus*, inter Latinos *Quintus Curtius*, verùm etiam iste addit, lib. v. suo tempore nondum agnosci potuisse, ubi fuisset Persepolis, nisi ex vestigiis quibusdam ad Araxem amnem, qui non procul à mœnibus fluxerat. *Inst.* Quamcunque urbem Persidis Persepolin nominari posse. *Resp.* Hoc ipsum gratis quoque dici, quum non κοινῶς, sed διακριτικῶς urbs illa designetur nomine isto. Primò enim ingressus dicitur Antiochus εἰς τὴν λεγομένην Περσέπολιν. At si quælibet Persidis urbs alia hoc nomine designari poterat, non magis Elymais intelligenda, quàm quævis urbs alia Persidis. Adde inconsuetum esse Scriptoribus, Περσέπολιν vocare promiscuè quamvis Persidis urbem, & metropolim tantùm hoc nomine designari, sic Persepolim *caput regni* vocat *Curtius* lib. iv. Undequaque itaque irretiti tenentur librorum istorum authores, quum in quamcunque partem se vertant eorum patroni, absurdis variis urgeri possint. De eodem verò *Antiocho*, *Epiphane* nimirum, utrobique sermonem esse, fateri cogitur *Bellarminus* lib. 1. de verbo Dei, cap. 15. quippe qui & filium & successorem habuit in imperio *Antiochum Eupatorem*.

XXXVII. *Sapientiæ* librum accensemus etiam meritò eandem ob caussam scriptis, quæ νοθευόμενα & ψευδεπίγραφα, quum nec ille à contradictione omni absolui possit. Conferat Lector, qui suæ spontis, nec judicium vectigale habet, ea quæ Scriptor iste de statu populi Dei sub Salomone refert, cum iis, quæ de hoc argumento habentur in scriptis Canonicis, & comperiet, quædam ἀδιάμαχα prorsus esse & ἀντιφατικά. Narrat Author Apocryphus, Sap. 15. 14. hostes populi Dei potentiâ suâ in eum abuti, vel *imperare* ei, & quidem *duriter*, ut liquet ex verbo καταδυναστεύειν, quod adhibet Auctor, quum nihil minùs expertus fuerit populus iste sub Salomone immò alia omnia, pacem altissimam, gloriam summam, adeoque principem habuerit re ipsa Salomonem, hoc est pacis, tranquillitatisque conservatorem, 1. Reg. 4. 20. &c. Potest verò hoc commodissimè referri ad tempora *Philonis*, cuius ætate populus Iudaicus Caij Imperatoris fastum & tyrannidem gravem sibi admodum expertus fuit. Adde ἠθικὰ illa & νουθετικά, quæ potissimam libri Sapientiæ partem faciunt, de piorum felici-

tate

tate, impiorum exitio, idolorum origine, vanitate, cultu, de idololatrarum pœnis, de principum officio, & alia id genus, ad *Philonis* ætatem commodiſsimè referri. Auctorem tamen ſcripti iſtius Salomonis ſchema induere liquet, ex cap.9. ubi eodem modo ſapientiam à Deo petit adhuc puer, ut patet ex cap.8.19. & ex cap.9.4.10.11, ut populum juſtè judicare poſsit, & ſic dignus eſſe Throno Patris ſui. Sic non tantùm docet ſe electum regem populi ſui, & judicem filiorum & filiarum ipſius, v.7. verùm etiam addit v.8. Deum ſibi dixiſſe, ut ædificaret ei domum in monte ſancto ſuo, & in ciuitate habitationis ſuæ altare, imaginem tabernaculi ſancti, quod ab initio præparauerit. Sic vix conciliari poteſt cum ſcriptis Canonicis, quod auctor cap.10.15. Judaicum populum vocet, non *populum ſanctum* duntaxat, ſed & *σπέρμα ἄμεμπτον ſemen inculpatum*. Alia longè Prophetarum de Judaico populo, hoſtium poteſtate obnoxio, loquentium *λέξις*. Conſulatur vel ſolum caput 9. Danielis.

XXXVIII. *Exc.* 1. Sermonem non neceſſariò eſſe cap.15. de oppreſsione illa, quam populus expertus fuerit ſub Salomone, ſufficere enim verba Auctoris referri ad molitiones anteriores Ægyptiorum, Philiſtæorum & aliarum id genus gentium, contra Dei populum. Referri etiam poſſe verba illa ad ultima Salomonis tempora, quibus varios illi in idololatriam prolapſo hoſtes Deus ſuſcitaſſe legitur, 1.Reg.11.14. &c. 2 Judæos alibi etiam, quantumvis corruptos, vocari *ſemen ſanctum*, *populum ſanctum*, Hieroſolyma, *urbem ſanctam*. Hoc enim epitheton illis tribui, non ob ſanctitatem *qualitativam* vel *inhærentem*, ſed ob ſanctitatem *relativam*, ſeu *adhærentem*, conſiſtentem in gratia adoptionis in fœdus externum, & in diſtinctione Iudæorum à gentibns aliis.

XXXIX. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*, eſſe ſermonem iſtic loci de oppreſsione populi præterita, non præſente. Probatione anxiâ hîc non opus. Verba ſola Auctoris gloſſemati iſti primo confutando ſufficiunt, *οἱ ἐχθροὶ*, inquit Auctor libri, *τοῦ λαοῦ σου καταδυναστεύοντες αὐτὸν*, quæ utique de præſente populi Dei ſtatu agunt. Vnde & *Vulg. Interpres* reddit, *inimici populi tui, & imperantes illi. Inſt. Enallagen* temporum hîc intelligi poſſe, ut alibi ſœpe, *Reſp. Ἐναλλαγῆς*, hîc cauſam nullam dari ſoldam, alibi dari, & vel ex *materia*, vel ex *ἀλληλουχίᾳ* verborum, vel ex aliis id genus *κριτηρίοις* evinci, hîc non item. 2. Gloſſema allatum æquè falſum, verba nimirum iſta referri poſſe ad ultima Salomonis tempora & ſtatum populi ſub Salomone idololatria. Atqui repugnat tota libri contextura, quæ oſtendit, Auctorem libri iſtius, non tantùm non idololatram fuiſſe, ſed potius in idola & idololatras grauiſsimè invehi, & judicia Dei idolorum cultoribus denuntiare. *Inſt.* Poſſe etiam referri ad tempora reſipiſcentiæ Salomonis, quando ab idolorum cultu receſsit,. *Reſp.* 1. Supponi denuò gratis, Salomonem Auctorem eſſe huius libri, quem patet Græcè primò ſcriptum fuiſſe, & quidem ſtylo ampullato & luxuriante, idque ab homine eloquentiæ ſecularis laudē affectante, & ad gratiam gentis ſuæ ambiente, quippe qui peccata eius paſsim vel ſupparo quodam obducto regit, vel extenuat ſaltem, quæ Scriptores Canonici ſumma cum *παῤῥησίᾳ*

Judæis impingunt. Et ſanè id unum agere videtur, ut & Judæos ſiue ſub Seleucidis, ſiue ſub Romanis potius oppreſſos erigat, & Tyrannis in eos graſſantibus, gravibus admonitionibus paſsim interſperſis, terrorem incutiat. 2. Conceditur, Salomonem reſipuiſſe ſub vitæ finem, quum Scriptura ſatis innuat, eum non plenè defeciſſe à Deo, 1.Reg.11.4.6. & id ipſum etiam ex eo liquere poſsit, quod cultum Dei publicum haudquaquam abrogauerit, nec idololatricum in populo Dei introduxerit publicè, quum idololatricus cultus & ex parte *objecti*, & ex parte *modi* tranſcribatur potiſsimùm Achabo, ex parte *modi* Jeroboamo. Adde, probabile admodum eſſe, Eccleſiaſtem ab eo poſt reſipiſcentiam ſcriptum, in quo & vanitatem vitæ à ſe exactæ repræſentat, deploratque, & ad tranquillitatem cum felicitate conjunctam, in ſolo Dei timore quærendam omnes it excitatum. Idem quoque docet locus 2.Paral.11.17. ubi pii inter Judæos jamdudum à Salomonis exceſſu, dicuntur ambulaſſe *in via Davidis & Salomonis : Salomonis* verò *viam* cum *via Davidis* haudquaquam conjunxiſſet Spiritus Sanctus, ſi alter in Dei cultu & amore, alter in idolorum cultu & Dei odio exſpiraſſet. Immò idem *apodicticè* inferri poteſt ex 2.Sam.7.14.15. ubi Deus caſtigationem quidem interminatur Salomoni, ſed mitem, *virgam hominum*, & *plagas humanas* : addit verò diſertè, *benignitatem ſuam ſe non amoturum ab eo, quemadmodum amoverit à Saule.* Quia ergò benignitas Dei omninò receſsit à Saule, haudquaquam receſſit omninò à Salomone. 3. Negatur, ad tempora reſipiſcentiæ Salomonis referri poſſe librum illum, in quo quippe veſtigia nulla vel peccatorum anteactorum, vel reſipiſcentiæ ſubſequentis, ſed potius ὑποτυπώσεις quædam calamitatis quæ pios, felicitatis quæ impios hac in vita plerumque manet, cum cataſtrophe ſtatûs contrarij aliquando ſubſequuturi.

XL. Ad 1. *Exc. Reſp.* 3. Per συγχώρησιν, nomina affinia titulo illi alibi Judæorum genti in Scriptura Canonica adſcribi, quod vocetur *populus ſanctus*, ſive ob ſanctitatem illam *relativam* & *fœderalem externam*, ſive denominatione inſtituta *à potiori*, non *à majori*, ob pias in Dei populo reliquias. 2. Per ἄμωμον Judæos vocari alibi *ſemen inculpatum*, cum ἐπὶ πάντι, quos Prophetæ potius paſsim concionibus ἐλεγκτικαῖς tot grauiſsimorum criminum & contra primam & contra ſecundam tabulam reos peragunt, præſertim ubi de calamitatibus diuinitùs illis immiſsis ſermo eſt, quarum juſtitiam ob antegreſſa peccata illis ea occaſione ingerere ſolent, tantùm abeſt ut pulvillos genti iſti ſupponant, quæ ex ſe procliuis ſatis erat ad ſuggillationem judiciorum Dei, & ad innocentiæ ſuæ oſtentationem, ut patet ex cap.17. Ezechielis, & aliis id genus locis parallelis. 3. Immò hoc ipſum accedit ad impium illud commentum Judaicum, quo Judæi Iſraelem quendam ἄμωμον in calamitatibus genti toti immiſsis ſibi fingunt, & de eo ſermonem haberi contendunt Eſa,53. non verò de Meſsia : quod commentum ex parte à nobis confutatum, Diſputatione quinta, Theſi ſexageſima octaua.

XLI. In *Eccleſiaſtici* libro quinetiam apparent ſtricturæ quædam ſpiritus vertiginis & contradictionis in eo, quod Auctor libri contradicit

iis quæ

iis quæ de *Sapientia personali* & æterna habentur in libro Proverbiorum, & vel ſciens, vel incautus ſupparaſitatur Antitrinitariis. Docet enim cap. 1. 4. ſapientiam fuiſſe creatam, quod repetit aliquoties cap. 24. 8. ubi eandem loquentem introducit, *Tunc mandavit mihi creator omnium, & qui creavit me, fecit, ut requieſceret tentorium meum dicens, &c.* Et v. 10. *Ante ſeculum à principio creavit me, & in ſecula minimè defectura ſum.* Quum enim ea, quæ ibidem dicuntur de Sapientia, alludant apertè ea, quæ habentur Proverb. 8. de Sapientia æterna & *perſonali*, patet hunc ſcriptorem periculosè loqui, & id affirmare, quod negat Auctor Proverbiorum, ſubſtituendo Arrianorum ἔκτισε pro ἐκτήσατο, ſecundùm textum Hebræum, qui habet קָנָנִי, quod vitium ortum traxit ex depravata LXX. verſione, qui Chaldæus etiam Paraphraſtes concinit, qui pari ratione habet בראני *creavit me*, veteri jam & adulto errore.

XLII. *Exc.* Ea quæ de Sapientia ibidem narrantur, poſſe referri ad Sapientiam creatam, virtutem nimirum Sapientiæ, iſtius verò imperfectionem non obſtare perfectioni Sapientiæ increatæ & perſonalis. *Reſp.* 1. Per συγχώρησιν, poſito, non conceſſo, Auctorem Eccleſiaſtici loqui voluiſſe de Sapientia creata, haudquaquam tamen illius erat, eadem prædicata de ſapientia utraque efferre, & ſic implicare Lectorem eique crucem figere. 2. Per ἄρνησιν, ex collatione enim locorum ad oculum patet, Auctorem Eccleſiaſtici verba Salomonis perperam ad ſapientiam creatam referre, adeoque periculosè diſtinctiſsima ab eo confundi, dum eadem prædicata ſapientiæ *creata* & *accidentali* tribuit, quæ à Salomone tribuuntur Sapientiæ *increata & perſonali*. Conferatur vel ſolus verſus iſte, Prou. 8. v. 22. 23. Κύριος ἔκτισέ με, ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με. Et Eccleſiaſt. 24. v. 14. πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με. Confer etiam loca Prou 8. 32. 33. 34. 35. & Eccleſ. 24. 22. 23. &c. ubi omnia gemina. *Inſt.* Eo ipſo oſtendi, diverſa prædicata Sapientiæ utrobique adſcribi, quod Proverbiorum Auctor neget illam creatam fuiſſe, affirmet verò Eccleſiaſticus. *Reſp.* Κατὰ τὸ βίλον; Eo ipſo graviter peccaſſe Scriptorem iſtum, quod ſive pravam ipſorum LXX. ſive depravatam ab aliis eorum verſionem, ſpreto textu Hebræo expreſſam voluerit, & hac ratione interceſſerit æternitati ſapientiæ perſonalis, eamque indirectè convellat, ſive corrumpendo Hebræam phraſin παρερμηνείᾳ ſua, ſive de ſapientia creata efferendo, ea quæ increatæ propria ſunt, & οἰκεῖα.

Et ſic hac Diſputatione Minorem *Syllogiſmi* generalis *Diſputatione* VI. *propoſiti probatam & vindicatam dedimus, quoad partem ejus* ſecundam contradictoria *nimirum libris Apocryphis contineri*, impia *etiam vel* ſuperſtitioſa *iiſdem contineri, demonſtrabitur, faciente Deo, Diſputatione ſequente.*

AA

DISPVTATIO OCTAVA

Κατασκευαστικὴ,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.

DEMONSTRATVM fuit hactenus disputationibus duabus, libros Apocryphos non esse *θεοπνεύστους*, adeoque nec *αὐθεντικοὺς*, eo quod contineant 1. *Falsa*, 2. *Contradictoria*, quæ duæ erant *partes priores* argumenti *generalis* à nobis propositi ex *natura subjecti* Disputatione sexta. Occupanda jam probatio *partis tertiæ*, & pari ratione demonstrandum, Libros Apocryphos continere vel *impia*, vel *superstitiosa*, vel utraque simul.

II. Quod ipsum probatum imus *inductione* exemplorum è singulis. Quia verò argumentum istud prolixius est, quàm ut una Dissertatione absolvi possit, satis nobis erit hac Disputatione *impietatis* vel *superstitionis* semina eruere, quæ in *Tobiæ* libro latent, & assertiones nostras ab Adversariorum exceptionibus vindicare, reliquorum librorum examine rejecto in Disputationes sequentes.

III. Ad librum itaque *Tobiæ* quod attinet, extant in eo characteres expressi sive *impietatis*, sive *superstitionis* saltem. 1. Dum personatus iste Angelus cap.6. v.5. jubet asservari, & quidem cum cura, cor, jecur, & fel piscis ad flumen Tigrim capti, Tobia juniore postmodum quærente, cui bono ista asservari voluerit, respondet larva illa, vers.8. *Si cui Dæmonium aut Spiritus malus molestus sit, corde & hepate suffitum coram viro vel fœmina fieri debere*, nec tales amplius vexandos, fel verò valere in usus medicos ad curanda oculorum λευκώματα. Experimentum utriusque remedii etiam refertur, *primi*, cap.8.2.3. *secundi*, cap.11.13.14.15. 2. Dum idem Angelus, cap.12.15. se profitetur esse unum ex septem Angelis sanctis, qui preces sanctorum ad Deum deferunt. Vtrumque verò superstitiosum est, immò & impium etiam.

IV. Et sanè remedii prioris propositio contraria est gemino Christi effato. 1. Dum Christus docet Matth.17.21. *aliquod genus Dæmoniorum non egredi, nisi precatione & jejunio*: Auctor verò hic in textu Græco *indefinitè* quodvis dæmonium remedio isto pelli posse profitetur, & Vulgatus Jnterpres audacius *omne genus Dæmoniorum* fumo isto *extricari* notat. 2. Dum Christus docet Matth.12.45. Spiritum impurum, ejectum etiam sæpe, non tantùm reverti, sed & invadere denuò pristinam sedem, cum caterva septem Spirituum adhuc improbiorum, & habitare illic, & fieri ultimam conditionem hominis deteriorem priore. Angelus verò iste apud Tobiam spondet

ſpondet, futurum ut à Spiritu iſto ſemel vindicatus non vexetur amplius ab eo. Adde, ſive ſuperſtitioni, ſive etiam impietati verba iſta ementito Angelo affiĉta patrocinari, adeoque mali commatis eſſe. 1. Quia magicum eſt, & è *Clavicula Salomonis* potiùs, quàm ex Dei ſchola hauſtum, remediis corporeis vim ineſſe contra impetum Dæmonum, qui Spiritus ſunt, & à materię contage omni alieni, quaſi mediis id genus natura merè ſpiritualis affici poſſet, cum in operatione tali nec *contractus* dari poſſit *corporeus*, nec *virtualis*, adeoque nulla in Spiritus efficacia. Magorum verò & incantatorum eſt, ſive characteribus, ſive ſuccis, ſive extis aut viſceribus animalium, ſive verbis, ſive numeris, ſive annulis, ſive aliis id genus ad Dæmones fugandos uti, nec enim niſi ex compacto exit Dæmon ad remedia id genus è corporibus, ut invadat animas, & eas faſcino perículoſiore dementet. 2. Quia hac ratione avertuntur homines à ſolicita vexationes Dæmonum præcavendi & evitandi cura, ſi talia remedia ſufficiant pellendis impuris iſtis hoſpitibus, & eis ſede ſua excutiendis. 3. Quia ſic avertuntur à remediis illis & ſolicito eorum uſu, quæ Scriptura nobis proponit, quippe quæ docet precibus & jejunio ejici Dæmonia, Matth. 17. 21. Sic Petrus teſtatur, ſobrietate vigilantia & firmitate fidei reſiſtendum eſſe Satanæ, 1. Petr. 5. 8. 9. 4. Quia Paulus ad Epheſ. 6. 11. 12. 13. in lucta adverſus mundi & tenebrarum Principes & ſpirituales improbitates quæ ſunt in ſublimi, *armaturam Dei* induendam proponit, quam exequitur verſibus ſequentibus & vel imprimis, verſu 16. ſcutum fidei aſſumendum docet, quo poſsimus omnia jacula mali illius ignita extinguere. Remedia itaque à Scriptura propoſita *heterogenea* planè ſunt à remedio propoſito ab Angelo iſto, & *homogenea* objecto averruncando. 5. Quia ſic vileſcunt miracula Chriſti ejicientis Dæmonia, & ea quæ tum promiſſa Apoſtolis, Marc. 16. verſu 17. tum edita ſæpe ab illis, & à multis aliis Chriſti diſcipulis Thaumaturgis in primitiva Eccleſia, ſiquidem applicatis *activis naturalibus*, & remedio adeò obvio pelli poſſunt dæmonia. 6. Quia ipſi *Scholaſtici* fatentur, nulla corporalia æquare poſſe robur ſubſtantiarum ſpiritualium, nedum vincere. Vnde nihil pati poſſunt Dæmones à talibus. 7. Quia non legimus in Sacris Literis exemplum vel experimentum ullum pulſi Dæmonis vel hoc remedio, vel ullo alio *homogeneo*, quale deſcribitur cap. 8. 2. 3. Tobiam ſumpſiſſe prunam ſuffimentorum, & corde piſcis ac hepate ſuperpoſitis ſuffitum feciſſe, & eo odore percepto dæmonium aufugiſſe, in extremas Ægypti partes, & ab Angelo ibi vinctum fuiſſe, quæ jocularia ſunt, & ad plauſum ciendum apud plebem in pegmate opportuna, haudquaquam verò apud illos, qui habent τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ad διακρίνειν boni & mali.

V. *Exc.* 1. Activitatem rerum corporearum in ſpiritus dari ſine magia, patere exemplo Davidis ſpiritum malum abigentis à Saule cithara ſua, 1. Sam. 16. 24. Sic 2. Reg. 3. 15. ad pulſationem fidicinis ſpiritum Dei irruiſſe in Eliſæum. Sic arreptitios vocari σεληνιαζομένους Matth. 4. 24. eo quod diverſa Lunæ φάσεις, & ex ea humorum incrementum vim habeant ad concitandum ſpiritum malum. 2. *Ioſephum* teſtari, Salomonem divi-

nitus eam rerum naturalium & proprietatum illis annexarum ſcientiam conſequutum fuiſſe, quæ adverſus Dæmones etiam efficax eſſet. Eundem incantationes etiam compoſuiſſe, quibus pelluntur morbi, & conjurationum modos ſcriptos reliquiſſe, quibus cedentes Dæmones fugentur, & quidem ita, ut inpoſterum nunquam revertantur. Antiquit. lib. 8. cap. 2. Addit ibidem *Ioſephus*, hoc ſanationis genus in ſua uſque tempora viguiſſe, & exemplum ſubjicit Eleazari cujuſdam qui in præſentia Veſpaſiani & Filiorum ac Tribunorum reliquorumque militum multos arreptitios curavit, idque admoto annulo naribus Dæmoniaci, ſub cujus ſigillo incluſa fuerit ſpecies radicis à Salomone indicatæ, ad cujus olfactum per naſum extractum fuerit Dæmonium, & adjuratum ne rediret amplius. 3. *Nazianzenus* teſtatur Oratione 3. in Iulianum, Apoſtatam iſtum ſummo terrore perculſum crucis ſigno fugaſſe Dæmones. Sic ex *Photio* conſtare N. CCCCLXXXIV. τῷ σταυρῷ τῷ τύπῳ à *Iuſtino* χαλεπωτάτους etiam τοὺς δαίμονας victos fuiſſe & fugatos. 4. Remedia etiam alia naturalia Dæmones fugare, ſuffumigationem ex ligno aloe, ex ſulphure, hypericone, ruta, cornibus & fimo caprino, balneis, & aliis id genus. His accenſendam radicem (quæ ſquilla vel ſcilla multis eſſe videtur) cujus effodiendæ modum tradit *Ioſephus*, lib. 7. de bello Iud. cap. 25. 5. Sic *Corn. Agrippam* lib. 2. de occulta Phil. cap. 7. tradere, ſuffitum conflatum ex felle canis nigri in his maximè præſtare tam ad expiandum Dæmones malos quàm maleficia ubicunq; fuerint. Nec verò id mirum videri debere, Deum enim propter ſuperbiam Dæmonum ad eos humiliandos tantam vim tribuiſſe creaturis etiam corporalibus, ut poſſint facere impreſſionem in incorporeas. 6. Sic in animas etiam noſtras vim eſſe rebus corporeis, mirum itaque non eſſe in Spiritus malos etiam a rebus corporeis impreſsionem aliquam fieri. 7. Poſſe etiam dici, ſuffumigatione illa pulſum fuiſſe Dæmonium, non in *ratione cauſæ*, ſed in *ratione ſigni*, non quaſi virtus vel cauſalitas aliqua fuerit in fumo iſto ad expellendum Dæmonium, ſed quod ad hoc ſignum receſſerit, fumum enim illum ex igne procedentem deſignaſſe virtutem Orationis Tobiæ Iunioris & Saræ, cujus merito pulſus fuerit ſpiritus impurus. 8. Non tam ſuffumigationi iſti quam Angelo Raphaëli ejectionem Dæmonis iſtius tranſcribendam eſſe, à quo in deſertum compulſus fuerit, ibidemque vinctus. Hinc actionem iſtam totam tribui Raphaëli, cap. 8. 3. 9. Totum hoc remedium etiam *myſticum* fuiſſe, præfiguraſſe enim virtutem Chriſti (qui ἰχθὺς *piſcis* dictus fuerit jam olim à Veteribus *Auguſtino Tertulliano*, *Proſpero*, aliis) per quam & dæmonia ejicienda fuerant, & cæcitas pellenda. 9. Si igne etiam infernali afficiantur & torqueantur Dæmones, mirum non eſſe, eos affici poſſe rebus materialibus aliis. Sic animas impiorum eodem igne torreri, quamvis ſint ſpiritus. 11. Sacramenta materialia poſſe elevari, ut fiant vehicula gratiæ ſpiritualis, mirum itaque non eſſe, ſpiritualia poſſe etiam eſſe ſuſceptibilia corporalium. 12. Paſsiones gaudii, doloris, triſtitiæ, & alia id genus cadere in ſpiritus, nihil ergo obſtare, quominus à rebus corporeis etiam afficiantur.

V I.

VI. Aliud verò est, regère τὰ πολλὰ, aliud τὰ κύρια Ad 1. *Except. Resp.* 1. Per συγχώρησιν: Activitatem aliquam rerum corporearum in spiritus dari, sed *indirectam* duntaxat & in spiritus tantùm qui *incompleti*, & conjuncti cum materia, sive *informantes* corpus organicum, & quà considerantur ut tales. 2. Per ἄρνησιν, activitatem istam rerum corporearum dari in spiritus abjunctos ab omni materia, & quorum esse completum. 3. Exemplum à cithara Davidis ἀπροσδιόνυσον est, præterquam enim quod quidam censent, spiritum illum fuisse morbum quendam atrabilarem, qui in furorem & rabiem agit eos quos occupat, & eadem in illis symptomata ciet, quæ Spiritus malus in arreptitiis, quæ interpretatio *Iosephum* Authorem habet, qui docet lib. 6. Antiq. cap. 9. Saulem occupasse τὰ δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμὰς αὐτῷ καὶ σπαραγμὰς ἐπιφέροντα: Supponitur gratis, Spiritum malum instrumento musico ejectum fuisse è Saule, quum sic impetus tantùm ejus ad tempus sedatus fuerit, cujus rei causa dari potest, *naturalis* una *moralis* vel *mystica* altera. *Naturalis* quidem, quia cum dæmones agant in homines *applicando naturalia activa passivis*, utuntur concitato & effervescente humore melancholico in corpore, mœrore etiam & tristitia ad vexationem arreptitiorum. Quia itaque Musicæ harmonicæ mira vis inest ad delectandos & demulcendos animos, pellendumque mœrorem, & ejus interventu sedantur humores, minus virium est, remedio isto adhibito, dæmoni agitandi & concitandi arreptitios. Hinc quia paroxysmus vel nullus vel minor erat in Saule, ad pulsationem instrumenti Musici à Davide facti, videbatur recessisse Spiritus malus à Saule, mente videlicet ejus per Musicam istam avocata à rerum terribilium consideratione. *Causa moralis* accedit vel *mystica*, Spiritum illum malum non Davidis cithara, sed sanctis hymnis, Psalmis & precibus, quas dubio procul aptabat ad pulsationem fidium, fugatum fuisse, quæ verum sunt ἀλεξιφάρμακον fugandis Spiritibus malis opportunum, prout medicinam illam ἱερῶν ᾀσμάτων opus facit *Basilius* Hom. 24. ad juvenes. Adde, Deum voluisse sua virtute Dæmonis impetum ad citharæ Davidicæ pulsationem sistere, ut hac ratione David gratiosus fieret, apud Saulem, & sic via strueretur ad promotionem ejus, donec ad destinatum ipsi fastigium evaderet. Peccatur itaque *Elencho non causæ*, quasi citharæ, vel pulsationi fidium per se vis ulla foret in Spiritus malos. Quanta cæteroquin Musicæ vis sit ad concitandos leniendosque animos declarat eximiè *Basilius* eadem Homilia ubi docet: Timotheum quendam Musicum ita animos Auditorum suorum in potestate habuisse, ut si quando contentiorem austerioremque harmoniam ederet, iram illis moveret, sin remitteret tonum, componeret animos, & tanta quidem vi, ut Alexandrum ipsum in medio convivio ad iram, Phrygiis modis concitaret, & rursus ad convivium placidum & compositum reduceret tono remissiore. Et paulò post docet: Pythagoram aliquando in nepotes incidisse comessantes, & tibicinem Dorium modum convivis occinere jussisse, eosque exsiluisse, & corollas, quibus redimiti erant, abjecisse. Quantum cæteroquin in genere tonis Dorio, Phrygio,

Lesbio & Lydio hîc tribuerint Veteres & *Aristoteles* docet lib.8. Politicorum,& *Plutarchus* lib. de Musica.

VII. In exemplo etiam Elisæi, 2.Reg.3.15. peccatur *Elencho parium*, adeoque *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Aliud enim est, remedium aliquod naturale habere vim in *spiritum assistentem*, aliud in *spiritum informantem*, sive animam cum corpore colligatam. Istud sana ratione subnixum est; illud non item. Istud etiam hoc exemplo docetur, non illud. *Inst.* Musicam non tantùm vim aliquam habuisse in *spiritum informantem*, sed etiam in *spiritum assistentem*, Psalte enim canente Spiritum Domini irruisse in Elisæum. Non verò magis mirum esse, Spiritum malum pelli remedio aliquo naturali, quàm allici Spiritum bonum. *Resp.* 1. Peccari *in thesi*, Spiritum bonum allici remedio aliquo naturali, quod πρῶτον ψεῦδος. 2. *In hypothesi*, ullam Musicæ Elisæo admotæ vim fuisse in Spiritum Propheticum, peccatur enim *paralogismo non causa*, nec enim Musica ista causa fuit *attractiva* Spiritûs, sed tantùm *dispositiva subjecti* receptivi spiritûs istius, amovens impedimenta, quorum præsentia contraria erat præsentiæ Spiritus Dei, & disponens animum ad lumen cœleste melius excipiendum. Notum, curas & solicitudines humanas occupare animum, & eum arcere à contemplatione rerum spiritualium. Id ergo quod animum vacuum reddit à curis talibus eundem expedit à vinculis quibus irretitur, & liberum reddit, ut possit contemplari commodius spiritualia & cœlestia. Quum itaque hoc præstet Musica, non mirum eam hic adhibitam ab Elisæo, & à Prophetis aliis, 1.Sam.10.5. Adde, ut in aqua tranquilla excipiuntur & reflectuntur imagines velut in speculo, in aqua turbata & commota non item; pari ratione animus commotus & turbatus ab objectis externis haudquaquam aptus est ad excipiendum & reflectendum lumen cœleste. Vt etiam vas plenum capax non est liquoris novi, nec sensorium novi objecti, occupatum speciebus aliis, & defixum in objecti alterius contemplatione: sic comparatus est animus noster, plenus sui vel mundi, Spiritui Dei non patet, vacuus patet. Hæc causa fuit, cur Spiritum Propheticum excepturi Musicam adhibuerint quandoque, quandoque etiam captarint somnum, quo animus etiam tranquillatur & componitur, abstrahiturque ab objectorum externorum contemplatione. Hinc *somnia* conjunguntur cum *Prophetia & visionibus*, ut quando *filii* dicuntur *vaticinaturi*, *senes somniaturi somnia*, *& juvenes visuri visiones*, Ioel.11.28. Hinc in somno Deus apparere voluit Iosepho & Magis, Pharaoni etiam & Nebucadnezari, mente tunc abstracta à contemplatione objectorum externorum, adeoque tranquilla & sine contradictione excipiente influxum cœlestem: Vt verò somnus non potest dici habere vim ad conciliandum spiritum propheticum, quamvis tum animus aptus reddatur ad eum excipiendum; sic nec Musica, quamvis ad ejus harmoniam & numeros componatur animus, & revocetur à curis externis. Eadem etiam causa inter alias adferri potest, cur in Jacobum & Mosen moribundos illapsus fuerit Spiritus propheticus; quia nimirum illi tunc maximè erant abstracti à rerum terrenarum & sensibilium sive

con-

contemplatione, ſive amore etiam & cura. 3. Peccatur quinetiam *Elencho à dicto ſecundùm quid*, aliud enim eſt, muſicam ſpectare ſecundùm *formale* ſuum, ſecundùm numeros, harmoniam, ſonos: aliud, eam ſpectare ſecundùm *materiale* ſonis, & numeris illis expreſſum: priori nulla cum ſpiritu vel motu prophetico connexio, ſed poſteriori tantùm, quando nimirum hymni divini & cœleſtes aptantur ad numeros & hac ratione adhibito iſto concentu harmonico potenter imprimuntur animo, & in illum velut illabuntur altius pro vi illa quam muſica habet ad concitandos animos noſtros. Vt itaque precibus quandoque impetrabant lumen propheticum, ſic & hymnis ſacris adhibitis, & mente potenter commota, & ad Deum velut elevata per muſicam illam ſacram, qua nihil aliud ingerebatur animis, quàm Dei laudes & ſancta vota. Non mirum verò in cæleſtem animam cœleſtibus occupatam illabi ſpiritum Dei. Ad hanc interpretationem nobis præit *Theodoretus* Interrog.12. in 4. Regum: dum oſtendit, Pſalmiſtas iſtos fuiſſe *Levitas*, qui ex inſtituto Davidis citharis, Pſalteriis, cymbalis, & aliis id genus inſtrumentis uti conſueverant, nec hoc tantùm, ſed & τῇ πνευματικῇ τοῦ Δαβὶδ μελῳδίᾳ, hoc eſt, Pſalmis Davidicis. Ex hoc verò ordine hominum Deo ſacrorum, adeoque ſacros hymnos intonantium, aliquem à Propheta accerſitum fuiſſe notat *Theodoretus* ibidem. Hac interpretatione admiſſa, patet, & Spiritum malum hymnis ac precibus à Davide ad numeros muſicos compoſitis pulſum fuiſſe, & animum Eliſæi iiſdem mediis diſpoſitum ad excipiendum Dei ſpiritum. Hæc etiam inter alias cauſa fuit Pſalmorum & hymnorum ſpiritualium jam olim in Eccleſiam Apoſtolicam introductorum, Col.3.16.

VIII. Exemplum ab arreptitiis qui σεληνιαζόμενοι vel *lunatici* dicuntur, urgere, eſt ἐκ τῶν ἑπομένων τινῶν. Peccatur enim *Elencho parum*, & *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, aliud enim eſt, Spiritus malos uti, ut aliis *naturalibus activis & paſſivis*, ſic incremento etiam humorum in corporibus æſtuantium, quos Lunæ lumen pro diverſa φάσει ſua modò fundit, modò auget, modò proritat, unde Epilepticos in pleniluniis & interluniis variè affici Medicorum filii docent: Aliud verò eſt, rem aliquam naturalem vim habere ad pellendum Spiritum malum. Prius lunaticorum exemplo docetur, non poſterius. Nec ſi ſpiritus mali vim habent in res naturales, iſtæ vim reciprocam habent in Spiritus. Adde Matth.4.24. σεληνιαζομένους diſertè diſtingui ab *arreptitiis* qui vocantur ibidem δαιμονιζόμενοι, quamvis in σεληνιαζομένοις, Satan comitiali morbo (qui ex ſpuma & caſu eorum colligi poteſt, Matth.17.16. Marc.9.15.) abuſus fuerit ad ſcelus ſuum.

IX. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. *Per Negationem*: Incantationes ejuſmodi à Salomone unquam dictatas, vel carmina compoſita ſive morbis, ſive dæmonibus pellendis. Vel enim id factum à Salomone adhuc vero Dei cultore, vel à Salomone jam idololatra. Si *poſterius*, quod videtur *Thomæ*, & aliis poſt ipſum, culpari debet, probari non item. Si *prius*, graviſsimè peccavit in legem, Deut.18.10.11. & aliis ad magicas artes prævivit, quod alienum

à sapientia illa, quæ erat à Deo instructus. Nec *Iosephi* contrarium asserentis authoritas tanti. 1. Quia id ἄγραφον, at quum Scriptura meminerit exactè scriptorum & *Ethicorum* & *Physicorum* Salomonis, *sententiarum* nimirum & *Canticorum* ejus, & *quod loquutus fuerit de plantis à cedro usque ad hyssopum, de jumentis, volucribus, reptilibus & piscibus*, an credibile Spiritum Sanctum ἐπῳδὰς illas & τρόπους ἐξορκώσεων, quibus pellerentur & morbi & dæmonia, fuisse dissimulaturum? 2. Hoc ipsum αὐτόγραφον est & contra Legem, Deut.18.10.11. & alia id genus, & contrarium verbis Christi, Matt. 17.21. 3. Adde id ἄλογον esse, sic enim & miracula reddita fuissent ordinaria, & ea quæ à Dei Prophetis populo percellendo facta fuêre, minus mira, & non rima sed porta aperta fuisset incantationibus & imposturis. 2. *Per concessionem*, Eleazarum quendam coram Vespasiano curasse arreptitios multos. An verò ob id sequitur. 1. Artem illam à Salomone ortam? quod πρῶτον ψεῦδος. 2. Artem illam bonam fuisse ac licitam? Atqui imposturam meram sapit illa ipsa scena, quam instruit *Iosephus*, dum ostendit Eleazarum illum admoto annulo, qui inclusæ erant radices ostensæ à Salomone, naribus dæmoniaci ad earum odorem extraxisse dæmonia & quidem διὰ τῶν μυκτήρων *per nares*. Quod joculare & histrionicum. 3. Adde, *Iosephum* ibidem referre, Eleazarum istum adjurasse dæmonem ne rediret. At dæmonem semel pulsum sæpe reverti patet ex Matth.12.45. 4. Ea etiam quæ adduxit *Iosephus* ibidem, ostendunt, impostorem istum fuisse ex cercopum cœtu, & Elymæ ac Simoni supparem: Narrat enim, Eleazarum istum ut ostenderet, eam quam in dæmones haberet potestatem (ὅτι τοιαύτην ἔχει τὴν ἰσχύν) poculum vel ahenum aqua plenum coram spectatoribus suæ artis constituisse, & jussisse dæmonium ab arreptitio ejectum id subvertere, ut constaret omnibus de ejectionis istius veritate. An verò sancti Dei viri in veris etiam miraculis vim aliquam sibi unquam adscripsêre? vel inane & inutile dedêre experimentum suæ artis ad pompam & ostentationem? Fuit itaque Eleazarus iste non Salomonis, sed Sathanæ discipulus, & ex numero circulatorum illorum & exorcistarum inter Judæos, de quibus sermo Actor.19.13.14. quos pro merito tandem excepisse legitur ibidem dæmon. Et sanè institutum istud herbis, suffitu, nodis & vinculis, & aliis id genus remediis dæmones adoriri, non à Salomone, sed à gentilibus ad Judæos traductum fuisse ostendit *Iustinus Martyr* Dialogo cum Tryphone Judæo. Quibus Iudæi addebant adjurationes per nomen *tetragrammaton*, & per nomen Dei Abrahami, Isaaci & Jacobi, ut patet ex Origene lib.4. contra Celsum. *Inst.* Impuros tamen Spiritus ab Eleazaro ejectos legi, adeoque vim fuisse radici adhibitæ ad eorum ejectionem. *Respond.* Peccari *paralogismo non causæ*, nec enim liberationis istius causa fuit vis in radice hærens, sed assensus dæmonis, nec illa ejectio propriè dicta fuit, sed retrocessio tantùm dæmonis, curata non *per imperium*, sed *per consensum*, prout Spiritus impuri cedunt quandoque ad exorcismos in Papatu è corporibus, ut invadant animas, & pro uno arreptitio occupent & dementent innumeros præstigiis superstitionis. Sic simulat se Sathan captum

ut capiat

ut capiat, vinctum ut vinciat, subditum imperio alieno, ut exerceat proprium.

X. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, vel *Ignoratione Elenchi*. Quæstio est, an causis naturalibus, v.g. cordi & hepati piscis vis insit ad pellendos Spiritus malos. Exemplum verò à cruce petitum referri debet ad *causas morales*, quarum alia ratio. 2. Peccatur *paralogismo non causæ*, quasi vel cruci *materialiter* consideratæ, vel signo crucis ulla insit vis ad fugandum dæmonem, quod nec *Nazianzenus* docet, nec ex *Photio* constat: aliud enim est, Christi crucifixi virtute pelli dæmonem, aliud, virtute signi crucis id fieri. Non diffitemur in Ecclesia primitiva signo crucis sæpe usos fuisse Veteres, tum ut ostenderent Paganis, crucem Christi sibi haudquaquam probrosam videri, tum ut indicarent hoc symbolo, fiduciam omnem suam in Christi cruce repositam esse, tum ut designarent, maledictionem ab hominibus averti, benedictionem contra converti in capita nostra per unam Christi crucem, hoc est, per virtutem unius Christi crucifixi. Occupatum itaque id à Christianis, abstergendis Gentilium & Judæorum contra crucem Christi sannis, quam ut hi depressum, sic illi contra magis exaltatum iuêre. Hinc mos vetus frontem cruce signandi, & benedictionem crucis signo, velut tesserâ Christianismi, impertiendi. 3. Exemplum *Iuliani* quod apud *Nazianzenum* extat στηλιτευτικῷ III. in Iulianum, Numer. 54. 1. Vt aliena fide & à pluribus relatum producitur, non ut à *Nazianzeno* pro certo creditum. 2. Non probat, *causam* aliquam *naturalem* vim habere in dæmones. 3. Non docet, vim aliquam esse crucis signo ad pellendos spiritus, sed hoc duntaxat, si vera sit narratio ista, quæ fabulam sapere videtur, Deum voluisse signo crucis bis à *Iuliano* adhibito malos Spiritus compescere ad confusionem majorem Juliani, si in Christianos pergeret furere, vim crucis Christi opportunè bis expertus. Immò videmus à malis etiam in nomine Christi quandoque ejectos fuisse dæmones, Matth. 7.22. Deo testimonium perhibente Majestati Christi.

XI. Nec exemplum ex *Photio* (quod N. 184. non 484. ut habet perperam *Petavius* Animadvers. ad Hær. 30. Ebionitarum ad Epiphanium, qui nequicquam talia contra eruditissimum *Casaubonum* ibidem urget) appositum. Tota enim ista narratio Eudociæ de Cypriano & horrendis ejus per magicas artes præstigiis suspecta est; Et quamvis quidam ex Veteribus Cyprianum Carthaginensem Episcopum magum & dæmonum cultorem ante conversionem fuisse tradant, tamen nec *Hieronymus* sive *Gennadius* in Catalogo virorum illustrium ejus rei meminêre, nec *Pontius Diaconus* qui individuus Cypriani comes fuit, & vitam Cypriani prolixè descripsit, nec multi alii. Nec is qui à *Photio* ibidem commemoratur Cyprianus esse potest, qui cum Justina. (lib. 3. Eudociæ) martyrium passus fuisse dicitur, quum id factum dicatur Diocletiano & Maximino imperantibus, idque in Bithynia Nicomediæ ad flumen Gallum, cum Cyprianus Carthaginensis martyrii coronam adeptus fuerit iam ante sub Imperatoribus Valeriano & Gallieno circa annum Christi

BB

258. secundùm alios 261. idque Carthagine in Africa. Probabile itaque Cyprianum alium Nicomediensem à Photio ibidem notari. Adde, dæmones illos dici ἠχρισμένους καὶ τετιμημένους τῷ σταυρῷ τῷ τύπῳ, non quod signo crucis fugati fuerint, vel illius virtute, sed virtute Christi crucifixi cordi Justinæ impressi, sed τύπος propriè crucis nota est quam impressit subjecto impetus ἐπιτιθέντος vel τῆς τυπώσεως. Exemplum itaque istud alienum planè à vi causarum naturalium in dæmones, & peccatur *Elencho parium.*

XII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, vel suffumigationibus illis, vel radicibus, vel succis, vel aliis id genus remediis quicquam virium esse ad fugandos dæmones, non magis quàm cordi & hepati piscis euiscerati à Tobia. Nec talibus dari potest activitas in Spiritus subsistentes, & à materiæ contage alienos, quum talia non possint agere nisi per qualitates suas, sive primas, sive secundas, quibus non magis affici possunt spiritus illi, quàm corpus aliquod qualitatibus spiritualibus. 2. Nihil fabulosius illis quæ de radice ista refert *Iosephus* l. 7. de Bell. Iud. cap. 25. eam accedentibus, & evellere cupientibus se subducere, nec sisti nisi impurissimo liquore superfuso. Immò mortem tangenti inferre, nisi manu suspensa geratur ei gemina: item ab illa radice religandum esse canem à quo evellatur, sed dispendio canis, tantam verò ejus vim esse ut admota solùm ægris Spiritus malos pellat. Febriculosa ista & commentis Rabbinicis adnumeranda. 3. Cornelij Agrippæ Philosophiam occultam præstaret occultiorem esse, & quæ de aqua marina, myrrha, verbena, & felle canis nigri ab eo commemorantur, lib. 3. de Phil. occ. cap. 53. magicam vim habere possunt ex compacto cum malo Spiritu, naturalem verò vel supernaturalem non item. Gemina sunt illa quæ de alligatione dæmonis per ceram & filium docet *Psellus*: De urtica, Chalcedonio lapide, & millefolio *Albertus Magnus* lib. de Viribus gemmarum, herbarum, &c. de corde talpæ, chelonia, verbena, Hyænæ fistula, chamæleontis cauda, intestinis, & aliis id genus refert *Plinius* libro 30. capite 3. lib. 25. cap. 9. & 28. 8. & 37. 9. qui bene notat, magicum hoc esse, Magos enim affinxisse quasdam vires herbis & gemmis & aliis creaturis, *Agrippa* ipse cap. 48. Vanit. Scient. & Magicos istos libros à se juvene scriptos profitetur, & curiositate ac vanitate à se peccatum agnoscit, & candidè talia retractat, & id tantùm se profecisse gloriatur, quod sciat quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. 4. Petitur id quod est in quæstione, Deum vim istam tribuisse rebus corporeis in dæmones, quod dicitur non docetur. Est verò hoc ipsum τὸ ἀμφισβητούμενον. Nec verò humiliandis dæmonibus pœnam istam deputatam Scriptura docet, sed ejectionem ex loco originis suæ, catenas caliginis, & alia id genus. Nec superbia Dæmonum à Deo castigatur vel reprimitur quovis modo, quem comminiscuntur homines, sed illis tantùm quos decrevit Dominus. Immò superbiæ illorum multa permittuntur quæ patrant in homines. Nec ea magis coerceri, vel invidia eorum magis accendi posset, quàm si hominibus promiscuè vis daretur in dæmones, quorum felicitate maximè

utun-

utuntur, quod tamen haudquaquam fieri notum est. Ejusdem verò commatis est ratio quam producit *Gulielmus Parisiensis* cap.21. par.2. ubi docet à pæonia & remorsa malos spiritus fugere, eo quod malignis spiritibus sint odiosæ res omnes quæ salutares sunt hominibus, pæoniam verò multas habere virtutes & magnas, hominibus necessarias. Sic enim & innumera alia fugere deberet dæmon, quod haudquaquam fieri compertum est, immò ab hominibus maximè recederet, quos maximè odit, si ab eo recedere supponatur, quod ipsi odiosum est.

XIII. Ad 5. *Exc. Resp* 1. Peccari *Elencho parium, & paralogismo* παρὰ τὸ ὁμώ-νυμον, alia enim ratio animarum nostrarum, quæ sunt *Spiritus informantes, incompleti*, & cum corporibus colligati, alia dæmonum qui sunt *Spiritus subsistentes completi*, & à concretione materiæ alieni. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Falsum enim, impresiones fieri à rebus corporeis in animas, nisi quatenus illæ in corpus & organa corporea agunt, quibus utitur anima ad operationes organicas & mixtas obeundas, adeoque non attingunt animam *quà est*, sed *quà informat* & agit, intercedendo *operationibus organicis & mixtis*.

XIV. Ad 6. *Except. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Non entis enim nulla accidentia, adeoque nec suffumigatio ista sive in *ratione causæ*, sive in *ratione signi* quicquam momenti habuit ad pellendum dæmonem. 2. Si suffumigatio ista signum fuit, vel fuit *naturale*, vel fuit *supernaturale*: Non *naturale*, ut notum, quia sic non magis fumus ex corde & hepate certi piscis signum esse potest precum, quàm quivis alius: Nec *supernaturale*, quia ejus nec institutio dari potest nec fundamentum ullum. 3. Gratis denuò supponitur, fumum istum designasse preces Tobiæ & Saræ. 4. Adde, Scriptorem Tobiæ nihil quicquam de precibus utriusque & earum vi tradere, sed tantùm de vi mera cordis & hepatis istius piscis ad fugandū dæmonem. 5. Ex textu evidentissimum, *effectum* istum, h. e. fugationem dæmonum adscribi suffumigationi illi *ut causæ*, non *ut signo*, cap.6.9. *Cor & hepar istud, si quem turbet dæmonium, aut Spiritus malus, ea adole coram viro aut muliere illa, ac minime turbabitur amplius.* Idem patet ex verbis sequentibus immediatè, *Felle inunge hominem qui habet albugines in oculis suis, ita curabitur*: Ut enim illitio oculorum felle istius piscis non intercessit albugini, vel illam curavit in *ratione signi*, sed in *ratione causæ*, quum nulla analogia detur inter utrumque, & verba Scripturæ disertè loquantur non de signo, sed de remedio; sic suffumigatio prior eandem habet rationem in ordine ad effectum priorem. 6. Stolidum est & ineptum, orationi Tobiæ affingere meritum, præterquam enim quod ullum dari posit in ullo creaturæ actu meritum (quum omnis actus bonus sit & debitus, & ex mera gratia præstitus, & quidem longè infra debitum) minus dari potest in oratione, quum ne hominūm quidem preces ad homines dici posint meritoriæ. Immò eo ipso quo oratione & precibus aliquid impetrare conamur ab alio, eo ipso testamur, nos, id quod petimus, haudquaquam nobis deberi, censere. 7. Adde, ea quæ rationem habent signi in præsens, non obstare, quo minus in futurum effectus aliquis consequatur

contrarius. At hîc profitetur Scriptor libri Tobiæ, ne in futurum quidem reverti dæmonem hoc fumo pulsum. Immò κατὰ τὸ βίαιον, si ne orationis quidem tanta vis est ad fugandos dæmones, ita ut nunquam revertantur, minus talis esse potest signo mero orationis, fumo nimirum & aliis id genus. Immò ne oratione quidem semper pelli possunt dæmonia, ut patet ex exemplo Pauli, 2. ad Corinth. cap. 12. ℣. 8. qui ter rogavit Dominum, ut à se abscederet Angelus Sathanæ, à quo colaphis cædebatur, nec tamen id è vestigio impetrare potuit, sed contentus esse debuit Dei gratiâ.

XV. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν, demus, Angelo Raphaeli tribui totam istam actionem fugationis dæmonis cap. 8. 3. quid hoc ad locum qui extat cap. 6. 9. ubi tota adscribitur suffumigationi ex corde & hepate piscis institutæ, nulla prorsus facta mentione Angeli? Contradicit itaque sibi ipsi Author iste splendidè. 2. Per ἄρνησιν, falsum enim, ejectionem dæmonis adscribi Angelo cap. 8. 3. ligatio quidem dæmonii in deserto adscribitur ibi Angelo, sed ejectio ipsa suffumigationi. Verba Scriptoris sunt: *& accepto cinere thymiamatum impositum cor illius piscis & hepar adolevit: Quem odorem quando sensit dæmonium, abiit in superiorem Aegyptum, & ligavit eum Angelus.* 3. Κατὰ τὸ βίαιον si Angelo ista ejectio in solidum adscribenda est, cui bono cor & hepar piscis asservare jubetur Tobias, & in hunc quidem usum, ut fumo isto ejiceretur dæmon, cap. 6. cur cap. 8. etiam adolet ista, & cur ibi ad odoris perceptionem dæmon abiisse fingitur, cap. 8?

XVI. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, & poni τὸ ἀμφισβητούμενον: Remedium istud mysticum fuisse & præfigurasse meritum Christi. Non entis enim nulla accidentia. Contrarium dicitur, non docetur. 2. Allusio ista piscis ad Christum frigida est & jejuna: ἰχθὺς sanè Christus Veteribus quibusdam dictus, ob ἀκροστιχίδα Sybillæ Erythreæ sive Cumanæ affictam, quæ exprimit istum Servatoris titulum Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, Σωτὴρ, quod contractè reddit nomen ἀκρογώνιον, ἰχθύς. Vide appendicem Bibliothecæ Patrum, *Tertullianum* libro de Baptismo, & *Augustinum* lib. 18. de Civit. Dei cap. 23. Cujus allusio ibidem frigida est: Christum in isto nomine mysticè intelligi, *eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, h. e. sine peccato esse potuerit.* Quæ sunt infra judicium tanti viri. Nota etiam gemina Cabbala Iudaica ex ἰσοδυναμίᾳ literarum in משיח *Messias*, & נחש *Serpens.*

XVII. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν. Ponamus, Dæmones affici igne infernali corporeo, peccatur tamen *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ob id illos affici quibusvis activis corporeis, & sigillatim corde & hepate piscis alicujus. Posset enim dici, prius fieri. 1. Quia Scriptura id disertè testatur, Matth. 25. & Apoc. 20. 2. Quia miraculo ignis supra naturam suam à Deo elevari potest per *actum moralem* judicij, singulari planè ratione & nobis ignota. Idem verò de aliis activis naturalibus inferri non debet, quum nec Scriptura id doceat, nec elevatio illa aliorum activorum naturalium supra naturam suam probari possit. 2. Per ἄρνησιν, probatur

enim

enim incertum per æquè incertum, nec enim constat, an dæmones igne materiali ustulentur. *Augustino* quidem id ita visum, & post ipsum Scholasticis, eo quod censuerit ad morem Platonicorum, dæmones corpora habere subtilia ex aëre conflata. Quod fundamentum falsum. Præstat verò longè ἐπέχειν cum eodem *Augustino* super hoc argumento lib. 20. de Civ. Dei cap. 16. ubi inquit: *De eo igne cujusmodi sit, & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit:* vel dicendum est, Scripturam in designandis dæmonum pœnis nobiscum balbutire, & quum maximas & intensissimas & atrocissimas concipi à nobis velit, eas describere per *ignem*, per *fornacem*, per *stagnum ardens sulphure*, & alia id genus, quæ nobis atrocissima & maxima videntur supplicia. Ducitur itaque argumentum à *figurato* loquendi *genere* ad *proprium*, adeoque *mutatur genus prædicationis*. Rationes ejus rei hæ sufficere possunt. 1. Scripturam diversis planè loquendi formis in hoc argumento uti, quæ designant diversos planè cruciatus: Non ergo speciem certam; Interdum enim *Gehennæ* mentio fit, Marc. 9. 43. interdum *stagni ignis & sulphuris*, Apoc. 19. 20. & 20. 10. ubi alludit Scriptura *priori* loco horrendum illud sacrificii & supplicii simul genus, quo ustulabantur miseri infantes immolandi Molocho, intra brachia statuæ candentis; *posteriori* respicit lacum Asphaltiten, sive mare mortuum, in quod amœnissima Sodomitarum & conterminarum urbium regio conversa fuit, inde à destructione urbium istarum, de qua sermo, Gen. 19. quod planum ex collatione historiæ quæ habetur Genes. 19. 28. ubi fumus dicitur de tota regione planitiei ascendisse ut fumus fornacis calcariæ, & ex collatione applicationis istius historiæ ad supplicia impiorum, Apocalyp. 14. 11. ubi dicitur fumus cruciatus eorum ascendisse in secula seculorum. Sic *stagnum ignis & sulphuris* respondet pluuiæ ignis & sulphuris qua subversa legitur Sodoma, Genes. 19. 24. & fætori istius aquæ, non sapore tantùm corruptæ, sed & gravitate odoris pestiferæ accolis, ut refert *Tacitus* libr. 5. Historiarum. At fieri nequit, ut iidem torqueantur in Gehenna vel valle Hinnom, & tamen in stagno sulphuris & ignis. 2. Adde stagnum vel lacum sulphuris sumi *propriè* vel *impropriè*; Si *prius*, datur contradictio, nec enim igne torreri, & in stagnum vel lacum sulphure oppletum demergi eadem supplicii species est. Adde, interdum hoc supplicium ignis per *fornacem* describi, allusione instituta ad historiam sociorum Danielis, conjectorum in fornacem ejusmodi, interdum per tenebras & stridorem dentium. At ista etiam diversissima sunt. Si *posterius*, ignis materialis urgendus non erit, sed subsistendum in genere pœnæ atrocissimæ. 3. Idem patet ex descriptione opposita & præmiorum destinatorum Dei filiis, & loci in quo iis potientur. Ista nobis describuntur per ea quæ & pretiosissima videntur in se, & maximè grata ac splendida nobis, v. g. per commorationem in urbe fulgente auro, gemmis, & margaritis ad flumen aquæ vivæ & arborem vitæ, Apoc. 21. & 22. per convivia, accubitum cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, per vestes albas, innocentiæ & splendoris, per coronas victoriæ, per citharas gaudii

ſigna, & alia id genus. Quàm verò præmia æterna ſecundùm literam haudquaquam ſint intelligenda, niſi felicitatem æternam in rebus ſenſibilibus conſtituere velimus, ſed deſignent *in genere* & *ſymbolicè* ſummam gloriam & ſummum filiorum Dei gaudium: ſic ex aduerſo pœnæ æternæ non ſecundùm litteram ſunt concipiendæ, ſed deſignant *in genere* & *ſymbolicè* ſummam miſeriam & horrendos cruciatus dæmonum & impiorum. Et appoſitè notat *Durandus* diſt. 44. q. 11. *Spiritualem triſtitiam & delectationem oportere per delectationes & triſtitias corporales figuraliter exprimi, cum ſint incognita multitudini. Et ſic quum ſummus dolor ſenſibilis ſit ab igne, qui maximè eſt actiuus, triſtitiam & dolorem ſpiritualem in Angelis propter ſuam vehementiam dici ab igne eſſe per quandam ſimilitudinem & adaptationem.*

XVIII. Exemplum animarum impiarum, quæ dicuntur torreri igne, alienum etiam eſt à probando inſtituto, quia ſupponitur, non probatur, animas uſtulandas igne materiali. 2. Quia peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑκ-άτερον, dum argumentum ducitur à *ſpiritu informante* & colligato cum corpore ad *ſpiritum ſeparatum*. Ille torqueri dicitur igne, quatenus corpus torquetur, quo cum arctiſsimam unionem habet, & quà eam habet, adeoque non ſui reſpectu, ſed corporis. Iſte non item. *Inſt.* Animam Epulonis Spiritum ſeparatum flammis uſtulatum referri, Luc. 16. *Reſp.* Peccari falsâ *hypotheſi*, id ipſum *ad literam* eſſe intelligendum de flamma materiali, aliâs & *linguam* materialem habebunt animæ ſolutæ corporibus, & beatæ animæ *digitos*, & *aqua* poterunt refrigerari, & colloquium datur inter beatos & damnatos, & Abrahami anima *ſinum* habet, & quæ ſunt alia id genus. Quum verò iſta omnia *ſymbolicè* intelligenda ſint, cur flamma una urgetur ad litteram? Immò, quia linguam tantùm refrigerare cupit Epulo, flamma illa non externum ignem, ſed ardorem potius internum deſignat, ſimilitudine ductâ à febri ardentiſsima correptis, quibus lingua fermè exareſcit & qui ſiti intoleranda urgentur. Et ſanè, quum ſupplicia impiorum nobis deſcribantur per *gehennam*, *fornacem ignis*, *ſtagnum ignis & ſulphuris*, *tenebras exteriores*, *ſitim*, *fletum & ſtridorem dentium*, & quæ ſunt alia id genus, patet, vel ſibi contradicere Scripturam, quod blaſphemum, vel iſta omnia non *ad literam* ſed *ad ſenſum*, non *propriè* ſed *ſymbolicè* intelligenda eſſe de grauiſsimis & atrociſsimis, pœnis quæ manebunt impios in inferno, & quæ nobis iis pœnis per συγκατάβασιν exprimuntur, quæ judicio noſtro grauiſsimæ ſunt & atrociſsimæ. Quamvis, quum ſecundùm corpus etiam puniendi ſint impij, non ſecundùm animas tantùm, nolimus intercedere judiciis Dei, quo minus pœnis etiam corporalibus ipſa corpora afficiantur. Tutius verò eſt in talibus ἐπέχειν quàm temerè quicquam ſtatuere.

XIX. Ad 10. *Exc. Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Sacramenta eſſe vehicula gratiæ, quod ἐστὶν ψεῦδος. Signa illa ſunt & ſigilla & *inſtrumenta* etiam *moralia* gratiæ, vehicula, pyxides, vaſa non item, & commenta Scholaſticorum jocularia ſunt *vim* ſpiritualem gratiæ *cauſatiuam* inhærere ipſis Sacramentis, quaſi vel aqua Baptiſmi vel panis aut vinum ſacræ Cœnæ ſymbola, adeoque elementa corporea, magis ſuſceptibilia ſint qualitatis ſpiritualis

ritualis, qualis est gratia, quàm natura spiritualis frigoris vel humiditatis vel albedinis. At notum, ex Scholis, non quodlibet accidens *subjectari* posse in quolibet subjecto, sed *determinatum* tantùm *in determinato*.

XX. Ad 11. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον duplici ratione. 1. Dum à passionibus gaudij, doloris, & aliis id genus, quæ affectiones animi propriæ sunt, secundùm *formale* suum argnmentum ducitur ad res materiales prorsus, qualis est hepar & cor piscis. 2. Dum à spiritu coniuncto cum corpore argumentum ducitur ad spiritum separatum. Diversa verò utriusque ratio est.

XXI. II. *Alter* superstitionis, immò impietatis character in Tobiæ libro deprehenditur cap. 12. 15. Vbi personatus iste Angelus sibi officium soli Dei Filio proprium it adscriptum, dum profitetur se esse unum *ex septem illis Angelis sanctis, qui deferant preces sanctorum*. Nec officium tantùm, sed & praxin officii sibi tribuit: v. 12. *Cum tu & Sara nurus tua oraretis, memoriam precum vestrarum coram sancto retuli.*

XXII. Ista verò aliena sunt ab officio & praxi bonorum Angelorum, ut patet 1. *Argumento inartificiali* à Testimonio divino. 2. *Artificialibus* à ratione secundùm Testimonium divinum. *Prioris* generis probationem inde arcessimus, 1. Quia preces aliorum Deo offerre est pars muneris Mediatorii, quod soli Dei Filio vindicat Scriptura, quippe qui unus est Mediator inter Deum & Homines, 1. Tim. 2. 5. 2. Quia ille solus interpellat pro nobis ad dextram Dei, Rom. 8. 35. qui nimirum solus *pro nobis mortuus est, suscitatus est, & est ad dextram Dei*, quæ prædicata ibidem connectuntur, & uni duntaxat subjecto competunt. 3. Quia illum solum advocatum habemus apud Patrem, 1. Joh. 2. 1. qui solus est propitiatio pro peccatis nostris, ut immediatè additur v. 2. prior itaque actus fundatur in posteriori, & qui posteriorem non exequitur, priori haudquaquam par esse potest. 4. Quia illum solum habemus Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Hebr. 4. 14. & ut præcursor ingressus est intra velum, Heb. 6. 20. qui propterea quod in æternum manens perpetuum habet sacerdotium, servare potest qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis, Heb. 7. 25. 5. Quia per illum tantùm offerendum sacrificium laudis, qui sanctificavit populum per proprium sanguinem & passus est extra portam. Ad Hebr. 13. 12. 15. 6. Adde, sententiam, genios interpretum & portitorum munere fungi, ut humana ad Deos nimirum preces & sacrificia transmittant, Paganam esse, non Christianam. Vide *Platonem* in Symposio.

XXIII. Succenturiamus his & aliis id genus locis Scripturæ probationes *posterius generis*, & quæ ducuntur à ratione secundùm Scripturam. 1. Quia Angeli creati nec omnipotentes sunt, nec omniscii. E. non possunt offerre preces Sanctorum. *Antec.* patet, *Consequ.* probatur, quia oblatio precum Sanctorum *indefinitè*, prout Angelus eam sibi tribuit & Angelis aliis secum v. 15. exigit eorum auditionem & cognitionem, nec enim ignotæ preces offerri possunt. 2. Quia Angeli creati non sunt καρδιογνῶσται, qui ergo possint discernere preces sinceras ab hypocryticis, gratas

Deo ab iis quæ ipsi exosæ; *Materiale* enim precum bonorum & malorum, ut patet, idem sæpe est: *Formale* verò, quod latet, diversum. 3. Quia vel omnes preces Deo offerunt, vel aliquas solùm: si *aliquas*, debuêre eæ determinari ab Angelo, nec *indefinitè* efferri, immò causa nulla dari potest, cur quædam ab illis deferantur potiùs quàm aliæ; si *omnes*, deferentur etiam preces à sanctis mente & corde duntaxat conceptæ, quod absurdum, quæ tamen potissimæ preces sunt. *Formale* enim precum est cordis elevatio ad Deum, & actus tum *judicij* de Dei omnipotentia & bonitate, tum *voluntatis*, quæ se totam in solidum in Deum effundit, eidemque resignat, & fiduciam de Dei gratia habet. 4. Quia ille solus preces nostras deferre potest ad Deum, qui & impuritatem & imperfectionem precum nostrarum expiare & emendare potest: quod nullius Angeli creati est. Nec enim preces Deo gratæ esse possunt, quæ vel contaminatæ, vel imperfectæ, quippe qui nihil amare potest, nisi bonum, nihil probare nisi quod suum Characterem gerit & suam imaginem. Quod itaque preces nostræ ascendunt ad Deum, & Deo gratæ sunt, hoc in solidum transcribendum est & Christi merito, & eius intercessioni, quo utroque nomine Deo demum acceptæ esse possunt. Et sanè preces deferre ad Deum, non est id Deo suggerere quod ipsi ignotum, vel id illi in memoriam revocare cuius non meminit, sed est valorem & dignitatem conciliare precibus nostris. Nec enim Deus Regum & Principum instar opus habet ministris qui vel ἀναγνῶσται sint, vel ὑπομνηματισταὶ vel ὑπομνηματογράφοι, *à memoria*, *à libellis* supplicibus, vel *referendarij*, (quod nomen à Græcis barbaris in suam terminationem etiam traductum, & inter Ecclesiastica officia relatum fuit, ut patet ex Nov. 6. Justiniani & *Codino*.) Adeoque Angeli creati preces nostras ad Deum deferre non possunt, *cognoscit sedere & surgere nostrum*, *qui intelligit cogitationes nostras è longinquo*, *qui omnium viarum nostrarum peritus est*, & cuius Spiritus ubique locorum est, Psalm. 139. coram cuius conspectu etiam omnes res creatæ sunt nudæ, patentes & velut τετραχηλισμένα, ad Hebr. 4. 13. 5. Quia ille solus preces nostras ad Deum deferre potest, in cuius nomine Deum inuocare possumus cum fiducia exauditionis, talis verò nemo præter Christum, Johannis 14. 13. 6. Quia illi soli precum nostrarum oblatio competit qui objectum esse potest nostræ invocationis, quale nulla creatûra, tum quia id ἄγραφον, adeoque ob defectum sive *mandati*, sive *promissionis*, sine fide: tum quia id ἀντίγραφον, ob prohibitiones Scripturæ: tum quia id ἄλογον, eò quod natura creata non sit capax istarum proprietatum, quæ exiguntur ad constituendum objectum nostræ invocationis.

XXIV. *Exc.* 1. Angelos in cognitione sua *matutinâ* quâ Deum immediatè, & in Deo omnia intuentur, contueri preces sanctorum, vel easdem intueri in *speculo Trinitatis*, quamvis nec omnipotentes sint nec omniscij. 2. Ab hominibus etiam viventibus hominum preces deferri ad Deum. quamvis nec illi sint καρδιογνῶσται, sic enim aliorum preces & necessitates Deo à nobis commendari idque ex officio, & Paulum ipsum expressè preces aliorum expetere. 3. Communionem etiam charitatis intercedere

cedere inter Angelos & homines, oblationem verò precum esse inter prima charitatis officia. 4. Angelos adhiberi ad ministeria obeunda circa homines in terris, adeoque preces illorum notas habere, Dan.10. Hebr. 1. 5. Angelis disertè precum nostrarum oblationem adscribi, Iob.33.23. Sic Angelum deprecari pro populo Dei, Zach.1.12. Hoc munere etiam defungi Angelos *minimorum*, qui perpetuò videnr faciem Patris, videlicet ad interpellandum pro illis. 6. Custodiam nostri esse demandatam Angelis in omnibus viis nostris, Psalm.91.11. Ergo & in precibus, & istam præcipuam custodiæ partem esse, deprecari pro nobis, & preces nostras Deo offerre. 7. Angelos gaudere super conversione peccatoris, Luc.15.10. Ergo etiam eam precibus suis procurare, & peccatorum vel convertendorum, vel conversorum preces ad Deum deferre. 8. Apocal..1.4. confirmari dictum Raphaelis de septem Spiritibus, qui sunt in conspectu throni Dei, Apocal.8.2. septem illos Angelos denuò commemorari qui adstant in conspectu Dei, & Angelo disertè ibi prædicatum oblationis precum adscribi, versu 3. dici enim, alium Angelum venisse, & stetisse apud aram habentem thuribulum aureum, & datos ei esse suffitus multos, ut offerat cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum. Addi vers.4. ascendisse fumum suffituum cum precibus sanctorum è manu Angeli ad conspectum Dei. 9. Angelos ob precum nostrarum oblationem non reddi Mediatores inter Deum & nos, sed inter nos & Mediatorem, esse enim Mediatores ad Mediatorem, & quod petunt, petere per Christum, adeoque Christo semper relinqui, quod ille impuritatem tollat & imperfectionem precum nostrarum. 10. Paulum, Christum unum Mediatorem proponendo, *Simonem Magum* tantùm, ejusque asseclas, quorum magnum fuerit nomen in Ecclesia Ephesina, perstringere voluisse, qui dæmones censebant esse Mediarores inter Deum & homines, immò minores Deos, secundùm Plaronicorum placita. 11. Non obstare, plures esse Patres & Magistros, ac Doctores, v.g. Abraham Patrem & Nicodemum Magistrum, & Paulum Doctorem, & omnem crearuram Dei bonam, quamvis Deus unus & solus vocetur Pater, Magister, bonus, Matth. 19.17. & 23. 8.9. 12. Mosen etiam, etsi nudum hominem Mediatorem vocari, Galat. 3.19. adeoque & Angelos sic vocari posse, illum populi preces detulisse ad Deum. Angelos ergo idem posse, sine Christi dispendio. 13. Pontifices etiam veteres, ψιλοὺς ἀνθρώπους, preces & dona ac sacrificia obtulisse pro peccatis, Hebr.5.1. 14. Sic 1.Timoth.4.16. Timotheum Salvatorem vocari sine præjudicio honoris Christo debiti, multo magis ergo Angelos vocari posse intercessores sine Christi injuria. 15. Angelos tantùm esse *Mediatores ministeriales, mediatos & secundarios*, Christum *principalem, immediatum, & primarium.* 16. Angelos etiam posse vocari Mediatores *intercessionis*, non *redemptionis*, ratione officii, non ratione personarum. 17. Angelos etiam posse esse objectum nostræ invocationis, ergo & preces nostras offerre, adeoque argumentum retorqueri posse, κατ' ἀντίστροφον. Prius probari exemplis Abrahæ, Genes. 18.2. Gen.48.16.

CC

Iob.19.21. Immò quum honor debeatur Angelis, & *civilis* non sine absurditate illis deferatur: Ergo religiosum illis deberi, adeoque adorationem, & talem illis deberi ob ὑπεροχὴν & excellentiam suam.

XXV. Ad 1. *Except. Resp.* 1. Peccari falsa suppositione, cognitionem ejusmodi competere Angelis, qua omnia intueantur in Deo. Quod & inter πρῶτα ψεῦδη; ut enim *esse* illorum limitatum, sic & cognitio, nec alia illi intuentur in Deo, quàm quæ vel ad felicitatem suam, vel ad ministerium, cui deputantur à Deo, sunt necessaria. *Matutina* hujus cognitionis Angelorum, ut & *Vespertina* & *Diei* allegoricæ, ex utroque hoc gradu conflatæ, inventio humana est, Divina non item. *Augustinus* ejus Author est, Scholastici assertores, Spiritus Sanctus nec author nec assertor. Immò dogma hoc 1. ἄγραφον. 2. ἀντίγραφον, Scriptura quippe docet, nec Angelos Deum in essentia sua intueri, tum quia ἀόρατος est, tum quia infinitus est, Angeli finiti, tum quia Seraphim etiam (qui primum ordinem Hierarchicum inter Angelos una cum Cherubim & Thronis ex sententia Scholasticorum, constituunt) alis suis faciem suam coram Deo sedente in solio majestatis suæ velare coguntur, Esa.6.3. ἄλογον est, tum quia intercedit Angelorum felicitati, quæ æqualis est & sibi constans. At Deum *immediatè*, distinctè & *intuitivè* aliquando contemplari in se, aliquando verò *mediatè* tantùm, *reflexivè* & *arguitivè* per cognitionem sui, & rerum creatarum aliarum, est felicitatem contemplantium inæqualem admodum constituere, & eos sua felicitate per intervalla privare. Immò quum secundùm Scholasticos, Angeli non intelligant ratiocinando, componendo, dividendo, utique nec *arguitivè* unum ex alio inferre poterunt. Hinc intelligere illorum esse dicitur, ut ratiocinari hominum. Adde, solium Dei esse seipsum ita intueri, ut in se omnia intueatur, adeoque id nulli creaturæ communicabile esse potest. Immò Scriptura notat, Angelos non omnia intueri, Zachar.1.12. 1.Petr.1.12. Et quæ norunt Angeli, norunt per peculiares revelationes, vel per declarationem Dei in verbo, vel *à posteriori*, in exequutione & post eam. 2. Peccatur *contradictione in adjecto* & statuitur *oppositum in apposito*. Angelos omnia in Deo intueri, & tamen non esse omniscios. 3. Peccatur probatione incerti per æquè incertum, vel potiùs falsi per æquè falsum: *speculum* enim istud *Trinitatis* æquè solidum est, ac *cognitio* Angelorum *matutina*, & precum oblatio, quæ omnia meri lusus sunt hominum audacium in gurgustiis monasticis somnia id genus protervè fingentium, quæ ἄγραφα, ἀντίγραφα, & ἄλογα, nec enim vel Trinitas, vel essentia Dei speculi rationem habere potest *objectivè*, nec *subjectivè* ullius naturæ creatæ acies talis, quæ fulgorem istius speculi sustinere possit. 4. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ὁμώνυμον. Angeli intuentur omnia in Deo, vel in speculo Trinitatis: Ergo offerunt Deo preces hominum.

XXVI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ὁμώνυμον. A viventibus preces nostras deferri ad Deum: Ergo & ab Angelis. At prius Scriptura docet, posterius non item: prius ad officia charitatis pertinet, non posterius: Prius imperatum, non posterius: Prius fieri potest, quia homines

nes nobis præsentes sunt, & eorum preces notæ; Posterius fieri non potest. 2. Peccatur *Elencho plurium*, & *πολυζητήσει*. Aliud enim preces aliorum & necessitates eatenus commendare Deo, quatenus nostræ conjunguntur cum aliorum precibus, quos in necessitate constitutos videmus; aliud, eorum preces propriè offerre Deo, & illi gratas reddere. Prius charitatis actus est, posterius, actus officii Mediatorii.

XXVII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim à *communione* argumentum procedit ad *communicationem*. Inter multos enim communio datur, inter quos non datur communicatio ne inter homines quidem, sive remotis, sive ignotis in locis constitutos. 2. Supponitur falsum: Oblationem precum, qualis hîc concipitur, inter charitatis officia esse, est verò illa inter officia muneris Mediatorii.

XXVIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho ex particularibus*. Angeli preces aliquorum circa quos ministeriis aliquibus defunguntur, notas habent: Ergo quasvis *indefinitè*, vel *universaliter* omnes notas habent. Immò, quia non adhibentur ad ministeria quævis circa omnes, omnium preces notas non habent. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Aliud enim est, preces aliorum nosse quoad *materiale*, orationem nimirum externam, aliud quoad *formale*, sinceritatem nimirum orationis istius, & attributa interna veræ orationi essentialia; At solius Dei est talia nosse, 1.Reg.8.39. 2.Paralip.6.30. Psalm.7.10. Jerem.17.9.10. & solius hominis inter creaturas, nosse quæ sunt in se ipso, 1.Corinth.2.11. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Angeli preces aliorum notas habent: Ergo eas Deo offerunt.

XXIX. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Angelis in in Scriptura Canonica precum nostrarum oblationem ullibi tribui. 2. Locus Jobi ex cap.33.23. præter rem adducitur. Peccatur enim mera παρερμηνείᾳ nec enim ibi sermo, vel de Angelo, vel de oblatione precum per Angelum, sed de quovis Dei viro, nuntio, vel interprete divinæ voluntatis (quales Angeli vocantur, Matth.11.2.& 3.1.Apocal.1.20. & 2. ac 3. passim) qui homini & peccatorum suorum, & pœnarum divinarum sensu dejecto annuntiet rectitudinem, quæ Deo placens sit, & quam exigat à peccatore, hoc est, resipiscentiam & conversionem, Deum etiam illi gratiam facturum, si nim. stet monitis illis. At aliud est de Angelo *secundùm naturam* tali loqui, aliud loqui de tali *secundùm officium*, aliud, loqui de Angelo annuntiante aliquid homini ex parte Dei, aliud loqui de Angelo annuntiante Deo aliquid ex parte hominis. Immò Angelum ibi intelligi non posse *secundùm naturam* ex eo liquet, quia sermo ibi est de uno è mille aliis, quo connotatur raritas fidelium ejusmodi monitorum, vix è mille aliquem reperiri qui vel fideliter, vel prudenter isto munere defungatur. Angeli verò boni, omnes sunt dispensatores fideles & prudentes. Peccatur itaque *ignoratione Elenchi*, nec concluditur institutum. 3. Locus Zach. 1.12. pari ratione ἀπροσδιόνυσος est, neque enim ibi sermo de Angelo creato, sed increato, qui intercessionem suam, & hîc & alibi interponit pro Ecclesia apud Patrem. Idem enim Angelus vocatur ratione muneris versu 12. qui

Prius homo ratione naturæ assumendæ versu 8. insidens equo rufo, & stans inter myrtos quæ erant in profundo, habens circa se Angelos varios, ut ministros, equorum variegatorum emblemate descriptos, quo Spiritus Sanctus voluit designare Filium Dei, instar capitis Ecclesiæ, in procinctu esse, ut militet pro Ecclesia collata cum myrtis, planta debili in speciem, pretiosa tamen, semper fragrante, & perpetuò virente, quamvis in humili loco hac in vita constituta. Cui capiti varii adjunguntur ministri, instrumenta vel severitatis Dei, vel benignitatis, vel utriusque simul, unde equi apparent & rufi, & albi & variegati. Et sane isti Angelo reliqui veluti rationem reddunt administrati muneris, vers.11. Similis habetur visio, Apocal.19. vers.11.14. 4. Nec magis appositus est locus ex Matth.18.10. Nec enim ibi sermo de Angelis interpellatoribus vel delatoribus precum, sed duntaxat de Angelis custodibus & ministris *indefinitè* filiorum Dei, *minimorum* etiam, sive *Physicè* illi tales sint, aut dicantur, sive *ethicè*, sive *politicè* etiam, quasi dicat Dominus illos non contemnendos esse hominibus, quorum curam habent Angeli iique sancti & gloriosi, quæ sanctitas & quæ gloria describitur per visionem continuam faciei Patris in cœlis, qua etiam connotatur perpetua ejusmodi bonorum Angelorum cum Deo conjunctio, ut & Apoc.8.2. Simile quid refertur de servis Salomonis, 2.Reg.10.8. Adde phrasi illa designari, Deo præsentes semper esse beatos Angelos, quos emittat vel ad præsidium & custodiam istorum minimorum, vel ad pœnam illorum, qui illos essent contempturi, vel temerè offensuri.

XXIX. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Custodia nostri Angelis demandata est in omnibus viis nostris: Ergo & oblatio precum nostrarum. At hæ non sunt viæ nostræ, Angelis offerre preces. 2. λογομάχιον est: Angeli custodiunt fideles, etiam dum precantur: Ergo preces eorum offerunt Deo. 3. τὸ ἐν ἀρχῇ. Istam custodiæ Angelicæ partem, nedum præcipuam, esse, preces nostras offerre Deo. 4. Aliud etiam est, deprecari pro aliquo, aliud, proces alicujus offerre alicui, sensu hic à nobis intellecto.

XXX. Ad 7. *Exc. Resp.* Peccari denuò *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Angelos gaudere super conversione, peccatoris: Ergo & preces ejus Deo offerre. Prius Scriptura docet, posterius non item; Immò ejus contrarium docet. Sic aliud est, gaudere super re, aliud eam precibus suis procurare. Prius hîc docetur, posterius non item. Dubium cæteroquin non est, quin ut optant gloriam Dei, & complementum regni Christi, sic optent multorum conversionem. Gaudere verò dicuntur super conversione peccatoris, ut designetur & *sanctitas* Angelorum, qua gaudent super iis quæ ad Dei gloriam fiunt, & *charitas*, qua non invident conversis ad salutem, sed gratulantur.

XXXI. Ad 8. *Exc. Resp* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Apoc.1.4. Confirmari dictum Raphaëlis de septem Spiritibus creatis offerentibus preces sanctorum, quod πρῶτον ψεῦδος. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci Apocalyptici, per septem enim Spiritus, à quibus Johannes ista precatur, intelligitur Spiritus

ritus increatus ὁμοούσιος, Patri & Filio. 1. Quia in eodem ordine collocatur cum Patre & cum Filio. 2. Quia præponitur ipsi Filio non ob *prioritatem naturæ*, vel *anterioritatem ordinis* existendi, sed tum ob *œconomiam officii* à Christo suscepti, & considerati, ut primogeniti è mortuis, & qui peccata suorum lavit sanguine suo vers.5.6. tum ob ἀμφιλογίαν verborum, & enumerationem partim proprietatum, partim officiorum Christi, subjectam versibus istis. 3. Quia prædicatum adjectum, collatio nimirum gratiæ & pacis Spiritui creato haudquaquam tribui potest, nec enim gloriam suam Deus dat alii, Ies.42.8. Nec excipi debet, intelligi collationem non *authoritativam*, vel *potestativam*, sed *ministerialem* & *organicam*: patet enim ex contextu, ter repetita particula καὶ, iisdem precibus, & ex æquo, & eadem ratione dona illa peti à Patre, à Spiritibus illis, & Filio, adeoque vel à Patre etiam & Filio *ministerialiter* duntaxat & *organicè* peti, vel à Spiritibus illis *authoritativè* etiam sive *potestativè*. 4. Quia alibi Spiritui increato duntaxat, Spiritibus creatis non item, adscribuntur dona spiritualia, 2.Corinth.13.13. Nec ullus in Scriptura sacra locus, ubi Deus Spiritus creatos adhibeat ad collationem donorum spiritualium salvificorum, ut hoc opus summum & merè divinum agnoscacatur, & gloria illa salva constet uni illi, à quo omnis bona donatio, adeoque potissima potissimùm, Jac.1.17. Tantùm abest ut inter Deum & hominem dividi vel debeat, vel possit. 5. Quia ut *in* solum *Deum* terminantur omnia, sic *à* solo Deo sunt omnia, Roman.11.36. Iac.1.17. 6. Quia θρησκεία τῶν ἀγγέλων, adeoque & petitio gratiæ ac pacis ab illis disertè damnatur, Coloss.2.18. Immò talem ipsi Angeli sibi deferri nolunt, Apoc.19.10.& 22.9.

XXXII. Sin quæratur ratio, cur septem spirituum fiat mentio hìc à Johanne, & non potius Spiritûs, ejus rei rationes dari possunt. 1. Aliam *propheticorum* librorum phrasin esse, aliam *historicorum*, vel *dogmaticorum*, & obscurè ac *symbolicè* in illis proponi, quæ clarè & simpliciter proponuntur in istis, & eundem stylum utrobique requirere, est confundere distinguenda: servatur ergo in talibus τὸ πρέπον propheticum. 2. Johannem alloqui septem Ecclesias Asiaticas, easdemque singulas donis Spiritus divini instructas, & quidem præ Ecclesiis aliis tunc temporis, quamvis ἁμαρτήματα & ἐλαττώματα quædam iis etiam impingantur, an itaque mirum in libro prophetico septem Ecclesiis proposito septem Spiritus pro septiformi Spiritu, & in septem Ecclesiis operante commemorari? ut constet in singulis Ecclesiis Dei Spiritum æquè operari, ac si totidem Spiritus separati singularum directioni & sanctificationi destinarentur? Quælibet censebat Spiritum Dei præsidere in medio sui, & sibi destinatum esse. Per σχῆμα ποιῶν itaque septem Spiritus illis proponuntur, velut unicuique suus & peculiaris esset destinatus Spiritus. 3. Sic septem Spirituum mentio fit ob septuplicia, hoc est, non *definitè* ob septem ex Esd. 11.2. sed *indefinitè* ob varia & diversa dona collata Ecclesiis illis, *metalepsi* effecta tributa causæ. 4. Adde, passim in Apocalypsi septenarium numerum proponi, ut *numerum perfectionis*, sic septem Ecclesiæ seliguntur, &

ſeptem candelabrorum, ſeptem ſtellarum, ſeptem Angelorum, ſeptem lampadum, ſeptem tubarum, ſeptem ſigillorum, ſeptem phialarum fit mentio. 5. Sic ſi non abſurdum, providentiam Dei, vel Deum providentem deſignare *prophetice* per *ſeptem oculos*, Zach. 3.9. & 4.10. haudquaquam abſurdum eſt, Spiritum Dei deſignari ſtylo prophetico per ſeptem Spiritus.

§ XXXIII. *Inſt.* 1. Sic in periculoſum errorem induci potuiſſe Eccleſias iſtas Aſiaticas, quaſi plures eſſent Spiritus increati, adeoque plures Dii. 2. Sic etiam debuiſſe poni ſeptem Deos, & ſeptem Filios ob diverſas operationes, vel ad deſignandam perfectionem. 3. Iſtos Spiritus collocari *ante thronum Dei*, non ergo poſſe eſſe æquales Deo. Ad 1. *Inſt. Reſpond.* 1. Spiritum S. periculo iſti, quod è phraſi prophetica oriri poterat, proſpexiſſe ſatis ſuperque claris phraſibus aliis in libris & *Hiſtoricis* & *Dogmaticis*. 2. Non loca & plura & clara ex uno vel paucis, iiſque obſcuris, & *ſymbolicis*, ſed iſta ex illis eſſe ad analogiam fidei interpretanda. 3. Per conjunctionem Spirituum iſtorum cum Patre & Filio, per ordinem in quo collocat Spiritus illos, & per *prædicatum* connotatum, quod illi Spiritus eſſent objectum precum, & ab illis peteretur gratia & pax, conſtare ſatis ſuperque poterat, Spiritum creatum haudquaquam intelligi. 4. Innumera alia pari ratione urgeri poſſent, v. g. non debuiſſe in Scriptura Deo adſcribi manus, brachia, pedes, oculos, ne *Anthropomorphitis* daretur occaſio Deum corporeum concipiendi: Sic non debuiſſe Deo tribui pœnitentiam, dolorem, triſtitiam, ne Deus vel mutabilis conciperetur, vel miſer etiam nec eum debuiſſe in cœlo collocari, ne videretur eſſe finitus, nec dicendum fuiſſe, Deum inquirere, explorare, tentare, ne videretur eſſe ignarus rei alicujus. Sin in libris & Hiſtoricis & Dogmaticis talia, & paſſim quidem reperiantur, ἀνθρωποπαθῶς & συγκαταβατικῶς dicta, quæ tamen θεοπρεπῶς ſunt accipienda, cur non hîc συγκαταβάσει eiuſmodi locus eſſe poſſit ob rationes allegatas? 5. Diſtinguendum ſcandalum acceptum à dato, lapis offenſionis quæſitus & repertus, aliâs nihil obſcuri in Scriptura extare deberet, ſed omnia clara & plana. Adde, Deum in talibus voluiſſe & fidei noſtræ crucem figere, & ſuperbiæ fibulam injicere, & induſtriam noſtram exercere, & nos ad ſedulam ac ſeriam Scripturarum collationem excitare, ut quæ uno loco obſcurius dicta reperiuntur, alibi reperiantur clarius. Ad 2. *Inſt. Reſp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑτερόφορον, & *parium*: Nec enim opus erat vel Patrem vel Filium ita deſcribi, tum ne πολυθεΐα introduci videretur, tum quia Pater & Filius operantur per Spiritum in Eccleſias, & in illis gratiam & pacem per ejus operationem producunt. Peculiaris itaque cauſa erat, cur Spirituum plurium mentio fieret. Ad 3. *Inſt. Reſp.* Peccari denuò *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑτερόφορον, nec enim ex eo *inæqualitas* vel *inferioritas eſſentialis* Spiritus iſtius per ſeptem Spiritus deſignati inferri poteſt, ſed tantùm *diſtinctio perſonalis*, tum quia Spiritus iſte procedit ab illo, qui ſuper throno eſt ratione perſonæ ſuæ; tum quia mittitur ab eodem qui ſuper throno eſt, Eccleſiis ſanctificandis, & gratia ac pace donandis, quum iſte ſit ordo in operando inter S. Trinitatis perſonas

nas, qui eſt in exiſtendo, tum quia ſic deſignatur ſymbolicè, Spiritum iſtum S. velut in procinctu & paratu eſſe, ut ſe effundat in Eccleſias, ſecundùm voluntatem illius qui ſuper throno. 2. Κατὰ τὸ βίαιον. Nam ſi ille non ſit ἰσότιμος, Patri qui eſt ante thronum, ne Filius quidem ἰσότιμος, Patri, quippe qui etiam ſtat velut ante thronum ſecundùm certam σχέσιν, Apoc.5.6. qui tamen, ſecundùm σχέσιν aliam non deſinit ſedere in ipſo throno. 3. Aliud etiam eſt, eſſe ante thronum Dei κατ' ἰδίαν, aliud ἐν φαινόμενον & ἐμφάσει in viſione & expreſsione prophetica. Et hoc Spiritui Sancto etiam tribuitur, ob περιχώρησιν intimam perſonarum Sanctæ Trinitatis, quæ ſibi intimè & ineffabiliter ſemper ſunt præſentes. 3. Peccatur *Elencho partium* & *Conſequ.* allegatione locorum, Apocal.4.5.6. & 5. & 8.2. Nec enim de iiſdem Spiritibus utrobique ſermo. Tribus locis iſtis ſermo eſt de Spiritibus finitis, Apoc.4.5. proponuntur ſeptem lampades ardentes, & illæ vocantur ſeptem Spiritus Dei, alluſione inſtituta ad ſeptem lampades ardentes juxta candelabrum aureum Teſtamenti Veteris, de quibus ſermo, Exod.25.37. & Zachar.4.2. qui deſignant ſanctos Angelos ardentes luce, zelo, charitate, & circumſtantes ſive Chriſtum, ſive Eccleſiam, ad illius miniſteria, & iſtius cuſtodiam. Demus etiam, per συγχώρησιν ſermonem eſſe, Apocal.4.5. de Spiritu Dei, eadem ratio foret dicti iſtius & loci, Apocal.1.4. deſignari minimum Spiritum Dei per μετάληψιν, per effecta varia quæ ab ipſo procedunt, & Dei thronum inſtar lampadum conſpicuum reddunt, perpetuoque ardent ad Eccleſiæ illuminationem & ſanctificationem. Et ſanè non abſurdè dici poteſt, ideò, Spiritus Sanctus loco, *ſeptem Spirituum* meminiſſe Johannem cap.1.4. quia in viſione ipſi repræſentatus fuit Spiritus Sanctus per *ſeptem lampades*, adeoque velut ſeptiformis. Hinc à ſeptem Spiritibus petit gratiam & pacem. Et quum viderit ante thronum Dei varia, ſeptem lampades, viginti quatuor ſenes, mare vitreum, animalia, iridem, & multa alia id genus, ſic oſtendit, ſe tantùm originem gratiæ & pacis, adeoque divinitatem agnoſcere in Deo Patre, in perſona deſignata per ſeptem lampades, & in Chriſto Ieſu, Apocal.5.6. verò ſeptem Spiritus Dei, vocantur *ſeptem oculi Agni, & ſeptem cornua* ejuſdem, adeoque intelligi poſſunt vel ſapientia & potentia Agni, vel Spiritus adminiſtri qui inſtar oculorum & cornuum ſunt agno, hoc eſt, apparitores per quos agit, & qui omnia referunt ad Chriſtum inſtar obſervatorum. Additur, iſtos Spiritus mitti in univerſam terram, ad miniſteria nimirum varia obeunda circa Eccleſiam, Hebr.1.14. Sic Apocal.8.2. manifeſtè notantur Angeli beati, non ſolùm quia ſtant ante thronum, quod propriè loquendo miniſtrorum eſt, quod beatis Angelis tribuitur etiam alibi, Matth.18.10. & Luc.1.17. Sed potiſsimùm quia tubis inſtruuntur, quod præconum eſt & apparitorum, mandata & judicia Principum publicè denuntiantium, tum quia diſtinguuntur disertè ab Angelo increato, de quo ſermo verſu 3. & ſequentibus.

XXXIV. Ad 9. *Exc. Reſp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci Apoc.8.3. & falſa ſuppoſitione, de Angelo creato ibi ſermonem eſſe, quod πρῶτον ψεῦδος eſt.

Nam 1. Distinguitur ab Angelis creatis de quibus sermo vers.2. & vocatur *Angelus alius* ut cap.7.2. & illi actus alii planè attribuuntur, alii Angelis creatis. 2. Quia Christo soli & officium & actus sacerdotales alibi in Scriptura adscribuntur, ut Hebr.9.24. 3. Quia ille solus preces sanctorum Deo offerre, & illas instar suffitus suavis Deo acceptas reddere, vel suffitum suavem, & Deo placentem illis addere potest, qui solus earum defectus expiare & compensare potest. 4. Quia de precibus *omnium Sanctorum* sermo est, quæ ab Angelo uno creato haudquaquam offerri possunt. 5. Quia ille ut unus Mediator proponitur, 1.Timoth. 2.5. qui solus interpellat pro nobis, Roman.8.34. ut solus pro nobis mortuus est, nec *nostro* tantùm *bono*, sed & *loco*. Notatur ergo magnus ille Angelus fœderis, qui suffitu suo, hoc est, merito suo preces nostras Deo acceptas reddit, allusione ad Sacerdotem typicum, qui intercessurus pro populo thuribulo aureo imponebat thymiamata, quæ gratum Deo odorem exhalare dicebantur, ut sic designaretur *symbolicè & typicè*, dum Angeli tubis clangunt, & judicia Dei denuntiant, sanctos precibus suis à se illa Dei judicia avertere: Ut verò istæ preces Deo gratæ esse possint, opus esse accedere Christi meritum & intercessionem, quibus illi acceptæ reddantur. *Inst.* 1. Christum nunquam Angelum *absolutè* vocari. 2. Angelum istum distingui ab altari aureo quod sit Christus. 3. Isti Angelo dari preces, Christo non dari. 4. Christum non offerre preces alii, sed illi potius ut verò Deo offerri preces. 5. Quorumvis Sacerdotum fuisse offerre thymiamata, Luc.1.10. Ergo & quorumvis Angelorum offerre preces. Ad 1. *Respond.* 1. Per ἄρνησιν Contrarium patet ex Genes.48. 16. ubi Angelus Jehova est, & quidem Christus, ut liquet ex Genes.28. 15. & 32. vers.9.11. & Apoc.7.2. 2. Per συγχώρησιν, quamvis alibi ita non vocaretur, sufficit, ex prædicato adjecto constare, Angelum increatum designari. Ad 2. *Respond.* Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quia, secundùm diversam σχέσιν, Christus & per Angelum thurificantem, & per altare, & per candelabrum, & per mensam panum propositionis, & per aram, & per sacerdotem, & per alia id genus *typicè* & *symbolicè* designatur, quum diversa illius munia & perfectio non possint typo uno sufficienter exprimi. Ad 3. *Respond.* Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipso quia dantur preces Sanctorum Angelo, Angelus iste Angelus est, cui & munus preces offerenda à Patre datum, & cui à nobis dantur preces, ut eas offerat Patri. Nec datio illa *indigentiæ* nota est, sed *perfectionis*, nec receptio boni proprii, sed promotio boni alieni. Ad 4. *Respond.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, κατ' ἄλλο enim καὶ ἄλλο & Christus offert preces, & illi offeruntur preces: illud ipsi competit quà Mediator est, illud quà Deus est, & Mediator simul. Ad 5. *Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quia sacerdotibus id munus destinatum legimus, Angelis non item. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, sacerdotes Testamenti Veteris, non Angelos designabant sed Christum, Angelis itaque creatis oblatio precum haudquaquam adscribenda est.

XXXV. Ad 10. *Exc. Respond.* 1. Per ἄρνησιν, Angelos sic non reddi Media-

XXXVI. Ad 10. *Exc. Resp.* 1. Per ἄρνησιν. Angelos sic non reddi Mediatores inter nos & Deum, si locus Tobiæ sit νόθος, & Apocal.8.2. sermo sit de Angelo creato. 2. Κατὰ τὸ δίαιον, Eo ipso quia Angeli statuuntur Mediatores inter Christum & nos, statuuntur Mediatores inter Deum & nos. 3. Peccatur *falsa suppositione* quasi necesse sit dari Mediatores inter nos & Mediatorem, sic enim daretur progressus in infinitum. Scriptura verò tantùm exigit Mediatorem inter Deum & nos, 1.Tim.2.5. 4. Κατὰ τὸ δίαιον, Si solus Christus tollat impuritatem precum nostrarum, & earundem imperfectionem, solus illas offerre Deo potest.

XXXVII. Ad 11. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν. Demus, Paulum Simonem Magum, ejus asseclas, & Platonicos voluisse perstringere, 1.Tim.2.& alibi: An verò id factum *exclusivè?* Haudquaquam, & illos enim perstrictos voluit, & quoscunque alios, Mediatores alios nobis fabricantes, ut Col.2.18. quosvis Angelorum cultores, sive Paganos, sive Judæos, sive Christianos. Sic 1.Tim.4.3. & Hæreticos Veteres *Tatianos, Encratitas*, alios, & Pontificios illorum simias, flagellat super discrimine ciborum, prohibitione matrimonii, & aliis id genus.

XXXVIII. Ad 12. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ὁμώνυμον. Alia enim ratio est *attributorum communicabilium*, alia *attributi incommunicabilis*. Magistrorum, Patrum, Doctorum, bonorum & nomenclatio alibi tribuitur creaturis, & res ea designata; Mediatoris nec nomenclatio, nec res ea designata.

XXXIX. Ad 13. *Exc. Resp.* 1. Per ἄρνησιν. Mosen Mediatorem vocari, Galat.3.29. ut demonstratum in superioribus. 2. Per συγχώρησιν. Aliud enim est, vocari Mediatorem *typicum*, aliud *mysticum*, aliud Mediatorem, h.e. Redemptorem: aliud Mediatorem, h.e. interlocutorem & interpretem. Immò Moses in eo debuit esse typus Christi, quà interloquutor fuit inter Deum & populum, Angeli creati non item.

XL. Ad 14. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, nec enim illatio solida datur à Pontificibus Veteribus ad Angelos, illis hoc injunctum erat ex munere, istis non item. Vnde κατὰ τὸ δίαιον illis incumbebat, istis non item. 2. Adde, aliud fuisse pro populo intercedere, aliud preces illius Deo offerre, & gratas Deo reddere, prius erat Pontificum, posterius non item. 3. Κατὰ τὸ δίαιον si ea est ratio Angelorum & Sanctorum, quæ Pontificum Judaicorum, ut illi non tantùm preces offerebant, sed & victimas & sacrificia, istorum etiam idem erit.

XLI. Ad 15. *Exc. Resp.* 1. Per ἄρνησιν. Timotheum *Salvatorem* vocari, dicitur tantùm salvaturus se & auditores suos. At aliud est salvare, aliud est Salvatorem esse. Illud actum notat, istud munus. 2. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, aliud enim est salvare *authoritativè, potestativè*, sua vel virtute vel merito; aliud verò est salvare *organicè* & *instrumentaliter*, suo ministerio, prius Christo proprium, posterius & verbi ministris competit, & verbo, & sacramentis, & fidei, & precibus, κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο.

XLII. Ad 6. *Except. Resp.* 1. Peccari *petitione* τὸ ἐν ἀρχῇ. Dari Mediatores *ministeriales, mediatos, secundarios*, sive quoad actum ἱλασμοῦ. sive quoad

DD

actum ἱμφανισμοῦ. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, si Angeli sunt tantùm Mediatores *ministeriales, mediati, secundarii*, illorum non erit offerre preces, quippe qui actus est Mediatoris primarii, cui ex æquo competit & actus ἱλασμοῦ pro Ecclesia, & actus ἐμφανισμοῦ. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἰσόδιον, Dantur Mediatores *ministeriales, mediati, secundarij*: Ergo tales sunt Angeli.

XLIII. Ad 17. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Dari *Mediatorem intercessionis*, qui non sit *Mediator Redemptionis*. At illa mediatio innititur isti. Rom. 8.35. 1. Ioh. 2.1.2. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, ut Sacerdos idem in Testamento Veteri defungebatur actu typico ἱλασμοῦ, sic idem defungebatur tantùm actu simili ἐμφανισμοῦ. 3. Κατὰ τὸ βίαιον. Quum Mediatio officij pendeat à constitutione personæ, illi Mediatores ratione officij dici nequeunt qui tales non sunt ratione personæ.

XLIV. Ad 18. *Exc. Resp.* 1. πρῶτον ψεῦδος admitti, Angelos creatos posse esse objectum nostræ inuocationis. 2. Peccatur πολυζητήσει. & loci omnes ἀπροσδιόνυσοι, quia Genes. 18. vers. 2. sermo de *incuruatione*, actu *ciuili* non *religioso*. Genes. 18. v. 16. sermo de Angelo increato non creato, ut ex *prædicatis* adjectis patet, Job. 19. v. 21. sermo de amicis Jobi, non de Angelis. 3. Peccatur *insufficienti enumeratione*, datur enim triplex cultus species, *subjectionis politicæ* vel *ciuilis*, *reuerentiæ moralis*, & *inuocationis religiosæ*. *Primus* debetur ob ὑπεροχὴν finitam *dignitatis*: *Secundus* ob ὑπεροχὴν infinitam *virtutis*. *Tertius* ob ὑπεροχὴν infinitam & *virtutis*, & *dignitatis*. Duæ ergo priores cultus species creaturis communes esse possunt, tertia non item. *Thomas* perperam primum actum vocat *debitum legale*, alterum *morale*, quia ista non sunt ἀντιδιῃρημένα. Insufficiens ergo enumeratio, & *Elenchus* παρὰ τὸ ἰσόδιον. Angelis non potest tribui honor civilis. Ergo illis debet tribui religiosus. 4. Immò κατὰ τὸ βίαιον. Si cultus debeatur ob ὑπεροχὴν vel excellentiam, & excellentia Dei infinita sit, & infinitis modis superior Angelica, sequitur Angelicæ cultum religiosum non deberi, eo ipso quia debetur diuinæ, nisi ad idem genus & eandem classem referenda sit excellentia creata & increata, finita & infinita, quod absurdum.

Et sic probatum, impietatis & superstitionis *characteres extare in* Tobiæ *libro*, *adeoq; illum haudquaquam esse vel* θεόπνευστον vel αὐθέντικον. *Dilatatum fuit hoc argumentum à nobis veritati divinæ contra quosvis Hæreticos unâ operâ adstruendæ in hac materia.*

DIS-

DISPVTATIO NONA.

Κατασκευαστική,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.

DEMONSTRATVM fuit Diſputatione ſuperiore, pro Methodi noſtræ inſtituto, ſiue *ſuperſtitionis*, ſiue *impietatis* etiam veſtigia reperiri in libro *Tobiæ*, adeoque illum haudquaquam eſſe κανονικὸν vel θεόπνευστον. Sequitur ut idem probatum demus de libris *Iudithæ* & *Baruchi*. *Falſitates* & *Contradictiones*, quæ eorundem ſinceritatem proſcribunt, retrò à nobis erutæ & demonſtratæ fuêre, ſequitur ultimi capitis demonſtratio, Libros iſtos continere partim *impia*, partim *ſuperſtitioſa*, adeoque non ſine blaſphemia Spiritum Sanctum eorum auctorem conſtitui.

II. *Impietatis* in libro *Iudithæ* latentis notas iſtas conſignamus. 1. Quòd Auctor flagitioſum Simeonis graſſatoris facinus in Sichemitas non probat duntaxat, ſed etiam ad Deum, & illius inſpirationem refert Jud.9.2.3. 11. Quòd idem Auctor horrendas & abominandas preces eidem fœminæ affingit, quippe quæ introducitur in proſcenium petens. 1. Vt Deus benedicat congeſtis mendaciis, & conſutis dolis, quibus os ſublinat Holopherni, Πάταξον δοῦλον ἐκ χειλέων ἀπάτης μου ἐπ' ἄρχοντι, καὶ ἄρχοντα ἐπὶ θεράποντι αὐτοῦ, *Percute ſervum per labia deceptionis meæ, ſuper principem, & principem ſuper ſervum ſuum*, Jud.9. verſ.15. 2. Ut inſtruatur ab ipſo Deo ſtrophis & fraudibus, Δὸς λόγον μου καὶ ἀπάτην. *Da ſermonem mihi & fallaciam*, verſ.18. 3. Quòd fœminæ ſanctæ & à Spiritu Dei actæ adſcribit cultum meretricium, & oculos compoſitos ad lenocinium, mundo enim ejus muliebri deſcripto ſubjicit verſu 4. capite 10. Καὶ ἐκαλλωπίσατο σφόδρα εἰς ἀπάτην ὀφθαλμῶν ἀνδρῶν· ὅσοι ἂν ἴδωσιν αὐτήν, *Et compoſuit admodum vultum ad deceptionem oculorum virorum, quotcunque eam intuerentur.* Sic redux ex caſtris Aſſyriorum gloriatur, faciem ſuam decepiſſe Holophernem, capite 13.21. Sic gloriatur in Cantico ſuo, capite 16.8. ſe pulchritudine vultus ſui confeciſſe hoſtem, ſandalium ſuum oculos Holophernis rapuiſſe, & pulchritudinem ſuam animum ipſius occupaſſe. 4. Quòd fœmina iſta mendaciis variis adoritur hoſtes, & hoc modo illis adire manum ſatagit. Cap.10.12. deprehenſa ab Aſſyriorum excubiis, & rogata unde veniret, aut quò tenderet, reſpondet, *Filia ſum Hebræorum, & à facie illorum fugio, quia futurum eſt, ut vobis dentur devorandi.* Addit. v.13. Se venire, *ut Holopherni verba veritatis annunciet, & viam oſtendat ante faciem ejus, quà proficiſcatur*

& potiatur totâ regione montium, idque tutò, & ſine diſpendio ullius ex ſuis. Sic cap.11.4. præfatur, *ſe non mentituram*, καὶ οὐκ ἀναγγελῶ ψεῦδος τῷ κυρίῳ μου ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, & tamen orationem ex mendaciis meris conſutam inſtituit, pollicendo Holopherni victoriam, prædicendo ſtragem populi, & falſam eius cauſam aſsignando, & ſe ducem offerendo Aſſyriis non tantùm ad conuiuium ſuorum, ſed & ad totius ſuæ gentis excidium, aſſerendo etiam ſibi iſta omnia annuntiata eſſe κατὰ πρόγνωσιν, *per prænotionem*, & ſe miſſam ut talia renuntiaret Holopherni. Sic cap.12.14. invitata ad convivium Holophernis, reſpondet, *Quænam ego ſum ut Domino meo contradicam? Quin potius quod gratum fuerit in oculis eius feſtinanter faciam, quod quidem mihi gaudio futurum eſt uſque ad diem mortis meæ.* 5. Quòd eadem iſta fœmina cum Holopherne homine truce & temulento ſe eodem conclaui ſolam concludi patitur, cap.13.3. adeoque per eam non ſtat, quominus pudorem ſuum proſtituat, & Holopherni, ſibique ſit exitio.

III. Nihil vero abſurdiùs quàm ſanctæ fœminæ, & Deum timenti qualis Juditha introducitur, hoc ſchema affingere, quod nonniſi proſtituti oris fœminam decet, & quæ pietatem, honeſtatem & pudorem omnem decoxit. De laudibus, quibus latrocinium Simeonis proſequitur, hîc nihil mouebimus, cum id jam ſuprà à nobis occupatum fuerit, Diſputat. VII. Theſ. VIII. & XII. in *contradictionem* in libris Apocryphis exſtantium ἐπεξηγήσει, ubi demonſtratum, eas excuſari non poſſe, & exceptiones contrariæ confutatæ.

IV. Iſta verò hîc notamus. 1. *Preces* à Juditha conceptas, vel ei affictas *impias* eſſe, & merum ſcelus. 1. Quia præter *objectum, formam, & finem*, quæ in precibus bene conſtitui debent, *materia* precum bonarum & Deo placentium debet eſſe bona, & Deo placens, & ſpectare ſiue *officium*, ſiue *beneficium*, ad primam vel ſecundam tabulam ſpectans. Ad neutram verò claſſem poteſt referri petitio iſta, vt Deus benedicat deceptioni. 2. Quia petere, ut Deus benedicat deceptioni, eſt Deum in ſocietatem ſceleris vocare, & innuere deceptionem aliquam Deo gratam eſſe poſſe, quod alieniſsimum ab eius natura, qui ipſa rectitudo & veritas eſt, & oſor ac ultor omnis labij doloſi. 3. Quia petere à Deo, ut faveat deceptioni, eſt Deum rogare, ut promoveat opus Sathanæ, & ei benedicat, quippe qui pater eſt & auctor mendacij, Johan.8. verſ.44. 4. Quia petere à Deo, ut preces iſtas ratas eſſe jubeat, eſt ſanctitati Dei eſſentiali & immutabili intercedere, & credere, Deo probari poſſe aliquid, quod nec bonum nec ſanctum. 5. Quia petere à Deo, ut inſpiret deceptionem, eſt ſtatuere, Deum poſſe eſſe auctorem peccati, *reduplicativè* quà talis, adeoque deficere poſſe in agendo, & malè agere, quod horrendum. Hoc verò ſtatuere, eſt Deum negare eſſe Deum, *defectibilem* quippe tum in volvēdo, tum in agendo, & *Manichæorum* blaſphemias ſuperare, qui *duo principia* poſuêre, ne Deo bono mali originem tranſſcribere cogerentur. 6. Quia ſi Deus deceptionem inſpirare poſsit & dolum, cauſæ nihil eſt, cur non quorumvis flagitiorum & ſcelerum poſsit eſſe auctor. Et ſi unius ſceleris inſpiratio à Deo peti poſsit, nihil obſtat plurium, immò omnium inſpirationem à Deo

petere,

petere, quod est bonorum & malorum, cœli & inferni fines confundere, & Deum transformare in Sathanam, quod omni aliâ blasphemiâ atrocius est.

V. *Exc.* 1. Benedictionem illam diuinam peti ad actionem bonam Judithæ, & ob finem bonum ipsi propositum. Actionem verò illam *deceptionem* vocari *ex consequenti*, quòd eâ deceptus fuerit Holophernes, *per se* verò inter officia tum pietatis fuisse, tum charitatis, destinatam quippe gloriæ Dei vindicandæ, & Israeli liberando à tyrannide hostili. 2. Aliud esse, benedictionem apprecari deceptioni *formaliter* consideratæ, quà deceptio est, aliud, eam illi apprecari *materialiter*, hoc est, actioni, ad quam consecuta fuit deceptio. Prius verò à Juditha non fieri, sed posterius duntaxat. Optimam verò etiam actionem *per accidens* in deceptionem exire posse. 3. Rebeccam etiam voluisse, ut Deus benediceret mendacio, Gen. 27. nec tamen voluisse, ut Deus promoueret opus Sathanæ. 4. Infirmitates etiam sanctisimis adnatas esse, nec grauia etiam peccata obstare, quominus in illis agnoscamus characterem spiritus diuini. Quamvis itaque concedatur, Juditham in eo peccasse, ob id tamen illam è censu sanctarum mulierum haudquaquam expungendam esse. 5. Qualecunque etiam peccatum peccaverit Juditha precibus istis, nequaquam tamen Auctorem libri istius reum peragi posse, quippe qui gesta aliena referat, non sua, nec magis ob id expungi debere è numero Scriptorum Canonicorum, quàm Auctores alios librorum Canonicorum, qui multorum aliorum, etiam sanctisimorum, peccata recensent. Immò eo ipso commendari candorem Auctoris, quòd non disimulet ἁμαρτήματα & nævos fœminæ, quam tamen maximoperè commendatam cupit. 6. Non sequi etiam, si quid petatur à Deo, vel si credatur id petendum esse, ob id necessariò illud Deo probari. 7. Sermonem à Deo peti, qui *per accidens* sit futurus deceptorius, non deceptionem, λόγον ἐξ ἀπάτης poni per ἓν διὰ δυοῖν pro λόγου ἀπατητικοῦ, pro sermone deceptorio. 8. Non esse dicendum, ob verba εὐκτικῶς prolata Deum auctorem peccati constitui, quum tamen talis non constitui censeatur à Paulo καταφατικῶς & *assertiuè* docente, Deum *dare in reprobum sensum, in cupiditates infames*, & alia id genus ad Roman.1.vers.26.28.&c. Nec hanc phrasin Authoris Judithæ ita duram esse, ac illam, quâ utitur Psaltes, Psalm.18. versu 27. quando dicit, *Deum cum perverso perversum esse.* 9. Non magis Deum cum ejusmodi actione vitiosâ concurrentem inquinari, vel peccati contagio infici, quàm Solem plantæ venenatæ animatione, aut ejaculatione radiorum in sterquilinium.

VI. Βλέπειν αὐτ' ἰδεῖν ξυμφαντέων : Ista enim vel levia, vel ἀδιάφορα. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, verba enim contextûs ostendunt, Juditham petere, ut Deus percutiat hostes *per labia deceptionis suæ*, adeoque ut benedicat technis, quas destinaverat in caput Holophernis. 2. Συγχωρητικῶς, *per concessionem.* Demus, verbis illis Juditham petere à Deo benedictionem ad actionem ipsam. Negamus tamen, illam actionem bonam dici posse, ob bonitatem finis, quia præter intentionem *boni finis* exigitur obseruatio *normæ* conuenientis in bona actione, ut illa fiat

modo conveniente, & *mediis* legitimis, qualia hîc non adhibita. Et hoc discrimen notari potest inter actiones Dei & hominum. Illarum bonitatem metiri possumus ex *solo fine*, cùm actiones Dei sint liberæ prorsus, nec obnoxiæ normæ alienæ vel Legi, ad quam exigantur: At actionum humanarum bonitas, non tantùm metienda à fine, sed & exigenda ad normam præscriptam, an bona bene fiant, & an ad finem bonum eatur per media convenientia. Aliàs nec Aaronis idololatria, nec Vzæ molitio, nec Pilati Christum ad flagella damnantis actio culpari deberent, nec ἐθελοθρησκεία humana damnari. Notum etiam, bonum opus tale vocari *ex integra causa*, ut inquiunt Scholæ, malum verò *ex uno defectu*. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, actionem illam deceptionem vocari duntaxat *ex consequenti*, *per se* verò inter officia pietatis fuisse, vel charitatis. Immò actio illa *formaliter* & *per se* fuit ἁπλῶς *deceptio*, ut constat ex verbis & factis Iudithæ, quæ omnia erant composita ad fraudem & deceptionem. Immò potuisset ista Iudithæ molitio *ex consequente*, & *eventualiter* non esse deceptio, (si Holophernes & Assyrii non vervecum instar se à fœmina circumduci passi fuissent) & tamen *formaliter* & *per se* fuisset deceptio, tum ratione intentionis Judithæ, tum ratione modi procedendi, qui ab illa observatus. 4. Peccatur *contradictione in adjecto*, & *oppositum* statuitur *in opposito*, actionem illam fuisse inter officia sive pietatis, sive charitatis, tales enim præter bonitatem finis, & intentionem bonam exigunt etiam bonitatem mediorum, nec tantùm *bonitatem mentis* requirunt, sed etiam *bonitatem entis*. Nec unquam sunt facienda mala, ut eveniant bona, nec pro gloria Dei mentiendum magis, quàm latrocinandum.

VII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς *per concessionem*, ista distingui debere, actionem, & ἀπάτην, sive cum actione conjunctam, sive ad eam consequentem, & optimam etiam actionem exire posse in deceptionem. Nec malum esse, benedictionem divinam ad precari actioni bonæ, ad quam consequitur deceptio. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*. Actionem istam, de qua hîc sermo, *formaliter* bonam dici posse, ad quam tantùm consecuta fuerit deceptio *eventualiter*. Immò illa fuit *formaliter* actio ἄδικος, & non tantùm *per accidens*, sive *ex consequenti*, & *eventualiter*, sed etiam ex intentione & destinatione agentis. Adeoque κατὰ τὸ βίαιον, preces istæ impiæ fuêre, quibus benedictionem & successum actioni ad fraudem compositæ, & ex confutis dolis constanti, Juditha peccatur.

VIII. Ad 3. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho parium*, illa enim comparantur tanquam paria, quæ non sunt paria. Exemplum Rebeccæ ἀπροσδιόνυσον est, tum quia nullæ preces à Rebecca conceptæ leguntur, quibus petierit à Deo, ut benediceret fraudi, tum quia peccatum à Rebecca & Jacobo non *in re*, h.e. in procuratione benedictionis, quippe quæ divinitùs destinata erat Jacobo, sed tantùm *in modo rei*. At hîc à Juditha peccatum tum *in re*, tum *in modo rei* simul, quia mulieris non est sine singulari vocatione se & pudorem suum in grave discrimen adducere, & cædem hostis fraudibus & dolis à se circumventi moliri. Singularem verò vocationem hîc intercessisse, demonstrari nequit. *Inst.* 1. Nisi preces addidisset

Rebecca,

Rebecca, non potuiſſet exſpectare benedictionem derivandam in Filium. 2. Gravius peccatum videri à Rebecca, quippe quæ maritum & patrem à filio decipi volebat, quod ἄνεμον magis, quàm decipi hoſtem ab hoſte, quum ibi plura intercedant vincula & plus longè debeat uxor marito, filius patri. Ad 1. *Reſp.* Peccari *ſuppoſitione falsâ.* Nec enim Rebecca, cenſuit, benedictionem illam eſſe à Deo amplius impetrandam, quippe quæ oraculo divino jam Iacobo fuerat deſtinata, ſed ejus tantùm collationem *ſymbolicam & inſtrumentalem* à marito eſſe obtinendam, cujus miniſterio Deus id, quod promiſerat, effectum dare vellet. In eo ſanè à Rebecca peccatum, ſed diſpari modo & gradu, ſi conferatur cum peccato Judithæ. 2. Ad 2. *Reſp.* Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, & *paralogiſmo παρὰ τὸ ἑπόμενον.* Quamvis enim deceptiones iſtæ conſideratæ ex parte *objecti* ita comparatæ eſſe videantur, ut plus peccatum videri poſſit à Rebecca conjuge, & Jacobo filio, in maritum & patrem, quàm à Juditha hoſte in hoſtem, in *modo* tamen, *gradu, fine* & *effectu* atrocius longè peccatum à Juditha. Rebeccæ enim & Jacobi fraus non ex tot iniquitatibus & mendaciis conſuta erat, nec in perniciem Iſaaci comparata, ſed unicè ex deſiderio complementi oraculi conſequendi, & ex mero metu ſuſcepta, ne amore nimio quo propendebat Iſaacus in Eſavum præpeditus, illi interverteret benedictionem, cui deſtinata erat divinitùs, illi verò conferret, cui deſtinata non erat. Judithæ verò factum crebris mendaciis ſtipatum in perniciem Holophernis & excidium Aſſyriorum deſtinatum erat, qua ratione nec Dei gloria promovenda erat, nec populi ſalus.

IX. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Per *συγχώρησιν, per conceſſionem.* Sanctiſsimis etiam ſua fuiſſe ἁμαρτήματα, ſuas infirmitates, & eos quandoque in graviſſima etiam peccata prolapſos legi, nec ob id illis denegari characterem Spiritûs divini. 2. Per *ἄρνησιν, per negationem.* Tale unquam peccatum à Sancto viro à Spiritu Dei acto commiſſum legi, ut non tantùm petierit, ut Deus benediceret fraudi & mendacio, ſed etiam ut ſibi fraudem inſpiraret, quod eſt Deum convertere in Sathanam. Quo nihil atrocius cogitari poteſt. Adde, ſanctos ad peccata in lucta & tentatione gravi velut per turbinem abreptos fuiſſe: Juditham verò præmeditatum ſcelus coxiſſe & verſaſſe diu animo, antequam id exequeretur actu ipſo, & ſe ad id accinxiſſe extra perturbationem & æſtum animi. *Inſt.* Gravius fuit Davidem jugulare Vriam ſubditum pium & innocentem & illius cædem moliri, quàm Iuditham Holophernem, hominem impium & graſſatorem. *Reſp.* Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid.* Gravius ſanè Davidis peccatum *κατά τι*, ratione *objecti*, grauius verò peccatum Iudithæ ratione *modi*, & *formaliter* ob ſtruem illam mendaciorum, & preces impietatis plenas ante ſcelus ipſum effuſas. Adde, Davidem tentationi jam ſuccubuiſſe, & ſcelus ſcelere tectum voluiſſe. Iuditham verò extra tentationem talia ultrò molitam eſſe.

X. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Per *συγχώρησιν, per conceſſionem*, Authoribus librorum Canonicorum imputanda non eſſe peccata, quæ velut ab aliis

commissa recensent. Immò eorum candorem commendandum esse ex eo, quod sua etiam peccata, non aliena duntaxat consignata scripto voluerint. 2. Per ἄρνησιν, *per negationem*, hîc vitio verti non debere Authori libri Iudithæ gravia ista peccata à Iuditha peccata. Nec enim Scriptores Canonici aliorum peccata referunt ἐγκωμιαστικῶς, sed διηγηματικῶς duntaxat, & ἱστορικῶς, immò ἐπιτιμητικῶς etiam quandoque & ἐλεγκτικῶς. Auctor verò iste, totam illam scenam, quam adornavit Juditha, & omnia illius m[illegible]nnina refert ἐγκωμιαστικῶς, quod non est Scriptoris θεοπνεύστου. Agit verò ille perpetuum fœminæ istius panegyristem, nec quod ab illa peccatum ullâ stricturâ notat. Immò vel ipsa peccata perstringunt alibi sancti Scriptores, vel judicia proponunt, & castigationes piis ob peccata immissas. Hic verò Scriptor totus est in laudibus istius fœminæ percensendis, & in benedictione ac gloria, quam ex eximio isto facinore consequuta fuerit, referenda. Quod est commendare scelus, & hac ratione alios ad fraudem & mendacia pellicere.

XI. Ad 6. *Exc. Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, & *falsâ suppositione*. Nec enim volumus, talia Deo probari, quæ *formaliter* & *suo genere* sunt mala, & ab hominibus vel malè petuntur, vel creduntur petenda esse; sed in eo pedem fingimus, malè fœminam velut sanctam introduci, quæ tamen flagitium petit à Deo, & Deum in societatem flagitii vocat, & cujus flagitio Deus benedixisse dicitur, & post quam benedictionem refertur singularis quædam δοξολογία, velut ob rem præclarè gestam. Scriptorem verò Canonicum flagitiosam ejusmodi molitionem & consequentia ista referre sine ulla vel minima censura admisti peccati, absurdum est, quia sic commendatur scelus exemplo laudabili, quod potentius verbo.

XII. Ad. 7. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, sive distinguamus λόγον & ἀπάτην, sive conjungamus, ut ἓν διὰ δυοῖν designetur, semper sequitur, Iudítham petere, ut Deus benedicat sive deceptioni, sive sermoni deceptorio, quod est scelus petere à Deo & ejus ratihabitionem. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, sanè sermo deceptorius, qui *per accidens* & *ex consequenti* duntaxat, & *eventualiter* talis est, malus necessariò non est, at ille malus est, qui ex intentione loquentis ad fraudem est comparatus, & *formalem* habet ἀταξίαν ac difformitatem.

XIII. Ad 8. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho parium*, & *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Aliud enim, scelus & benedictionem sceleris attribuere Deo, aliud, judicium ob scelera in sceleratos effusum. Prius facit Auctor libri Iudithæ: Posterius Paulus & Psaltes. 2. Peccatur παρβολωσίᾳ locorum. Dare enim εἰς ἀδόκιμον νοῦν, εἰς πάθη ἀτιμίας, ad Roman. 1. 26. 28. non est vel *physicè* infundere mentem reprobam, aut passiones infames homini, vel *moraliter* talia suadere, probare, imperare; sed est *judicialiter* peccata antecedentia peccatis consequentibus punire, & non tantùm peccatorem *gratiæ nondum datæ inhibitione* punire, sed & *gratiæ jam datæ subtractione*, & traditione peccatoris in potestatem cum Sathanæ, tum propriæ corruptionis, à qua, fræno omni ablato, impellitur ad quodvis peccatum, & in illud ruit. Qui Dei actus non tam Dei est, quà αὐτοκράτωρ est, & liberrimus

ximus

rimus gratiæ ſuæ pro arbitrio diſpenſator, quàm Dei, quà *judex* eſt, & juſtus ſcelerum ultor & vindex. 3. Sic Pſalm.17.21. Peccatur παρβολωτέα ſimili, nec enim ſenſus Pſaltis eſt, Deum perversè agere *deficiendo moraliter* in agendo, vel ab agendo, ſed cum *judicialiter* perverſis obniti, reſiſtere, luctari cum illis, & ſubvertere illos. Et hoc notat verbum פתל in *Kal* & התפתל in *Hitphahel*, quod LXX. reddunt στρεβλοῦν, item σκολιοῦν, Num.9.15. & παλαίειν, deſignat verò propriè niſum luctantium alternis molitionibus ſe contorquentium, & veſtigia mutua evertere ſatagentium. Sic dum impii luctantur cum Deo peccatis ſuis, Deus cum iis luctatur per judicia ſua & illos ſubvertit. Aliud etiam, perversè agere ὄντως, aliud perversè agere φαινομένως & δοξαστῶς, illud de Deo nunquam dici poteſt, iſtud de Deo cogitatur à malis, quando luunt ſcelera ſua & pœnas dant, cenſent enim vel ſe ſine cauſa malè haberi, ut Apoc.9.20. & 16.11. vel cum Sathana, ſe ante tempus torqueri. Sic viæ rectæ Dei videntur diſtortæ multis, qui perversè de iis & ex judicio corrupto duntaxat ſentiunt. Prout ſcriptura ſæpe de perſonis & actibus perſonarum loquitur ex *ſenſu alieno* potiùs, quàm *ſuo*. Ex oppoſitione enim verborum תתחסד & תתמם quæ beneficia deſignant, & eorum collationem in pios, patet verbum תתפתל deſignare judicia & eorum effuſionem in malos. Et ut priora verba ἐπεξηγητικῶς exponuntur verſu ſequente 28. per *populum pauperem ſalvum facere*, ſic poſterius exponitur per *oculos excelſos humiliare*. Geminus locus eſt Lev. XXVI. 23.24. ubi inquit Dominus, ſi ambulaveritis mecum קרי, in *caſu*, ambulabo etiam ego vobiſcum בקרי in *caſu* & percutiam vos. Vbi LXX. habent θυμῷ πλαγίῳ, phraſi diſtincta in poſteriore membro, h.e. per ἐναντίαν, ut habent Scholia Græca, & occurſum vobis haudquaquam faventem, per *Synecdochen generis pro ſpecie*. Et revera ſic exponitur ab ipſo Spiritu Sancto, quum enim verſ.27. repetatur de malis, ſi ambulaverint cum Deo בקרי *in caſu*, additur verſ.28. quaſi ἐπεξηγητικῶς, & ego incedam vobiſcum בחמת קרי ἐν θυμῷ πλαγίῳ cum *ira caſûs*, h.e. ut ſubjicitur ibidem *corripiam vos etiam ego ſepties*, h.e. graviſsimè propter peccata veſtra. Nec iſta loca aliud quid notant, quàm Deum par pari relaturum, & malis ingeſturum mala, quod Apoſtolus vocat *reddere ſecundùm opera*. Et Hoſeas, cap. 13.7.8. eſſe malis inſtar leonis & pardi, & occurrere eis ut urſum orbatum. Et quia Deus quando punit, videtur facere opus extraneum, & operari operationem extraneam, Scriptura docet, eum quaſi vim ſuæ bonitati facere, & naturam ſuam ad benefaciendum pronam inflectere, quæ tamen per meram συγκατάβασιν dicta θεοπρεπῶς ſunt intelligenda.

XIV. Ad 9. *Exc. Reſp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, neque enim quæſtio eſt, an Deus inquinetur concurſu ſuo cum peccante, ſed an Deus det deceptionem, & an illæ preces piæ ſint, quibus petitur, ut Deus illam det, & ei benedicat, quæ diverſiſsima ſunt. Concurſus ſanè Dei datur cum omni agente, etiam peccatore, tum quoad *immediationem ſuppoſiti*, tum quoad *immediationem virtutis*, ſed non ob id Deus vel deceptionem dat, vel gratas habere poteſt preces, quibus id exigitur.

XV. *Primo* iſti Iudithæ *crimini*, quod eſt in precibus Iudithæ, addimus

aliud, quod nimirum auctor Libri fœminæ isti, quam tamen velut sanctam producit, adscribit cultum meretricium, & ad merum lenocinium compositum, & gloriationem super isto facinore, ut dictum *Thesi* 2. Hoc ipsum verò etiam alienum planè est ab ingenio non tantùm sanctarum fœminarũ, sed & illarum, quæ honestatem civilem inter gentiles etiam professæ fuêre, quæ aucupia ejusmodi vultûs & oculorum detestatæ nonnisi cum velo prodiêre: Iuditha verò ista & vultum àc mundum omnem componit ad illecebras & insidias, antequam Holophernem accedat, immò velut prostibulum quoddam se sistit Holopherni, eum in plagas suas pertrahit, & ardores infames in eo concitat, immò de illis ipsis vultûs sui illecebris & sandaliis suis, quibus rapuerit Holophernem, magnoperè gloriatur, quæ quam pietatem spirent, & quàm appositè cum elogiis fœminæ isti ab auctore passim adscriptis conveniant, cujusvis est judicium ferre.

XVI. *Exc.* 1. Non malum finem, sed bonum ab ea spectatum, & nihil minus quàm lasciviæ quicquam hìc datum, *à posteriori* patere. 2. Rachelis etiam formam commendari, & filiæ Regis, mundum etiam muliebrem ejusdem commemorari, Psalm 45.3. In Cantico Canticorum etiam alia occurrere, longè crudiora, & quæ minus videantur decere Sponsam sanctam & castam.

XVII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim sufficit, bonum finem spectari, opus, bona etiam media adhiberi; bona enim bene riteque tum quæri debent, tum procurari. 2. *Per concessionem*, *à posteriori* sanè patet, Juditham pollutam non fuisse ab Holopherne, sed *eventualiter* planè, & contingenter. At hoc non obstat quominus illa isto cultu ad lenocinium composito Holophernem pellexerit ad æstum illicitum, adeoque scandalum illi objecerit, & cupiditates ejus impuras ultro proritârit, ac id unum egerit, ut eum in sui amorem pelliceret, & hac ratione gradum sibi sterneret ad opus animo destinatum. Adde, per illam non stetisse, quominus pudorem suum decoxerit, & ab homine impotente & impio, nondum ebrio, vi compressa fuerit, quum sui potestatem itinere isto ultroneo in castra Assyriorum fecerit hominibus barbaris & à Dei timore alienis. Abraham eam ob causam omnia tuta timet, Gen. xx. 11. & quodvis scelus in tales cadere censet. Iuditha non item. Ad 2. *Exc. Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, & *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Aliud enim est, formam fœminæ alicujus commendare, aliud, fœminam vultum componere ad aucupium, & id agere, ut pelliciat hominem peregrinum in sui amorem, se in ejus potestatem dare, & de eo gloriari, quod facit Juditha. Inepta etiam est illatio ex Psalm. 45. quum tota ista narratio de forma & mundo filiæ Pharaonis *mystica* fuerit vel *typica* designativa pulchritudinis & ornatus Ecclesiæ. Ad. 3. *Except. Resp.* Supponi falsam ὑπόθεσιν, & peccari παρερμηνείᾳ Cantici istius sacri, quasi verò vel de externa forma Sponsæ, vel de mundo externo muliebri ibi agatur, cùm tamen omnia ibi contenta spiritualia sint & mystica, nec ulla ratione vel debeant, vel possint aptari ulli fœminæ, quæ unquam exstiterit, aut exstitura sit. Ei rei sanè sapienter prospectum à Spiritu Sancto, qui ejusmodi com-

comparationibus utitur, quæ ad corpoream & externam pulchritudinem relatæ absurdæ sunt, & monstrum pingunt vel cercopithecum; sin referantur ad pulchritudinem spiritualem & cœlestem, absconditum habent manna, & sensus mysticos cœlestes ac omni humana facundia superiores. Unde meritò à Judæis hic liber collatus fuit cum *sancto sanctorum* templi Dei, ut Ecclesiastes cum *sancto*, Proverbia verò Salomonis cum *atrio*. Et revera nihil continet nisi Christi tum exinanitionem tum exaltationem, tum beneficia, quæ Ecclesia spirituali connubio cum Christo conjuncta ab eo trahit, tum per motus ordinarios, quos in cordibus fidelium excitat, tum per raptus extraordinarios, & potentia sui desideria, quamvis mista infirmitatibus variis.

XVIII. *Tertium*, quod in Judithæ Auctore notamus, peccatum est, quod fœminam istam, quam velut sanctam, & singularis Dei, tum potentiæ, tum gratiæ organum repræsentat, mendaciorum & stropharum pergulam integram adornasse, & meris dolis & fraudibus Assyrios, Holophernem præsertim, adortam fuisse refert. Quod alienum omninò à fœmina sancta, & Deum timente, quod probamus. 1. *Authoritativè.* 2. *Ratiocinativè.*

XIX. *Authoritativè.* 1. Quia mendacium omne repugnat *præcepto nono* Decalogi, quo veracitas imperatur, & ejus oppositum prohibetur. 2. Quia mendacium omne Diabolum auctorem habet, qui ob id pater mendacii vocatur, Iohan.8.44. non tantùm quia ab illo mendacium ortum habet, sed & quia idem inspirat suis. 3. Quia mendacium omne contrarium est Christi mandato, Matth.5.37. & Apostoli præcepto, Eph. 4.25. 4. Quia mendacium omne gravibus adnumeratur sceleribus, & mendaces Deo dicuntur exosi, gravique pœnæ obnoxii. Proferentes mendacium, homo dolosus, & labia mendacia abominatio dicuntur Domino, & Deum perditurum tales, Psalm.5.7. Proverb.12.22. & 19.5. mendacibus etiam promiscuè assignatur portio in stagno ardente igne & sulphure, Apocal.21.8. 5. Quia abstinendum ab omni *specie mali*, sive εἶδος sumatur *grammaticè*, sive *logicè*, 1.Thessal.5.22. Ergo magis à mendacio. 6. Quia ipsi Gentiles, ut *Aristoteles* lib.IV. Ethic. cap. VIII. mendacium alienum esse docet ab officio viri boni, & virtute præditi, & docet illud esse φαῦλον καὶ ψεκτὸν καθ' αὑτό. Adde dicta eximia *Menandri*, *Phocylidis*, *Homeri*, *Euripidis*, *Theognidis*, & aliorum inter Scriptores Ethnicos. Artaxerxi etiam Regi adeo displicuit mendacium, ut linguas mendaces trisulco clavo configi voluerit.

XX. *Ratiocinativè* etiam idem probatur. 1. Quia mendacium omne repugnat naturæ Dei, qui veritas est. Quicquid verò naturæ perfectissimæ, & summo bono *formaliter* repugnat, non potest non esse malum. 2. Quia mendacium omne repugnat, non solùm *Legi præscriptæ*, sed etiam *Legi inscriptæ*, alienum quippe est ab ingenuitate & honestate omni, contra mentem propriam ire, & divortium facere inter linguam & mentem, quæ Deus conjunxit. 3. Quia mendacium omne habet intrinsecam difformitatem, & vel fallit & nocet simul, vel fallit saltem. 4. Quia menda-

cium omne corrumpit usum verborum, quæ ideo sunt instituta, ut sint signa illorum quæ sunt in mente, & ut cogitata animi pressa cæteroquin & inaccessa aliis, promant. Verba igitur detorquere à ne, ob quem adhibenda sunt, & contrarium significare vocibus ei quod mente animoque complectimur, est actum indebitum admittere, λόγον παρεισάγειν & ἀσέβειαν committere, immò facere ut ἄρρητα non ἄρρητα, sed lateat operta & tecta post siparium. 5. Quia mendacium omne non tantùm *originaliter* malum est, & *formaliter*, sed etiam *effectivè*, aliam enim notionem ingerit animo audientis, quàm ingerere debet. Vnde bene docet *Aquinas* secunda secundæ Qu. cx. Artic. III. Mendacium esse malum *ex suo genere*, & actum cadentem super indebitam materiam. Adde istis omnibus, Juditham non simplex mendacium dicere, sed scenam integram struere ex meris mendaciis, dolis & fraudibus conflatam, quod in pectus sanctum Dei Spiritu plenum cadere nequit.

XXI. *Exc.* 1. Authorem referre, non præstare vel probare mendacia Iudithæ. 2. *Mendacia perniciosa* distinguenda ab *officiosis*. Talia fuisse mendacia Iudithæ, comparata quippe ad salutem populi sui. 3. Mendacia illa in apertorum Dei hostium perniciem duntaxat fuisse comparata, & instrumenta ultioni divinæ in illos promovendæ. 4. Deum singulari ratione benedixisse actionibus istis & institutis Iudithæ, quod tamen haudquaquam facturus fuisset, siquidem illa sibi minus fuissent placentia. 5. Quia exempla alia dantur in Scriptura vel dolorum, vel officiosi mendacii non improbati à Deo, verbi gratia, in *Abrahamo & Isaaco* dissimulantibus conjuges suas, in *Iacobo* per fraudem benedictionem paternam occupante, in *Iosepho* jubente condi scyphum suum in sacco Benjaminis, Genes. 44. & inde occasionem sumente in eum ut furem invadendi. Addi possunt exempla *Obstetricum*, Exod. 1. 18. 19. *Rachaba*, Jos. 2. *Iothami*, Jud. 9. 8. &c. *Davidis*, mendacium suadentis Jonathani, 1. Sam. 20. 6. & falsa referentis Abimelecho, 1. Sam. 20. 13. Adde exemplum *Chusai*, 2. Sam. 16. 18. 19. mentientis Absalomo. Immò ipsum *Elisæum* Prophetam videri mentitum, & deceptorem egisse Syrorum, 2. Reg. 6. 19. Et *Micham*, 1. Reg. 22. 15. *Ieremiam*, etiam in Regis gratiam mentitum fuisse, Ier. 38. 27. Immò Christum Servatorem simulatione usum fuisse, Luc. 24, 28. & Joh. 7. 6. negasse, se iturum ad festum, eò tamen ivisse, vers. 10. Huc referri posse parabolas omnes Christi. Immò Deus ipse videtur mendacium præcepisse Samueli, 1. Sam. 16. 2. ut diceret Sauli, quod venisset Bethleemum ad celebrandum sacrificium Iehovæ, quum tamen alia planè illius itineris causa ibidem referatur. 6. Si alia peccata dispensabilia esse posint, mendacium etiam quandoque dispensabile esse posse. At homicidium, & furtum, inobedientiam etiam erga parentes inter dispensabilia esse, immò & fornicationem exemplo Hoseæ, cap. 1. 2. 7. Mendacium officiosum Judithæ non fuisse contra charitatem: Ergo nec contra Legem. Finem enim legis esse charitatem, 1. Timoth. 1. 5. Ad hunc finem contrà unicè respexisse Juditham, ut populo Dei & Ecclesiæ ac concivibus suis iret consultum, suo etiam dispendio. 8. In Ecclesia veteri mendacium

omne

omne haudquaquam fuisse proscriptum vel damnatum, laudari enim *Flavianum* Episcopum Antiochenum, quod simulatione & mendacio detexerit hæreses *Messalianorum & Eubitarum*. Vide *Theodoretum*, Histor. Eccles. lib.4. cap.10. & *Nicephorum*, lib.11. cap.14. 9. Immò nos ipsos Deo adscribere simulationem & mendacium distinctione voluntatis Dei in *voluntatem signi* contrariam *voluntati beneplaciti*. Et dum docemus, Deum vocare homines ad salutem, quos tamen æterno decreto prius ab omni salutis participatione exclusit. At sic 1. Affingi Deo falsum *formaliter*, nec enim verba, quæ Deo tribuuntur respondent vel menti Dei, vel veritati rei. 2. *Effectivè* tale, quia verbum illud tantùm in majorem convinctionem & condemnationem non electorum cedere dicitur. 3. Non tantùm mendacium Deo à nobis adscribi, sed & ὑπόκρισιν, immò etiam perjurium, cùm Deus juramento à nobis fingatur confirmare, quod tamen falsum esse novit, & cujus contrarium vult, dicendo, se non velle mortem peccatoris, Ezech.33.11.10. Mendacium quoddam, *jocosum* nimirum, inter urbanitatis, quæ virtus ὁμιλητικὴ est, officia referri.

XXII. Ista verò omnia vel levia sunt, vel ἀπροσδιόνυσα, omnia verò ἀνεφάρμοστα. Ad 1. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, immò Auctor ista omnia refert ἐγκωμιαστικῶς, non ἱστορικῶς tantùm, adeoque eo ipso probat, quod refert. Nec enim reprehensionis ullius strictura, immò omnia ad laudem fœminæ istius comparata, benedictio singularis Dei, plausus populi & seniorum, ipsius Judithæ magnifica de facinore à se perpetrato gloriatio, cum encomio vitæ reliquæ subjecto. *Inst.* Nec Noachi ebrietas, nec Lothi incestus vituperantur, nec tamen laudantur, vel probantur à Mose. *Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον ut illa gravia fuêre peccata, sic & mendacia Judithæ. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Αὐτολεξεὶ sanè non vituperatur uterque actus, nec *explicitè*. Vituperatur tamen *implicitè*, & κατὰ τὸ συνεκδέχεσθαι, quia grave probrum, quod ebrietatem Noachi consecutum fuit, & maledictio Chami subjicitur, & auctor notat, utrumque filium ex incestu Noachi natum maledictæ gentis traducem fuisse & patrem.

XXIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Τὸ ἐν ἀρχῇ, quasi officiosa mendacia sint licita, immò immota est regula Apostoli ad Rom.3.8. nunquam esse facienda mala, ut eveniant bona. Nec mendacium ullum officiosum est, quod non sit inofficiosum mentienti, quippe quod & intrinsecam ac *formalem* ἀταξίαν habet, & difformitatem à natura & Lege Dei alienam. Et bene *Augustinus*, cap.15. cont. Mendacium, monet, dicere aliqua mendacia esse justa, esse dicere, aliqua esse justa peccata, & per hoc aliqua iusta esse, quæ injusta sunt. Quod verò per se, intrinsecè & formaliter malum est, id nullius finis, optimi etiam, consideratione bonum reddi potest. Bona enim bene procuranda, & finis bonus promovendus mediis bonis. Nec ἐξωτερικαὶ externæ & ea quæ sunt ἐπουσιώδη possunt mutare ea quæ sunt οὐσιώδη. Et quod suo genere & natura sua malum est, nunquam potest reddi bonum. 2. Κατὰ τὸ βίαιον si mendacium quoddam potest esse licitum, quia officiosum est, & prodest proximo, furtum etiam aliquod licitum erit, & perjurium, & homicidium, quia & illa possunt esse

utilia quandoque, adeoque furtum, perjurium, & homicidium quoddam officiosum erit & licitum.

XXIV. Ad 3. *Exc. Resp.* Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & Elencho ἐκ τῶν ἐν μέρει. Vel enim argumentum ducitur *ex universali*, quicquid comparatum est in perniciem hostium Dei, & instrumentum est ultionis divinæ promovendæ, id bonum esse, quod falsum, cùm & dæmonum actiones sæpe tales sint & pessimorum hominum: Vel *ex particulari*, & sic ἀναι-ρετόν est. Nec vel hostium pernicies statim promovenda, sed salus potius, quale quid haudquaquam à Juditha tentatum. Vel si vis illorum avertenda, nec sine illorum exitio averti potest, legitimis tamen mediis id occupandum & perficiendum est.

XXV. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *denuo paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *Elencho* ἐκ τῶν ἐν μέρει. In universali enim falsum, id omne semper bonum esse, cui Deus aliquam benedictionem vel successum largitur. Nam & malorum institutis Deus sæpe benedictionem & successum largitur, v. g. expeditionibus gentilium in populum Dei, Nebucadnezari, Herodi, aliis. Sic adulteris & fornicatoribus Deus largitur sobolem, scelestis vitam longam, valetudinem, robur. Quamvis enim talia illis vertantur *consequenter* in malum, in se tamen non desinunt esse bona *materialiter*. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Distinguendæ enim benedictiones spirituales à corporalibus, internæ ab externis, æternæ à temporalibus. Posterioris verò generis benedictiones etiam cadunt in malos, & sunt dona communia, non specialia adoptionis, Deus verò agit cum hominibus, ut Abraham cum filiis suis, concubinarum filiis admetitur dona, Isaaco vero destinat hæreditatem. Sic impiis dona dat Deus, Filios vero suos jubet cernere hæreditatem, Gen. 25. 1. 6. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, successum ejusmodi datum Judithæ, & per eam populo Dei. Demonstratum verò in superioribus, nulli tempori competere posse ea quæ hic narrantur.

XXVI. Ad 5. *Exc. Resp.* .1 *In genere.* 1. Peccari παρὰ τὸ ἑπόμενον, neque enim actiones *ad exempla* componendæ, sed *ad normam*, ad legem & testimonium. Nec si à sanctis aliis peccatum fuit, Judithæ peccare licuit, nec si David adulterium admisit & cædem, Petrus abnegavit Dominum, id in patrocinium sceleris trahendum. Bene *Augustinus* libro contra Mendacium docet, talia, non quia facta creduntur, ideò facienda credi debere, nec violanda præcepta esse, dum sectamur exempla. 2. Peccatur *Elencho parium* in exemplis, nec enim ullum exemplum simile tot stropharum & technarum occurrit in toto Codice sacro, quale occurrit in libro Iudithæ, nec unquam drama simile adornatum legitur in populo Dei.

XXVII. II. *In specie* ad exempla singula respondendum. 1. Ad *exempla Abrahami, Isaaci & Iacobi, Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, hæc ipsa exempla retorquenda. Vt enim in iis peccatum ab Abrahamo, Isaaco, Iacobo: sic & à Juditha. 2. Peccatur *Elencho parium*. Aliud enim, dissimulare veritatem, & verbo ambiguo uti, aliud mera mendacia, & plurima quidem, gratis confingere. Aliud, ex infirmitate ad sui tutelam ad actum ejusmodi peccaminosum abripi: aliud, data opera aliis perniciem dolis & men-

daciis

daciis ſtruere. 3. De Iacobi exemplo actum in ſuperioribus, & tum inconſequentia illationis oſtenſa, tum diſparitas exempli.

XXVIII. 2. Ad exemplum *Ioſephi Reſp.* 1. *Κατὰ τὸ βίαιον.* In eo ipſo à Ioſepho periclitari cupiente mentem fratrum erga Benjaminum, peccatum fuit: ergo & à Iuditha. 2. Peccatur *Elencho parium*, fraus enim Ioſephi in bonum illorum verſa fuit, quos decepit: Iudithæ verò in exitium Holophernis, quem non hortationibus ſanctis, & minarum ac judiciorum Dei denuntiatione à Iudæorum oppugnatione avertiſſe, vel ad meliorem mentem revocaſſe: ſed hominem temulentum & vino, ac libidine æſtuantem in hoc ſtatu jugulando, ei non tantùm vitam, ſed & ſalutem æternam intervertiſſe legitur.

XXIX. 3. Ad exemplum *Obſtetricum Reſp.* 1. *Ἀρνητικῶς per negationem*, cum eruditiſſimo interprete *Iunio*, nihil enim abſurdi, ſi mentitas fuiſſe obſtetrices negamus. Nec contrarium evincunt verba quæ habentur, v. 9. nimirum, Hebræas non eſſe, ſicut mulieres Ægyptias, eas enim vividas eſſe vel vegetas & parere, antequam ad eas veniant obſtetrices. Quid obſtat enim, quominus ſive nativus quidam vigor juverit mulieres iſtas in maturando partu, vel metus, ne ab obſtetricibus manus injiceretur ſuæ ſoboli, *στοργὴ* matrum excitarit ad majorem niſum, vel ſingularis gratiæ Dei benedictio acceſſerit, quæ parturientibus ad partum præproperum velut obſtetricata fuerit. Nihil hîc vel coacti vel abſurdi. *Inſt.* Atqui 1. Pollicitæ illæ fuêre Regi, quæ non adimplevêre, ut patet ex collatione verſ. 16. & 17. 2. Dicuntur ibidem verſ. 17. *vivos conſervaſſe natos*, quod de iis dici non potuiſſet, niſi obſtetricatæ fuiſſent parturientibus mulieribus Hebræis. Falſum ergo quod regeſsêre Regi. 3. Adde, iſta ab obſtetricibus dici fallendi Regis & ſui ſervandi gratia. Teſtantur ſaltem Regi, per ſe non ſtare, quominus exequantur mandatum ſibi datum, quod tamen falſum erat. 4. Immò falſa cauſa ab illis aſſignatur pro vera, cauſa enim cur non parerent Regi erat *timor Dei*, quod notatur diſertè in textu, iſta verò cauſa diſſimulata falſam ponunt, culpam ejus rei rejiciendo in mulieres Hebræas. Ad 1. *Reſp.* Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*, nec enim pollicitationis obſtetricum ulla fit mentio, ſed tantùm mandati Regii. *Inſt.* Colligitur pollicitatio ex expoſtulatione. *Reſpond.* Peccari *παρὰ τὸ ἐπιτίμιον*, quamvis enim nulla intercedat pollicitatio, tamen mandatorum regiorum tranſgreſſores non tantùm increpationi obnoxii redduntur, verùm etiam pœnæ. Ad 2. *Reſp.* 1. Peccari *παρερμηνείᾳ* phraſeως: Quum enim חיה in *Pihel* quod adhibetur in textu, ſumatur *ſenſu intranſitivo*, ut notum, pro *non occidere*, hoc ſenſu vivificaſſe dici poſſunt obſtetrices illæ infantes, vel non occidiſſe, quatenus non maturabant ſuum ad Iſraelitarum puerperas acceſſum, quas in ipſo partu cæteroquin occupare potuiſſent, vel antevertere ipſa partus momenta, ſi id cum cura egiſſent, & avidè ſanguinariam iſtam prædam captaſſent. Hinc enitebantur fœtum parturientes ordinariè, cauſis ſupradictis ſtimulatæ, ante earum adventum. Ad 3. *Reſpond.* 1. Per *ἄρνησιν*, *per negationem*, prius ab obſtetricibus intentum. 2. Per *συγχώρησιν*, *per conceſſionem*, intentum poſterius, nec hoc ſolum, ve-

rùm etiam ut Regem à ſanguinario iſto mandato averterent, dum oſtendunt difficultatem ejus exequendi. Et dubio procul pleræque matres Iſraeliticæ celabant cum cura, quantum fieri potuit, pondus uteri, adeoque vix obſtetricibus ſæpe conſtare poterat ingruere tempus partus, vel matres ei vicinas eſſe. Adeoque interdum ſtabat per mulieres Hebræas, ne in tempore adeſſe etiam poſſent. Adde, obſtetrices non teſtari, per ſe non ſtare, quominus exequantur mandatum, ſed tantùm id affirmant, quod verum erat. Vnde *indefinita* utuntur locutione, non *universali*, nec omnibus puerperis hoc tribuunt, ſed aliquibus duntaxat. At 4. *Reſp.* Peccari *Elencho oppoſitorum*, nec enim pugnant ſubordinata. Cauſæ itaque illæ componendæ, non opponendæ. Cauſa ſanè primaria, cur non parerent Regi, erat timor Dei. Nec verò opus erat id profiteri apud Regem profanum, & à Dei cultu alienum, ſatis, nihil falſi ab obſtetricibus dici. Quod tamen non obſtabat, quominus accederet impedimentum aliud, à maturo partu Iſraeliticarum matrum, quibus amittendi fœtus formido maximum incentivum, erat, ut viribus omnibus, arte fortè etiam & *naturalibus activis* in ſubſidium adhibitis, conniterentur onus illud uteri quàm maturrimè excludere. Adde neceſſariò illarum duarum mulierum adventum anteuertiſſe plurimas ex matribus Iſraeliticis, neque enim maturè adeſſe poterant ipſæ omnibus parturientibus in tam numeroſo populo, quamvis à quibuſdam præfectæ tantùm aliis cenſeantur, quæ ab earum nutu penderent. II. Reſponderi tamen etiam poteſt συγχωρητικῶς, *per conceſſionem*, quod reſponſum Magnis Interpretibus placuit, nec temerè à nobis rejicitur. Demus, obſtetrices mentitas, demus etiam mendacio peccaſſe. An unum mendacium patrocinabitur alteri? vel an exemplo malo ab exemplo gemino aliquod accedet robur? Haudquaquam ſanè. Præterquam quod in exemplis ipſis maxima ſit diſparitas. *Inſt.* Atqui Deus benedixiſſe dicitur iſtis fœminis, & domos illis ædificaſſe, *Reſp* Peccare *Elencho non cauſæ.* Neq;enim cauſa benedictionis divinę fuit mendaciũ obſtetricum, ſed timor Dei. Iſti itaque, ut ut cum infirmitate conjuncto, benedictum, non illi, prout & Achabo ac Ninevitis benedictum, quamvis haudquaquam verè reſipiſcentibus, minus plenè. Et quum duplex in obſtetricibus fuerit *principium*, duplex etiam fuit *principiatum.* Hinc impellebat obſtetrices Domini timor, inde timor Regis. Ille cauſa conſervationis infantium fuit, iſte, mendacii. Prout in Petri abnegatione, cauſa luctæ in Petro erat timor Dei, abnegationis, timor hoſtium Chriſti. Et *Auguſtinus* in talibus bene diſtinguit, *benignitatem mentis & iniquitatem mentientis*, lib. contr. Mendac. capite 15. id quod *factum miſericorditer* & id quod *factum fallaciter.* Sic inquit idem, *merito miſericordia* dimitti, quæ *propter miſericordiam* committuntur, voce meriti ἀναλόγως & impropriè ſumpta, ex uſu veterum. Immò diſtinguenda verba & acta obſtetricum, iſta bona erant, illa non item. Adde, remunerationem iſtam non *debitam* fuiſſe, ſed *gratuitam*, nec ex *operis dignitate* profectam, ſed ex *remunerantis bonitate*, nec vel ſpirituale bonum contuliſſe, vel æternum, ſed corporale duntaxat & temporarium.

XXX.

XXX. 4. Ad exemplum *Rachabæ*. *Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, peccatum excusari peccato. 2. *Elencho parium*. Exemplum Rachabæ simile esse exemplo Judithæ. Illa enim hospitum salutem intendit, ista excidium. Illa interrogata obtendit mendacium vitæ suæ seruandæ: ista ultrò mendaciorum pergulam primò struit, post extrudit. 3. Peccatur *Elencho non causæ*, Rachabam conservatam ob mendacium, id ipsum enim alij planè causæ transscribitur, *fidei* nimirum Rachabæ, & hospitalitati exercitæ in exploratores, ad Hebr.11.31.

XXXI. 5. Ad exemplum *Iothami*, *Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *parium*. Alia enim ratio *Apologi*, mendacij alia. Ille non *historiam* proponit, sed *typum*, nec aliquid repræsentat, ut factum, nec hoc quod proponit se intendere profitetur, vel falsum, per id quod proponit, intendit, sed intendit aliud, & verum quidem. Vnde ἀπόλογος Græcis quasi ἀπ' ἄλλου λόγος, ut aliud ex sermone proposito concludendum innuatur. Hinc quod hominum est, tribuitur vel animalibus brutis, vel plantis, vel aliis creaturis inanimatis. Vbi evidens, *materiale* non spectandum esse, sed *formale* duntaxat, non ῥητόν, sed ὑπόνοιαν. Mendacium proponit falsum sine cortice: Apologus verum sub cortice. Mendacium proponit verisimile, ut fallat, apologus ab omni verisimilitudine alienum, ut doceat. Hinc bene inquit Augustinus lib.11. Soliloq. cap.xi. ne fabulam quidem mendacium propriè dici posse. Quum enim inducantur inanima, seu animæ expertia inter se loqui, è vestigio sentiri rem fingi, non verò ita gestam esse. Sic Apologo Jud.9. proposito id duntaxat intenditur, bonos olivâ, ficu & vite designatos (quales sint Ierubaalis filij) ad honores illicitos haudquaquam ambire, sed malos duntaxat rhamno designatos, qualis sit Abimelech. Et si Sichemitæ benefecerint in eligendo homine scelesto, ut gaudeant istâ suâ electione, sin minus, sentiant justum Dei in se judicium. 2. Peccatur *falsa suppositione*. A Dei Spiritu dictatum fuisse vel apologum istum, vel alterum, qui exstat, 2.Reg. cap.14. vers.9. quo Ioas impius Rex Israelis & tumidus Amaziam Regem Iudæ contemnit, & ei exitium interminatur, velut æquè sibi imparem, ac spina impar est cedro.

XXXII. 6. Ad exemplum *Davidis*, *Resp.* 1. *In genere* peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim sanctorum ὑστερήματα & lapsus vel probantur, vel patrocinantur lapsibus aut peccatis aliorum. Adde, peccari *Elencho parium*, & denuò conferri imparia. 2. *In specie*, Ad locum ex 1.Sam.20.6. *Resp.* 1. Συγχωρητικῶς concedamus, mendacium à Davide suasum fuisse Ionathani, an ob id sequitur id vel in Davide probandum esse, vel in Juditha? At sanctissimi etiam suos patiuntur manes, & quandoq; agunt non ex principio *naturæ renovatæ*, sed ex principio *naturæ corruptæ*. 2. Ἀρνητικῶς, negari enim potest, mendacium suggestum fuisse Jonathani à Davide. Verum enim erat, Davidem iturum in Bethleem ad sacrificium annuum suæ familiæ, eumque commeatum ei rei perficiendæ à Jonathane postulare, sed & hoc verum erat, cum reversurum tertia die ad locum

FF

conditum Jonathani, ut colligi poteſt ex verſ.19. & 35. *Inſt.* Atqui David ipſe fatetur, ſe abſconditurum ſeipſum in agro uſque ad veſperam tertiæ diei? *Reſp.* Satis, abfuturum Dauidem ab aula, & in agro futurum toto illo tempore. In agro verò fuit etiam quum Bethleemi eſſet. Ad locum ex 1.Sam.21.2. *Reſp. Per conceſsionem.* Mendacium ſanè prolatum à Davide, ſimplex tamen, & diſpar technis Judithæ, ſed in eo peccatum à Davide. Ad locum ex 1.Sam.21.13. *Reſp. Per conceſsionem* denuò, & iſta ſimulatione ex nimia hominum formidine peccatum fuiſſe à Davide, ſed nec id vel laudabile, vel excuſandum.

XXXIII. 7. Ad exemplum *Chuſai Reſp.* 1. *Per conceſsionem*, verba Chuſai mendacia fuiſſe. 2. *Per negationem*, exemplis ſtandum eſſe, non regulis exemplorum.

XXXIV. 8. Ad exemplum *Eliſai*, *Reſp.* 1. *Per negationem*, falſum enim, mendacium ullum ab Eliſæo fuiſſe prolatum, immò id ab eo prolatum, quod veriſsimum erat. Quærebant milites iſti Prophetam, & viam ducentem ad urbem, in qua credebatur latere. His obviam factus Propheta, inquit, *Non eſt hæc via, neque hæc eſt civitas illa*, videlicet in qua reperturi eſtis Prophetam, cum revera non amplius eſſet in Dothan, *ſequimini me, & ducam vos ad virum illum, quem quæritis.* Sic duxit eos Samariam. Et ſanè ibi demum oculi eorum aperti fuêre, & videre, ſe Prophetæ proximos eſſe. Nec pollicetur Eliſæus, ſe illis oſtenſurum civitatem quam quærerent, ſed *quem quærerent virum*, quod reipsâ implevit. Quæ ſolutio præferenda illorum ſententiæ, qui cenſent ex hoc exemplo & aliis id genus, licere alios auertere à malè agendo per fictionem aliquam, quod eſt mala probare, & malis fibulam laxare ad fraudes & mendacia ob bonum finem. 2. Adde, peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *parum*. Nec enim Syris exitium molitur Eliſæus, ſed potiùs eos ab exitio præſeruat, quum Rex Iſraelis vim in eos moliretur, v.22.

XXXV. 9. Ad exemplum *Michææ* ex 1.Reg.22.15. *Reſp.* Supponi falſum. Michæam iſta dixiſſe ἀποφατικῶς, vel προφητικῶς, quum ea tantum dicat εἰρωνικῶς, & μιμητικῶς, non ex ſua, ſed ex Regis & Pſeudoprophetarum ſententiâ, non ut eos falleret, ſed ut eos falli doceret. *Inſt.* Atqui Michæas profitetur prius v.14. ſe dicturum id, quod ſibi à Jehova ſuggeratur, quod tamen non fecit. *Reſp.* Id reverâ à Michæa factum, tunc cum adjuraretur, ut in nomine Jehovæ eloqueretur veritatem, v.16.17. quamvis prius quum in nomine Jehovæ non adjuraretur, in nomine Iehouæ non reſponderit, ſed ex ſenſu aliorum tantùm per μίμησιν locutus fuerit.

XXXVI. 10. Ad exemplum *Ieremiæ*, *Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. A Jeremia mendacium ullum in gratiam Regis prolatum fuiſſe: Immò id relatum Principibus, quod veriſsimum erat, nimirum, Regem à ſe rogatum, ne denuò in carcerem priſtinum, in domum Ionathanis detruderetur, quod revera Ieremias à Rege contenderat, ut patet ex Ier.37.15.20. & 38.15.16. ne traderetur in manus hoſtium ſuorum. Aliud verò longè, partem veritatis non neceſſariam non edicere, aliud falſum, pro vero narrare. Prius licitum eſt, poſterius non item.

XXXVII.

XXXVII. 11. Ad exemplum *Christi* ex Luc. 24. *Resp.* 1. Falsum supponi, simulationem omnem esse mendacium, quod falsum. Distinguenda enim simulatio *ad tentandum* comparata & *docendum*, à simulatione comparata *ad fallendum*. 2. Falsum, Christum simulatione usum fuisse, Luc. 24.28. ad fallendum, quum προσποίησις ista Christi comparata fuerit ad tentandum duntaxat discipulos, an flagrarent desiderio sui retinendi. At mendacium omne ad fallendum comparatum est. *Inst.* Omnis fictio sive verbis fiat, sive factis, mendacium est, quippe quæ tendit ad ingerendam alij opinionem falsam. At Christus & mutatâ corporis sui formâ, & impeditis ac præstrictis discipulorum oculis & simulatione profectionis ulterioris alium se volebat credi, quàm reverâ erat. Quod exemplum obtentui jam olim sumptum à *Priscillianistis*, qui ut patet ex libro *Augustini* contra mendacium ad *Consentium* cap. 13. inde concludebant, licere exemplo Christi aliquando mentiri: Immò & *Chrysostomus* & *Cassianus* in eundem scopulum hoc exemplo impegêre. *Respond.* 1. Peccari *falsa suppositione*, & *Elencho ex particularibus*. Falsum enim *in vniuersali*, omnem fictionem sive verbis sive factis expressam, mendacium esse. Atqui sic parabolæ omnes Christi, & visiones Propheticæ mendacia forent, quod blasphemum. 2. Falsum, omnem fictionem tendere ad ingerendam alij opinionem falsam, nec enim ille vel apologorum, vel parabolarum scopus est, sed potius, ut vera ingerantur animis, & illi de talibus moneantur. 3. Falsum, Christum voluisse se credi alium, quàm erat, & discipulos falli. Immò ideò se stitit illis, ut agnosceretur qualis esset. 4. Falsum etiam, Christum formam mutasse, nec enim id in textu docetur. Id enim non ex *mutatione objecti*, nimirum Christi, ortum, sed tantùm ex *mutatione subjecti*, oculorum nimirum in discipulis, qui retenti. Quod verò non se statim ingerat Christus ipsorum oculis, id singulari dispensatione factum, ut Discipulorum suorum animos hac ratione periclitaretur, & eos sensim ad veram sui agnitionem deduceret, primò verbis & Scripturarum interpretatione, deinde ostensione sui directa. Scopus itaque Christi non fuit, ut falleret discipulos, vel ut eos in errorem induceret, sed ut eos ab errore liberaret, sed *per gradus*, animos illorum prius ad se conuertendo, quàm oculos. 3. Adde, τὸ προσποιεῖσθαι non *formaliter* intelligendum videri, sed *materialiter* duntaxat, nec enim Christi intentio erat, simulare se progressurum, sed id duntaxat egit Christus, quod progressum ulteriorem simulans agere solet, qui passus aliquot ultra locum destinatum progreditur. Ubi ergo intentio fallendi abest, vel simulandi, ibi simulatio abest, quamvis id fiat *materialiter*, quod simulantes vel fallere cupientes facere solent. Licet itaque passuum aliquot promotio iter ulterius designare videatur, id tamen non necessarium est, nec ex eo necessariò infertur. Et Christus hoc egit, ut proliceret preces suorum, & ardentiùs sui desiderium excitaret, ut parentes discessuri liberorum, amici amicorum preces prouocare solent. Sic distinguunt *Scholastici* cum *Bonaventura*, inter *simulationem cautelæ*, vel *doctrinæ*, & inter *simulationem deceptionis*, & priores duas species licitas censent, & à Dauide, ac Chri-

sto adhibitas, tertiam non item. 4. Immò hoc ipsum προσποιεῖν referri potest ad *euentum*, & *ex consequenti* interpretandum videtur. Non quod Christus non vellet ulterius progredi, nisi discipulorum precibus retineretur, sed quia revera ulterius non processit, videbatur simulasse duntaxat iter ulterius. Nec nouum Sacris Scriptoribus, res efferre sæpe κατὰ δόξαν potius, quàm κατ' ἀλήθειαν, in talibus, & vel opiniones vel verba hominum de rebus potiùs exprimere, quàm res ipsas, salvâ tamen semper rerum veritate; Sic Euangelium vocatur *stultitia*, multi *justi*, *sapientes*, & alia id genus.

XXXVIII. Ad exemplum Christi ex Johan. 7. 6. 8. 10. *Resp.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid*, & παρωνυμία loci. Nec enim Christus negat ἁπλῶς se ascensurum ad festum, sed κατά τι, negat se *tunc* ascensurum, quando nimirum rogabatur à fratribus. Quamuis itaque post ascenderit, id tamen interjecto aliquo temporis interuallo demum factum, ut patet ex collatiòne v. 9. & 10. Id ipsum docent verba aperta Christi, ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν, *Tempus meum nondum adest*, v. 6. & v. 8. ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, *Ego nondum ascendo*, q. d. Christus, hominum aliorum actiones & suas diversas esse, aliorum actiones componi ad consuetudines, exempla, inuitationes, & leges humanas, suas verò ad peculiarem nutum & instinctum patris. *Syrus* rem expedit aliter, qui habet ℣. 6. זבני דילי עד מא להשא לא מטא *Tempus quod mihi vsque nunc non venit*: Et vers. 8. אנא לא סלק אנא השא *Ego non ascendo nunc.* Arabs Syrum interpretem hic sequitur, & pro οὔπω legit νῦν. *Cyrillus Alexandrinus* Hypomnem. in Johan. l. 4. cap. 5. versu quidem 6. habet τὸ οὔπω, versu verò 8. habet simpliciter ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω, *ego non ascendo*: sed quamuis ista lectio admittatur, versus 8. exponendus est ex versu sexto & cum *Syro* dicendum, Christum nunc non ascensurum. Adde, id ipsum etiam referri posse ad *modum* rei, non ad *rem* ipsam, hoc est, ego non ascendo scilicet *vobiscum*, vel φανερῶς, *manifestè* ex vers. 7. ascendit enim ἐν κρυπτῷ *occultè*. Vnde nulla prorsus vel simulationis, vel mendacij species. Immò ipso versu 8. *Cyrillus* habet ὅτι ὁ ἐμὸς καιρὸς οὔπω πεπλήρωται, *quia meum tempus nondum impletum est*, unde τὸ οὐκ æquipollet τῷ οὔπω, quum posteriori membro reddatur ratio prioris. *Theophylactus* utramque sententiam conjungit, & quoad *tempus*, & quoad *modum* ascensus ad versum decimum, οὐκ εἶπε καθάπαξ, ὅτι οὐκ ἀναβαίνω, ἀλλὰ νῦν, τουτέστι, μεθ' ὑμῶν. *Non dicit simpliciter, non ascendo, sed nunc, hoc est, vobiscum.* Vnde nulla hic nec *Porphyrio* veteri, nec novis cavillandi πρόφασις.

XXXIX. Ad parabolas Christi quod attinet, *Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *falsa suppositione*, quasi verò parabolæ mendacia forent, vel mendaciis patrocinarentur, atqui parabola non adhibetur ut significetur id esse, quod dicitur, sed ut significetur id esse, quod adumbratur per id quod dicitur. Est enim προσθήκη tantùm ὁμοιωματικὴ ἐπὶ παραθέσει τῶν ὑποκειμένων, ut habet *Varinus*. hoc est, *adjectio vel collatio comparatiua*, vel *sermo similitudinarius*, ut habet *Thomas*, *rerum subjectarum illustrationi destinata.* Vnde non propter *materiale* suum proponitur, sed propter suum *formale*, & ut bene inquit Hieronymus in capite duodecimo Ecclesiast. parabolæ

aliud in

aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur, & ut in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur; ita in eis divinus sensus altius perscrutandus. Differunt itaque omninò mendacium & parabola. 1. *Originaliter*, quia mendacium omne vel à mala mente, vel à bona ad malum deviante: Parabola verò à bona mente in bono persistente. 2. *Formaliter*, quia mendacium omne intrinsecam habet disconvenientiam cum mente dicentis, parabola non item. 3. *Terminativè*, quia mendacium comparatum est ad fallendum, parabola ad docendum. 4. *Effective* & *consequenter*, quia per mendacium falsa ingeneratur notio animo audientis, per parabolam verò, vera. Hinc bene à *Suida* definitur parabola λόγος αἰνιγματώδης quidem & κεκρυμμένος, sed πρὸς ὠφέλειαν φέρων, *oratio* quidem *ænigmatica* & *occulta*, sed *ad vtilitatem ducens*. Et *Augustinus* lib. 11. Quæst. Euangel. Tom. IV. negat appositè, omne id quod fingimus mendacium esse, sed quando id fingimus, quod nihil significat (vel falsum) tunc mendacium esse. Quum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non esse mendacium, sed aliquam figuram veritatis. Addit paulò post: Sicut dicta, ita etiam facta fingi sine mendacio ad aliquam rem significandam. Nec sensus parabolæ *in materiali*, vel in προτάσει consistit, sed in ἀποδόσει & *applicatione* προτάσεως, quæ eius *formale* habet. Immò si ne fabulæ quidem mendacia sunt, ad docendum quippe non fallendum comparatæ, nec corticis, sed medullæ & ἐπιμυθίου gratia propositæ, minùs parabolæ. Parabolarum verò à Christo adhibitarum causæ fuere, 1. *Consuetudo Orientalium*, ut docet *Hieronymus* in caput 17. Matth. 2. *Vtilitas Auditorum per se*, quippe quæ opportunæ admodum ad institutionem, commotionem, commonefactionem, & recordationem, quando cum iis negotium, qui habent αἰσθητήρια minus γεγυμνασμένα ob imagines petitas à rebus obuiis, crassis, quotidianis, quæ & facilius imprimuntur animo, & hærent altius, & crebrius obversantur memoriæ. 3. *Conuictio*, vel *Confusio obstinatorum, per accidens*, ut patet ex Matth. 21. Marc. 4. & Luc. 7.

XL. Ad exemplum Dei ipsius ex Sam. 16. 3. *Resp.* Falsum supponi, verba à Domino suggesta falsum suggessisse Samueli, quod impium & blasphemum. Immò id suggessère, quod verissimum erat. Quamvis enim alio etiam fine concedendum erat Bethleemum Samueli, ungendo nimirum Dauidi, id tamen non obstabat, quominus eò tum sacrificij tum convivij etiam celebrandi causa concesserit. Immò inde occasio unctionis illius sumenda erat Samueli. Aliud verò, fines omnes non exponere alicuius rei; aliud, finem falsum proponere. Prius Samueli à Domino suggestum, non posterius. Prius etiam licitum erat, non posterius. Nec uno fine posito negantur alij, ubi illi sunt ὑπάλληλοι & subordinati. *Inst.* At hic non erat finis primarius, qui indicandus videbatur. *Respondeo*, Denuò falsum supponi, quamuis veritatem cuivis semper proponendam, satis est, nullam falsitatem proponi. Verum occultare, & non expromere quandoque licet, falsum verò expromere nunquam licet.

XLI. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. *Supponit falsum*, ullum peccatum dispensabile:

eſſe. Aliud verò, aliquam legem, aliquod præceptum diſpenſabile eſſe, aliud, peccatum aliquod tale eſſe. Prius datur, non poſterius. Sic ſanè dici poteſt,quædam præcepta continere *honeſtum æternum*, quod indiſpenſabile prorſus,quale,non habere alium Deum pro vero Deo,Deum amare, & alia id genus; alia continere *honeſtum poſitivum*, quod temporarium & mutabile, quia non ut prius pendet etiam à *natura præcepti*, ſed tantùm à mera *voluntate præcipientis*, qualia præcepta fuêre ceremonialia V. Teſtamenti & *poſitiva* varia alia. 2. Peccatur *contradictione in adjecto*, & ſtatuitur *oppoſitum in appoſito*,dum id ſtatuitur peccatum eſſe, in quo tamen intercedat diſpenſatio, divina nimirum. Atqui eo ipſo deſinit aliquid eſſe peccatum, quo deſinit contra præceptum & voluntatem Dei fieri, nec enim poteſt eſſe ἁμαρτία, ubi nulla eſt ἀνομία. 3. Exempla ſunt ἀσεσσθέντων. Nec enim homicidium omne *intrinſecam difformitatem* abſolutè habet, immò actus juſtitiæ quandoque eſt, ſed tunc demum in vitio eſt, quando fit ſine mandato, authoritate, & officio, alioquin non licitum tantùm, ſed & præceptum eſt. Nec *furtum* aliquod diſpenſabile legitur, nec exemplo Iſraëlitarum docetur, quum non invito, ſed volente Domino translatio vaſorum ab Ægyptiis ad Iſraëlitas facta fuerit,nec in Oeconomorum, ſed Dei poteſtate omnia ſint,nec compenſatio laborum à Domino tributa furti nomine ulla ratione cenſeri poſsit, & ineptè planè *actus* ſive *libertatis* & *Dominii*, ſive *juſtitiæ* Dei furti nomine traducitur. Nec *obedientiæ* parentibus debitæ unquam à Domino intercoſſum,præterquam quod ea limitata ſit, non abſoluta, & Domini arbitrio obnoxia. Fornicationem Hoſeæ conceſſam, πρῶτον ψεῦδος eſt,neque enim vel præceptum, vel obſequium præcepto ſubnexum cap. 1. vel facienda Prophetæ, vel facta à Propheta repræſentantur, ſed annuntianda duntaxat & annuntiata, typum proponendum eſſe populo à muliere fornicaria, & illum à Propheta revera propoſitum fuiſſe. Et ſanè ſenſus Hiſtoricus repugnaſſet tum honeſtati naturali, tum bonis moribus,tum ſanctitati Prophetæ, tum dignitati muneris illius, tum ſcopo Dei, qui erat impuritatum omnium nomine populum reum peragere. Nec hiſtoricus ſenſus ſine contradictione locum habere poteſt, nec enim vel ſtatim geminum partum edere potuiſſet fœmina iſta, nec filii illi fuiſſent filii fornicationum. Adde, viſionem etiam nequicquam intelligi, quum nec Dei ſanctitati conveniat, fœdas ejuſmodi imagines Prophetis ſuis objicere, nec muneris illorum dignitati,tales excipere,nec ſcopo revelationum,qui erat avertere homines ſceleſtos non tantùm ab idololatria,ſed etiã ab omni fœditate.

XLII. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per conceſſionem*, demus, factum Judithæ non fuiſſe contra charitatem, peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ſatis enim eſt, illud fuiſſe contra veritatem, & ſinceritatem, immò & honeſtatem. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, reverâ enim id contra charitatem etiam erat, loco monitionum & comminationum debitarum blanditiis & mendaciis os ſublinere Holopherni, offuciis & illecebris variis impudicos ignes in ejus animo excitare, & hominem vino ſomnoque ſepultum in ſtatu iſto jugulare, non vitæ tantùm præſentis, ſed & æternæ

certo

certo dispendio. 3. Peccatur *falsâ suppositione*, Ecclesiæ Dei consulendum esse mendacio vel fraude, & mala facienda ut eveniant bona.

XLIII. Ad 8. *Exc.* à facto *Flaviani* Episcopi Antiocheni *Resp.* 1. Peccari *falsâ suppositione*, & *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim exemplis standum, sed regulis. Nec sanctissimorum etiam praxis legem figit, sed officium. 2. Peccatur *Elencho parium*. Alia enim prorsus ratio facti Flaviani, quod refertur à *Theodoreto* & *Nicephoro*. Ille enim tantùm blandè aggreditur Adelphium unum ex Messalianorum & Euchitarum antesignanis, ut ab illo expiscaretur mysteria Sectæ, quæstione institutâ, quomodo malus spiritus pelli, & bonus conciliari possit. In quo nulla mendacii species. Quamvis verò præmittat, accusatores calumniari, & testes mentiri, id tamen sine mendacio dici potuit, quia dubio procul censuit vir pius pejora & diriora Sectæ illi impingi, quàm illa profiteretur. Prout in majus & pejus singula ut plurimum augeri soleut.

XLIV. Ad 9. *Exc Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, nos sive distinctione voluntatis Dei in *voluntatem signi* & *beneplaciti* Deo simulationem adscribere & mendacium, sive doctrinâ *de gratia speciali* vocationis, quod est inter πρῶτα ψεύδη. 2. Peccatur *falsâ suppositione*, nos Deo affingere falsum *formaliter*, & verba Deo tribuere, quæ nec menti Dei respondeant, nec veritati rei. Immò verba sive *voluntatem signi*, quæ, ut notum, per κατάχρησιν in Scholis ita vocari solet, exprimentia, sive exprimentia *voluntatem beneplaciti*, respondent & menti Dei, & veritati rei. Illa quia exprimunt, quid Deus *à nobis* fieri velit, ista, quid *de nobis* velit fieri: Illa ostendunt *actum hominis*, ista *Dei*: Illa *officium*, ista *eventum*. Et in eo peccatur, quod verba seu signa non referantur ad conceptus illos, ad quos referri debent. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quamvis verbum illud in majorem convictionem & condemnationem non electorum cedat, ob id Deo *effectivè* falsum tribui. Nec enim ista sive falsa sunt, sive mala *per se*, nec verbum illud est *causa efficiens* sive convictionis, sive condemnationis non electorum, nec utraque *per se* ex verbo illo sequitur, sed *per accidens* duntaxat, & causa istorum evetuum non est in verbo quod *objectivè* proponitur, sed *subjectivè* in vitio. Auditorum id genus, qui verbum per se bonum in perniciem suam στρεβλοῦσι, quia sunt ἀμαθεῖς & ἀστήρικτοι. *Inst.* Atqui fingitur, verbum non esse destinatum illorum conversioni, sed exitio duntaxat. *Resp.* 1. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, verbum enim destinatur *per se* conversioni electorum ad salutem ducendorum, & ideò annuntiatur ut illi colligantur, & id sit potentia ad salutem: *per accidens* verò aliis cedit in perniciem, qui se ingerunt in cœtus filiorum Dei. Sive enim *verbum præcepti* consideretur, sive *verbum promißionis*, neutrum proponitur ad exitium, sed verbum præcepti est exactivum officii, & ideò proponitur ut exigatur officium, ac patescat tum jus Dei, tum officium hominis: sic *verbum promißionis* proponitur, ut oblativum beneficii, sed præstantibus officium. Non præstantibus verò nihil proponitur. *Inst.* Fraudulenter semper proponitur invitatio ad beneficium, à quo tamen æterno decreto prius homines plurimi exclusi. *Resp.* 1. Falsa supponi, 1. Tales invitari à Deo beneficium salutis.

2. Beneficium ulli proponi nisi sub conditione officii præstandi. *Inst.* At conditionaliter saltem proponitur beneficium, si officium præstetur. *Resp.* 1. *Per concessionem,* talibus *conditionaliter* proponi beneficium, ratione nexus, qui intercedit inter officium & beneficium, non verò ratione destinationis utrumque proponentis. 2. Immò κατὰ τὶ βίαιον, quia beneficium non offertur nisi sub conditione, conditionem non præstanti nihil offertur. An verò homo conditionem præstiturus sit, vel non, hoc totum pendet à Dei decreto ex una parte *effectivo* boni, ex altera *permissivo*, permissione *physicâ* non *ethica*, h.e. non inhibitivo mali, ejusque *directivo*. Eo ipso itaque quo sub conditione non præstabili homini corrupto proponitur beneficium, nec conditionis illius præstandæ facultatem quamplurimis Deus vult largiri, qui unus id largiri potest, *volitio Dei conditionalis* censeri non potest quoad salutem talibus indulgendam, quamvis *volita* ipsa sint *conditionata*. Nec tamen ulla hic simulatio vel deceptio, nec enim alia ostenditur salus, quàm quæ reverâ homini expetenda est, nec alia via quàm quæ ad salutem ducit, nec viam illam insistentes à salute excluduntur. Nec propositione conjunctâ præcepti & promissionis ostenditur intentio Dei de omnibus servandis, quibus verbum illud proponitur, sed finis tantùm & natura verbi utriusque propositi. *Inst.* At Deus juramento confirmat, se nullius peccatoris mortem velle, Ezech. 33. 11. & tamen plurium mortem decrevisse dicitur, adeoque eo ipso mendacium Deo adscribitur, & simulatio, immò perjurium. *Resp.* 1. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid,* quia confunditur locutio *indefinita* & *universalis.* Nec enim de omni peccatore sermo, nec hæc Dei declaratio innumeris innotuit, vel innotescit hodieq;. 2. Vel sermo de peccatore quovis etiam non converso, vel de converso duntaxat: Si posterius, talium mortem à Deo decretam fuisse, falsum est. Si prius, falsum, Deum talium mortem non velle. Immò & mortem talibus actu infligit, & vult infligere ex ordine justitiæ suæ, quin & delectationem ex morte talium capere dicitur, Prov. 1. 26. 3. Vel *absolutè* Deus vult omnis peccatoris conversionem & vitam, vel *conditionatè* duntaxat. Si *absolute*, omnes convertentur. Si *conditionatè*, vel conditionem in omnibus efficere vult, vel exigere duntaxat. Si exigere saltem, eo ipso mortem talium vult, quippe quos novit conditionem illam, propter corruptionem suam inhærentem, præstare non posse: Sin eam in illis vult efficere, vel *conditionatè* eam vult efficere, vel *absolutè*, si hoc, efficietur: si illud detur conditionis hujus conditio, & sic ibitur in infinitum, immò conditio, sub qua res volita dicitur, confundetur cum ipso volito. Locus itaque Ezechielis ἀπροσδιόνυσος est, & docet tantùm, causam exitii Israëlitarum impiorum non in Deo esse, sed in ipsis, & Deum proponere vitam, & viam ad illam ducentem, quæ omnia verissima: Nec *non dans prohibens,* est causa consequentis non prohibitionem, quando illa non datio est *gratia indebita* prorsus & arbitraria, ut hoc loco. *Inst.* Atqui voluntatem universalem habet Deus, omnes & singulos homines servandi. *Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Hoc ipsum enim falsum & contrarium

tum

rium tum verbo Dei, tum œconomiæ ejus, tum experientiæ omnium temporum.

XLV. Ad 10. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, mendacium jocoſum vel excuſabile eſſe, vel inter veræ virtutis officia. Immò inter vitia eſt, & verbum ἀργὸν vel σαπρὸν, *otioſum* vel *putre*, tale eſt ut de eo reddenda ſit ratio. Nec μωρολογία inter virtutes eſt, ſed inter vitia. 2. Peccatur *Elencho parium*, alia enim prorſus ratio mendacii unius otioſi, alia Scenæ iſtius & hiſtrioniæ, quæ deſcribitur in libro Judithæ.

XLVI. *Excipi* adhuc ſolet. 1. Iuditham laudari, non quia mentita eſt Holopherni, ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi, pro quâ periculis ſe expoſuit. Quæ *Thomæ* exceptio eſt ſecunda ſecundæ Qu.cx. Art.111.ad 111. ibidem inquit, dici poſſe, verba Judithæ habere veritatem *ſecundùm* aliquem *myſticum intellectum.* 2. Eſſe perpetuam *ironiam* in dictis & factis Judithæ coram Holopherne, quæ *Dionyſii Carthuſiani* ſententia eſt, ut Eſa.3.24. & Ier.34.17, In tanta enim hoſtilitate hoſtem Dei nihil aliud exſpectare potuiſſe à Deo, quàm jocos amaros & ironias. 3. Actiones Judithæ fuiſſe *propheticas* ex Dei revelatione, quod *Rabano* placuit, & *Hugoni de S. Victore*, & *Alenſi*, miſeriarum enim procellas ſub Juditha prædixiſſe calamitates populi Judaici ſub Tito & Veſpaſiano, adeoque non dici *adulatoriè mentiendo*, ſed *futura propheticè prædicendo.* Sic *Sepulveda* c.6. Theophili, inquit, Abraham & Iacob de mendacio purgari, ſi, quemadmodum credi par eſt, ſic eos locutos eſſe dicamus latenter admonitos à jubente Deo, & ſe eodem modo judicare de lenociniis & blanditiis quibus illectus fuit à Juditha Holophernes. Addit, ſi talia feciſſent injuſſu Dei, vix aut ne vix quidem poſſe à peccato vindicari. Iuditham etiam *prophetica* & *propheticè* ex juſſu Dei ſcientem & prudentem dixiſſe, patere ex ſacris literis, quæ manifeſtant Iudith ſua egiſſe ex revelatione Dei, qua privilegium ei conceſſum fuerit Propheticum, Iud.11.16.17. & 13.20. Angeli interventum etiam obtendit *Serarius* in factis Iudithæ. Iſta congeruntur à *Ioh. Barneſio* Benedictino in Diſſertatione contra Æquivocationes.

XLVII. Ad 1. *Exc. Reſpond.* 1. Ἀρνητικῶς, *per negationem.* Immò patet ex textu paſsim, illam laudari propter ſtrophas illas quibus imponit Holopherni, & ita quidem, ut Deo ipſi & ejus inſpirationi velut transſcribantur. Non itaque laudatur *affectus* duntaxat Iudithæ, ſed & *effectus* illius affectus. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, dici poſſe verba Judithæ habere veritatem ſecundùm aliquem *myſticum intellectum.* Præterquam enim quod planè *hiſtorica* ſunt *myſticus* ille *intellectus* fingitur, non probatur, nec fundamentum habet, niſi in cerebro hominum maleferiatorum.

XLVIII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Gratis planè *ironiam* iſtam fingi, & præter omnem rationem. Nec nota ejus rei, nec veſtigium in textu. Opus, cucurbitam eſſe, vel cercopithecum, qui hìc ironiam pingat vel fingat in narratione tota Hiſtorica. Et ſi perpetua *ironia* ſit in dictis Judithæ & factis, erit etiam in obtruncatione Holophernis, & in liberatione populi. Et revera Auctor iſte totus hiſtrioniam meram agit, & id unum ſtudio habuit, *populo ut placerent quas feciſſet fabulas.* 2. Exempla ex Eſa.3. &

GG

Ierem.34. inepta prorſus & alius commatis. Nec enim eadem denuntiationis minarum & judiciorum Dei, eadem narrationis Hiſtoricæ ratio. In illis *Ironia* frequenter locum habet, in iſtis raro, & nonniſi ubi certa ejus documenta in textu ipſo reperiuntur, quæ vel è rei de qua agitur natura petuntur, vel per περιστάσεις alias deſignantur. Quale nullum hic deprehendi poteſt. Adde, Eſai.3. nullam *ironiam* reperiri loco citato, quum enim ironia ſit ejuſmodi figura, ubi per id quod dicitur, intelligitur contrarium, hic nihil tale, ſed aperta denuntiatio judiciorum Dei effundendorum in puellas Hieroſolymitanas.

XLIX. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Gratis denuò dici, actiones Iudithæ fuiſſe *Propheticas*, & ex Dei revelatione. Nihil vel temerè magis, vel majori cum confidentia dici poteſt. 2. Horrendum, lenocinia ad Deum auctorem referre, quod facit *Sepulveda*, certum verò, ut fatetur, *lenocinium feciſſe* egregiam iſtam matronam. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐπίλοιπον, Iuditham ad Deum referre mendacia ſua; Eidem adſcribi ejus acta ab Holopherne. Ergo reverà Dei inſpirationi omnia illa tranſcribenda eſſe: At nec iſta melioris commatis ſunt, quàm ipſa Iudithę mendacia, circa quæ Dei providentiam intercedere quidem fatemur, à Dei verò inſpiratione illa oriri negamus, & pernegamus, à quo quippe bona tantùm donatio, & omnis quidem ac ſola, Iac.1.17.

L. In *Baruchi* libro, quamvis melioris commatis, ſtricturæ tamen ſuperſtitionis duæ obſervari poſſunt. 1. Quod templo etiam deſtructo pecunia mitti dicatur ad ſacerdotes Hieroſolymitanos, ut emerent holocauſta, & ſacrificia offerrent pro Iudæis, qui attinebantur Babylone, Bar.1.6. 7.10. At templo deſtructo & altari ſubruto talia offerre ſuperſtitioſum erat & contrarium Legi. 2. Quod cap.3.4. Deus rogatur ut preces τῶν τεθνηκότων Ἰσραήλ, *mortuorum Iſraelis* audiat. Quod alienum à ſtylo Scriptorum Canonicorum, & ſuperſtitionis nota.

LI. *Exc.* 1. Pecuniam illam miſſam dici poſt deportationem Iechoniæ v.9. urbe & templo adhuc integris, quippe quæ demum exuſta tempore Sedeciæ. 2. Per *mortuos* intelligi Iſraelitas in captivitatem detruſos, & velut *civiliter mortuos*, prout ſolenne Scriptoribus ſacris ſtatum ærumnoſum cum morte, proſperum vel inſtauratum cum vita & reſurrectione conferre. Mortuorum etiam preces recitari, Apoc.6.10.

LII. Ad 1. *Except. Reſp.* 1. Per συγχώρησιν *per conceſſionem*, id dici v.9. & templum demum exuſtum fuiſſe tempore Sedeciæ. 2. Per ἄρνησιν, *per negationem*, hanc pecuniam Hieroſolyma miſſam ante exuſtionem urbis & templi. Contrarium patet ex v.2. ubi dicitur hoc factum eo tempore, non ſolum quo ceperunt Chaldæi Hieroſolyma, ſed & quo ea exuſſère igne, ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐνέπρησαν αὐτὴν ἐν πυρί. Liquet verò ex collatione capitis 2.Reg.26.9. domum Domini & urbem Hieroſolymorum uno eodemque tempore fuiſſe ſuccenſa. *Inſt.* Librum quidem hunc ſcriptum dici Babylone eo tempore, quo ſuccenſa Hieroſolyma, ſed pecuniam illam ante fuiſſe miſſam templo adhuc integro. *Reſp.* 1. Gratis hoc ſupponi. 2. Contrarium probari poſſe ex ἀκολουθίᾳ verborum Baruchi, nam

le-

nam legente demum Barucho sermones hujus libri populus plorasse legitur, & jejunasse, contulisse, & pecuniam, ac eam misisse Hierosolyma. Si ergò Baruch scripsit sermones illos eo tempore quo Chaldęi exussêre Hierosolyma, & post scriptionem demum lecti fuêre sermones illi, & post lectionem demum pecunia missa Hierosolyma. Ergo id factum diu post exustum templum & altare. Nec πρόληψις ulla vel ὑστέρωσις hîc cum ratione fingi potest. 3. Adde, sibi non constare calculum Baruchi, nec conciliari posse cum scriptore Canonico. Dicitur enim v.2. Hierosolyma exusta fuisse anno quinto, post deportationem nimirum Iechoniæ, ut patet ex v. 9. At constat ex 2.Reg.25.29. Sedeciam undecimo demum anno regni sui, post Iechoniam abductum fuisse Babylonem, & tunc demum Hierosolyma fuisse exusta.

LIII. Ad 2.*Exc.Resp.* 1. Per Συγχώρησιν, *per concessionem, metaphoram* mortis & vitæ solennem esse Sacris Scriptoribus. 2. Per ἄρνησιν, *per negationem*, id hîc locum habere, tum quia loci *paralleli* dari nequeunt apud Scriptores Canonicos, ubi οἱ τεθνεῶτες *absolutè* sic dicti de *civiliter mortuis* sint intelligendi, ut hoc loco, tum quia contra distinguuntur hîc mortui & viventes, qui tamen viventes etiam erant *civiliter mortui*, adeoque phrasis prior diversum quid designat. *Inst.* Idem repeti ἐπεξηγητικῶς figurâ ordinariâ, & hic poni ἓν διὰ δυοῖν. *Resp.* 1. *Per concessionem*, figuram illam satis frequentem esse. 2. *Per negationem*, ob id eam hîc necessariò intelligendam, crux saltem figetur sine causa Lectori, & quum alibi Scriptura Canonica preces removeat à mortuis, immò memoriam & cognitionem eorum quæ geruntur in terris, ut Job.14.21. & 21.21. Psalm.6.6.11. & 115.17. quid causæ erat cur periculosa ista loquendi forma adhiberetur? 3. Peccari *Elencho parium*, & τὸ μὴ αἴτιον, allegatione loci ex Apoc.6.10. Aliud enim, in visione introducere animas precantes, aliud extra visionem, aliud, introducere animas Deum precantes pro destructione hostium Ecclesiæ, aliud, mortuos pro viventibus intercedentes. Inde enim deflexus facilis ad superstitionem, & invocationem mortuorum, cui Scriptura tam clarè contradicit, immò & precibus singularibus mortuorum pro viventibus. Adde, clamorem illum non esse *vocalem*, sed *mentalem*, nec preces externas designare, sed desideria interna & vehementia piarum animarum anhelantium ad plenum regni Christi complementum & petentium τελείαν τῆς σωτηρίας συντέλειαν, ut habet *Arethas*. Immò talis clamor intelligi potest, qualis est sanguinis Abelis, Genes.4.10. ad designandam gravitatem peccati in animas illas admissi, quod velut vindictam à Deo petat, ut peccatum Sodomorum, Gen.18.21. Et sic demonstratum vel impietatis vel superstitionis characteres in libris *Iuditha* & *Baruchi* exstare. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISPVTATIO DECIMA

Κατασκευαστική,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.

QVod de *Tobiæ, Iuditha* & *Baruchi* libris hactenus à nobis demonstratum fuit, id de *Additionibus* etiam *ad Danielem*, & *Estheram* demonstrandum est, nimirum vel *superstitiosa*, vel *impia* quædam illis contineri, adeoque scripta ista nec θεόπνευστα esse nec αὐτόπιστα.

II. *Additiones ad Danielem* νόθως sua stricturas satis evidentes etiam quoad hoc membrum habent. 1. Auctor Dramatis *de Susanna* instituit descriptionem anxiam mulieris ordinariè lotum in hortum patulum concedentis, & quidem curioso apparatu adhibito, quod in prostibulum potius cadit, quàm in fœminam sanctam. Addit ibidem narrationem prolixam nimis & curiosam super impuro ardore duorum Senum. Utrumque verò alienum à Dei Spiritu, qui parcus est & sobrius in talibus recensendis, nec fomenta libidini excitandæ, aut fovendæ proponit, sed ea ipsa quæ minus decora sunt per εὐφημισμὸν & βραχυλογίαν, velut obducto sipario, oculis Lectorum subducit. Schema verò utrumque ab Authore istorum *Paralipomenon* adhibitum ad lasciviam ducit & libidinem accendit. 2. Narratio *de Belo & Dracone* etiam Drama sapit, & fabulam meram: Nec hic opus, nisi oculis & conscientiâ. Et sanè id actum, ut nugis ejusmodi è theatro petitis & mistis cum Scriptis canonicis sua verbo Dei majestas periret & auctoritas. Quid joculare magis quam ἄθυρμα Danielis in Sacerdotum Beli fraude deprehendenda, in bolo objecto Draconi, & miro ejus effectu, in Habacuci prophetæ crinibus suspensi deportatione in foveam Leonum, & in Regis utriusque idoli cultoris ἀθεΐᾳ? quasi tales ita paterentur publica Numina gentis, quorum cultus diu invaluit, subverti ad unius hominis nutum. Impium sanè, Spiritui Sancto, & Sanctis Dei viris commenta id genus fatua adscribere, quibus sacrarum literarum majestas convellitur, & purpuræ istius sacræ dignitas fœdatur. 3. Quamvis trium *Danielis sociorum Hymnus* videatur magis compositus esse ad stylum sacrum, alia tamen commendat, quæ à veris Dei cultoribus aliena sunt, & nec pietatem spirant, nec charitatem v. g. dum v. 32. in Babyloniorum Regem invehuntur & eum vocant πονηρότατον παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν *omnium qui sunt in universa terra pessimum*, quod alienum à sanctis Dei viris, qui Magistratus suos aliter habuêre, & pro hostibus suis, sive judices illi

fuerint

fuerint, sive carnifices & pro eorum salute ardenter Deum sunt præcati. Dum etiam negant vers.38. prophetam sibi esse non magis quam holocaustum, sacrificia, vel locum ea offerendi, adeoque Danielis Prophetæ auctoritatem & vocationem suggillant, & eversum eunt. Addo Ezechielis, eximii Dei Prophetæ, qui populo in captivitate hærenti præstò fuit auctoritatem & vocationem pari ratione labefactari, quod alienum à piis Dei servis, & honore illo qui eis debebatur. Nec enim Dei character in talibus obscurus esse poterat, vel ignotus iis, qui velut socii Danielis describuntur. Prætermitto, quod preces istæ laciniosæ videantur, nec comparatæ ad statum istorum virorum. A versu enim 52. usque ad v.88. δοξολογίαν instituunt prolixam, quæ non tangit ullo modo argumentum vel beneficium, quo gaudebant actu. Vno tantùm versu ejus meminêre, nec preces cum gratiarum actione ullas conjungunt. Id tamen addimus ingenuè, ista seorsum considerata, & abstractè ab aliis *κατηφέσι* falsitatis, quæ in *paralipomenis* istis deprehenduntur, minus ferire eorum Scriptorem, conjuncta verò cum aliis opportuna admodum esse deplumando fictitio isti Danieli; cui adscribuntur. An etiam hominis sani & suæ spontis, est, credere, Danielem talium scriptorem negare, seipsum esse prophetam, & sibi ultro tam insignem characterem adimere, quo Deus ipsum eminere voluit, tot eximiis visionibus ei indultis inter Babylonios?

III. Haudquaquam verò hîc dissimulabimus ea, quæ in speciem *excipi* & aggeri supradictis possunt. Ad objecta contra *Historiam Susannæ.* 1. *Exc.* Quod hîc de Susanna effertur, de Bathseba etiam efferri à Scriptore Canonico. Si etiam narrationibus id genus libidinum fomenta suggerantur, suggeri ea quoque à Mose, sive incestum Judæ, sive raptum Dinæ, sive Iosephi tentationem describente; suggeri à Scriptore adulterii cum Bathseba à Davide commissi, & aliis id genus narrationibus. Immò toto Cantico Canticorum. 2. *Ex.* Tantùm abesse ut sic commendentur impuri ejusmodi ardores, ut ob singulare potius Dei judicium in Senes illos petulcos effusum omnium animi avertantur à flagitiis id genus. Remedium itaque & φυλακτήριον proponi simul cum morbo. 3. *Exc.* Opponi posse quæ in Levitico habentur super impuritatibus quibusdam & purificationibus, in Ezechiele, & ad Rom. 1. & gemina alia.

IV. Sed nequicquam ista excipiuntur. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Peccari Eleutheparium*, cùm alio prorsus stylo: charactere dicendi alio, & castigato quidem ac conciso, utatur Spiritus Sanctus in adulterio Davidis repræsentando, Auctor verò Paralipomenon istorũ nimis se diffundit, intempestiva & ultra modum, materiæ suæ indulgente rhetoricatione in Susannæ, & Senum istorum Dramate repræsentando. Docet id sola utriusque loci collatio. Sic quæ vel de Iudæ incestu, vel de Dinæ raptu, vel de Iosephi tentatione à Mose describuntur, sobria planè sunt & sancta, præ graphica illa senum istorum ἐπὶ πολὺ, qualis in laciniis istis Danielis exstat. 2. Ad exceptionem de Cantico Canticorum responsum fuit Disputatione superiore, & ostensum, non posse id referri ulla probabilitatis specie ad descriptionem formæ externæ & corporeæ; adeoque in eo nihil vel

ſcandali vel periculi, ſed occaſio veſtigandi abſconditum manna, & ſenſus ſpirituales eximios ſub cortice iſto latentes.

V. Ad II. *Exc. Reſp.* 1. Per *συγχώρησιν per conceſſionem*, ſubnecti ſanè judicium Dei in ſenes illos effuſum, ſed dramaticum, & tale quod riſum potius moveat, quàm aſſenſum, in quo quippe puer ignotus judices publica authoritate in munere conſtitutos ad tribunal trahit, & velut cucurbitas aut verveces non renitentes, & inepta quæſtione ad ἰχθυωδίαν redactos, reos peragit & damnat. Vnde Auctor iſte deprehenditur eſſe *πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Per ἄρνησιν, per negationem*, id obſtare, quominus oſcè & parum ex decoro loquatur Pſeudonymus Daniel in apparatu Dramatis.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho parium*, nec enim ullibi locorum illorum ὑποτυπώσεως lubricitatis gemina exſtat, ſed vel nuda tantùm deſcriptio naturalium infirmitatum, vel conciſa duntaxat & obſcura deſignatio criminis admiſſi à Paganis. Et ſanè Scripturæ ſacræ hic character eſt, non ſobria & non ſancta, ſobriè & ſanctè efferre. 2. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, quia libri alii characteres alios ſuæ *αὐθεντίας* habent, quales *paralipomena* iſta non habent: unde eadem utrorumque ratio eſſe nequit: ἄλλο γὰρ γλαῦξ, ἄλλο δὲ κορώνη φθέγγεται.

VII. Ad objecta contra narrationem *de Belo & Dracone. Exc.* 1. Æquè abſurda, immò abſurdiora exſtare in Scriptis Canonicis, de Gideone & Elia, Idolorum per illos deſtructione: Dei nutu ſtuporum objectum ſacrificulis Beli, & toti genti, & cogitationem Regi de idolo illo ſubvertendo. 2. Dei inſtinctu bolum illum Draconi objectum, nec vim fuiſſe in bolo, ſed in Dei operatione ad bolum iſtum, ut in cauſis ſecundis aliis ad miracula adhibitis. 3. Habacuci deportationem minus miram eſſe deportatione Chriſti à tentatore, Matth.4. vel Philippi, Actor.8. 4. Non magis mirum eſſe, talia à Rege illo occupata, quàm edicta à Nebucadnezare, & Dario in honorem Dei Iſraelis condita & promulgata fuiſſe, quod tamen refertur Dan.3.29.& 161.26.27.

VIII. Scilicet, hoc eſt, intercedere μεταξὺ τοῦ ἄκμονος καὶ σφύρας. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. *ἀρνητικῶς per negationem*; petitur enim τὸ ἐν ἀρχῇ, & blaſphemia impingitur Spiritui Sancto. 2. *Συγχωρητικῶς, per conceſſionem.* Demus talia in Scriptis canonicis reperiri, quæ non quidem æquè abſurda vel abſurda magis, quod blaſphemum, ſed tamen magis mira ſint: An ſcriptum iſtud de Belo & Dracone alios characteres habet *αὐθεντίας* ſuæ, quos habent Scripta reliqua canonica in quibus talia extant? 3. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, nihil enim in facto Gideonis deſtruentis noctu cum ſervis ſuis altare Baalis, & ſuccidentis lucum ejus, quod non fieri poſſet de plano, ſine ulla abſurditate. 4. In exemplo Eliæ peccatur *Elencho parium*, neque enim abſurdum, Prophetam, qui multis jam ante miraculis inclaruerat, ſe præſente miraculo ita commendaſſe populo, ad idololatriam quidem à Rege ſuo pellecto, memori tamen adhuc Dei ſui, & ab illo impetraſſe, invito etiam Rege, mactationem Sacerdotum Baalis. Hic verò fingitur homo nullis miraculis clarus inter Babylonios, gentem prophanam & idololatricis ſacris ſuis affixam, à Rege profano impetraſſe, ut ille non tantùm

ſacrificulos omnes jugulandos curaret, verùm etiam Belum idolum, & templum ejus in ſuam hominis exteri, & Iudæi quidem ac captivi poteſtatem daret. Adde Danielem ibidem fingi, & idolum ipſum deſtruxiſſe & templum ejus ſubvertiſſe. Quod an à Babyloniis impetrari potuerit, ut homini extero & ob gratiam Regis jam inviſo Satrapis, & ex captiva gente oriundo, tantùm liceret, ab illis judicari poteſt, qui nondum cum Abderitanis habent νοῦν ἐλάττονα τῶν ἀνθρωπομόρφων. *Inſt.* Babyloniorum manus fuiſſe miraculoſè à Deo cohibitas, ut leonum dentes & ungues. *Reſp.* τὸ ἐν ἀρχῇ, poſterius enim in Scriptura aliis characteribus divinis inſignita refertur, prius non item. Nec gratis fingenda miracula, ſed probanda. Dei nutum etiam hîc fingere ſine probatione, eſt cum Tragœdis Deum è machina adeſſe jubere quoties Poëta exitum alium Dramati ſuo reperire nequit. Iſtud verò precarium, & aſſertum ſine fundamento.

IX. Ad 2. *Exc Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per conceſſionem*, in bolo illo vim iſtam eſſe non potuiſſe, ad Draconem conficiendum: In miraculis etiam aliis non eſſe ſpectandam *vim inhærentem* cauſis ſecundis, ſed *adhærentem* ex divina ordinatione, aut potius conjunctam cum iis, neque enim in talibus cauſæ intercedunt *mediatione virtutis* ſed *ſuppoſiti* tantùm. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, miraculum tale hîc contigiſſe, quod dicitur, non docetur. 3. Supponitur itidem, non probatur, Draconem à Babyloniis fuiſſe adoratum, Ægyptiis tale quid impactum potius legitur, quàm Babyloniis.

X. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ἓν ποιεῖν, quia Chriſti & Philippi deportatio referuntur in Scriptis notoriè canonicis & κριτηρίοις ſuæ αὐθεντίας refertis, Habacuci deportatio non item. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*. Chriſtum fuiſſe raptatum per aërem à tentatore, quod falſum. Nihil enim obſtat, quamvis ad viſionem haudquaquam confugiendum cenſeamus, quominus ibi intelligamus *deductionem* potiùs quàm *raptum*. 1. Ob phraſes, quibus utuntur Euangeliſtæ Matthæus & Lucas, qui adhibent verba παραλαμβάνειν, ἄγειν, & ἀνάγειν, quæ Scriptoribus Novi Teſtamenti non *raptare* vel *geſtare* ordinariè ſignificant, ſed *adducere* potius, & *Syrus* cum illis, qui adhibet verbum דבר in *Pahel*, Matth. 4. 5. & verba אסק Luc. 4. 5. & איתי verſ. 9. in *Aphel* ab *intranſitivis* אתא & נפק in *Kal*, quæ ſignificationem *genericam* habent, & per *deductionem* commodiſſimè exponi poſſunt. 2. Ob majeſtatem Domini, cui convenientiùs erat, per συγκατάβασιν & οἰκονομίαν voluntariam non tam Tentatorem ſequi, quàm ſuam ſuper ea re ordinationem, & diſputationem æquè ac ſatellitum ejus ductum in morte, non verò raptari vel circumferri in aëre à Tentatore. 3. Exemplum etiam Philippi ἀπροσδιόνυσον, & peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, nec enim *in re* difficultas, aliquem poſſe rapi à Spiritu Dei, vel ab Angelo, ſed *in modo rei*, angelum apprehendiſſe *verticem Habacuci*, & *à coma capitis ſuſpenſum, deportaſſe Babylonem*, quod joculare, & ad riſum & ludum potiùs comparatum, quàm ad ſeriam narrationem.

XI. Ad 4. *Exc. Reſp.* Peccari *Elencho parium* denuò & *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἓν ποιεῖν, præterquã enim quod etiam illa proponantur à Scriptore θεοπνεύστῳ,

de cujus αὐθεντία ex *argumentis inartificialibus* ipsi scripto impressis constat, nulla comparatio inter edicta per miraculum & terrorem ad tempus expressa, & blasphemiam tantùm perhibentia, timorem etiam imperantia. & inter totalem abolitionem idolorum in gente summè illis affixa, & quidem sine ullo miraculo prævio, quo ea potuerit ad facinus tale permoveri.

XII. Ad objecta contra *Hymnum Sociorum* Danielis. *Exc* 1. Imprecationes alias similes etiam in Psalmis & Prophetis exstare. 2. Non magis Auctorem Hymni istius, negantem Prophetam, populo Dei esse, regum peragendum, quàm Auctorem Psalmi 74. idipsum negantem pari ratione, *insignia nostra non videmus, non est amplius Prophet.a.* 3. Sub δοξολογία generali specialem contineri de liberatione sui à periculo præsenti.

XIII. Sed nec ista tanti sunt, ut objectis intercedant. Ad 1. *Except. Resp.* Peccari *Elencho parium* & *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, aliud enim est, comminationes divinas *Prophetice* Dei hostibus impingere, & de illis enuntiare aliud, *assertivè* invehi in precibus in magistratum suum, & eum traducere, & quidem eo ipso tempore, quo aliquis sub manu Domini constitutus est; prius factum à Psalte & à Prophetis, posterius non item, quippe quod alienum à Spiritu filiorum Dei.

XIV. Ad 2. *Exc. Resp.* Denuo Peccari *Elencho parium*, nec enim quod in certo statu populi Israelitici verè de eo efferri poterat, poterat efferri in alio statu, contradicente Scriptura, & docente in captivitate Babylonica populo Prophetas præstò fuisse, quod negari non posset, si vel unus Daniel fuisset superstes duntaxat; quum tamen Auctor Hymni id absolutè neget. Auctor verò Psal. 74. de alio statu populi loquitur ubi revera populus & insignibus suis, hoc est, ceremoniis, & cultu legali, & Prophetarum ministerio destitutus fuit, quod multi ad *Antiochi Epimanis* potius, quā *Epiphanis* tempora referunt. Et sanè de captivitate Babylonica haudquaquam loqui Auctorem Psalmi, ex eo patet, quia negat esse ullum in populo Dei, *qui sciat usque quo.* At Iudæis Babylone detentis constabat, septuaginta annorum periodo decursa se liberandos, ut patet ex Dan. 9. 2. quippe quod expressum erat in Prophetia Ieremiæ. 2. Peccatur etiam *Elencho divisionis*, dividuntur enim componenda, nec enim simpliciter negat Auctor, non esse amplius Prophetam populo Dei, sed Prophetam, *qui sciat, usque quo* calamitas ista populi duratura foret. Peccatur itaque etiam *Elencho à dicto secundùm quid.*

XV. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς *per concessionem*, sub δοξολογία generali specialem contineri *implicitè.* 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem* absurditatem tolli, homines in summo discrimine constitutos, & miraculo præsente ex parte liberatos, prolixos esse in creaturis aliis ad Dei laudes invitandis, vix verbo verò se excitare ad celebrandum Dominum, immò parcissimos esse in præsenti miraculo deprædicando. Nec tamen, quod suprà monitum, seorsum consideratos volumus characteres istos ad νοθείαν Scriptorum id genus demonstrandam, sed conjunctim: alia enim hîc aliis lucem fœnerantur, & faciunt ut humani scripti characteres ex ista collatione pelluceant.

XVI. Ad *Additiones ad Estheram* quod attinet, *impietatis* ſanè documenta evidentia in iis non exſtant, ex eo tamen impietas auctoris arguitur, quod auſus fuerit laciniis iſtis purpuræ ſacræ aſſutis in dubium vocare, & ſuſpectam reddere fidem Scripti canonici, in multis contradicendo Sacro Scriptori, ut vel fabulas obtruderet, hac ratione pro veritate divina, vel ſaltem ſuſpectam redderet narrationem à Spiritu ſancto profectam, quod non inter *pias*, quales comminiſcuntur aliqui, *fraudes*, ſed inter impias molitiones referri debet. Vel enim Auctori iſti lectus fuit liber Canonicus Estheræ, vel non: *Si prius*, nonniſi ſumma cum impietate commenta ſua ei opponere potuit, & fidem Sanctiſsimi Scripti temerè ſolicitare: *Si poſterius*, ne tum quidem fabulæ extrudendæ erant pro narratione vera, minus commendandæ pro Scripto divino. Quamvis veriſimile potius ſit lectum fuiſſe Scriptum canonicum Authori, adeoque illum ab impietate abſolvi non poſſe. Nec enim Hiſtoriam incipit, ſed Hiſtoriæ jam exſtanti *paralipomena* adjicit, & pannum novum veteri, ſed diſparem διὰ δὶς μοῶν, & infelici miſtura. Bene habet vetus adagium, ἡ πορφύρα πρὸς τὴν πορφύραν διακριτέα. Non opus alio indicio νοθεύσεως laciniarum iſtarum, niſi collatione earum cùm Scriptura ſacra. Inde pateſcet Græculi Auctoris Hebræum ſchema induti impietas. χωρὶς τὰ μαῤῥᾶ καὶ Σιλωὰμ ῥεύματα.

XVII. Impium cæteroquin eſt, quod Esthera Regi impio & profano dicere fingitur, ſeipſum vidiſſe ὡς ἄγγελον θεοῦ, cap.15.16. & quod palpum ei obtrudit mendacio, inquiens faciem ejus eſſe χαρίτων μεστὸν verſ.17. cùm tamen prius eum Leonem vocet, cap.14. 13. *da in ore meo compoſitum ſermonem coràm Leone*. Immò cap.15.3. dicitur fuiſſe φοβερὸς σφόδρα, eique affingitur πρόσωπον πεπυρωμένον, & intuitus ἐν ἀκμῇ θυμοῦ. Alterutrum ex his falſum, vel utrumque potius. Adde ſtramentitium & lacinioſum illud Diploma geminum affictum Artaxerxi, quorum poſteriore Auctor mendacem reddere ſatagit Scriptorem Canonicum, & ſic omnem ei fidem abrogare. Vtrumque etiam diploma, poſterius præſertim, affectatum eſt, & tumidum, & Auctorem, non Judæum arguit, ſed Græcum feroculum, ſplendidè nugantem, & merum grallatorem. His accenſeri poſſunt ſomnii Mardochæo affictí ineptiæ, & πολὺς λῆρος in ejus expoſitione. Adde expoſitionem ſomnii præmitti ſomnio, quod abſurdum talia verò Spiritui Sancto affingere, impium eſt & prophanum.

XVIII. *Exc.* 1. Auctorem ſupplere tantùm ſcripto poſteriore, ea quæ deſunt priori. 2. Eadem phraſi, Angelum Dei aliquem vocando uſos fuiſſe etiam alios Achis, 1.Sam.29.9. & Thekoitam mulierem, 2.Sam.14. 17.20. & Mephiboſethum, 2.Sam.19.27. 3. Joſephum etiam Libro xi. Antiquit.cap.12. habere geminum iſtud diploma, adeoque illud Hebræis fuiſſe notum. 4. Stylum componi ad faſtum regis iſtius ex decoro: Non ergo πρέπον obſervatum vitio verti debere Scriptori. 5. A veteribus iſta capita citari, adeoque pro canonicis ab iis habita fuiſſe.

XIX. Sed nequicquam iſta obtruduntur, ταῦτα μὲν ἡμέτερον οὐδὲν ἴσχει. Peccatur enim *ignoratione Elenchi*, nec concluditùr inſtitutum, *paralipomena* iſtà eſſe θεόπνευστα & ſic αὐτόπιστα, vel impietàtē Auctori iſtorum *paralipomenon*

impingi non posse. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Ἀρνητικῶς, per negationem*, multa enim repetuntur sine causa, quæ satis expressa habentur in scripto canonico. 2. *Συγχωρητικῶς, per concessionem*; demus, quædam suppleri, at supplementa non debent evertere ea quibus adduntur ut supplementa, præsertim si illa sint θεόπνευστα. At multa everti, in superioribus ostensum. 3. Peccatur *falsa suppositione*, supplementa adjicienda esse scriptis canonicis, & obtrudenda pro ejusdem commatis & dignitatis scriptis. Nec enim Spiritus Sanctus humanis suppetiis opus habet, & sive per incuriam, sive per invidiam ea Ecclesiæ intervertit, quæ ejus scire interest. 4. *Κατὰ τὸ βίαιον*, vel supplementa ista sunt θεόπνευστα, vel non. Si prius, Spiritus Sanctus sibi ipsi contradicit: si posterius non θεόπνευστα pro θεοπνεύστοις Ecclesiæ obtrudi non debent, nec sine impietate possunt: Et vel idem est Auctor scripti Canonici Suplementi, vel non: *Si prius*, idem Auctor Canonicus sibi ipsi contradicit; *Si posterius*, vel Auctor Canonicus censetur, & sic Auctor Canonicus contradicit; *Si posterius*, vel Auctor Canonicus censetur, & sic Auctor Canonicus contradicit Auctori Canonico, vel profanus, & sic in Morboniam religandus erit.

XX. Ad 2. *Exc. Resp.* Per συγχώρησιν, phrasi gemina uti Scriptores Canonicos, falsum verò, eodem modo illos ea uti. Atqui locis allegatis cum Angelo Dei confertur David, Rex pius, & Dei timens. Quid verò hoc ad hominem profanum & impium, qualis fuit Rex iste? Et an ille quem leonem prius vocat Esther, statim in Angelum Dei nova metamorphosei conversus fuit. Hoc quidem scenæ aptius & theatro quàm Spiritui Sancto. Nec in eo peccatur, quod homo confertur cum Angelo Dei, sed quod homo profanus & impius isto nomine insignitur.

XXI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς, per concessionem Iosephum* habere utrumque diploma, quamvis stylo & verbis aliud: substantia tamen geminum. Licet etiam ibidem Josephus Hamanem non Macedonem vocet, ut Auctor istorum supplementorum, sed Amalekitam. *Ἀρνητικῶς, per negationem*, ob id illud esse θεόπνευστον, vel ἀθεόπνευστον. Nec enim quæ in *Iosepho*, talia sunt, quia in eo & ab eo. Habet ille præter veritates Biblicas quas recenset, commenta multa, vel sublestæ saltem fidei narrationes, qualia sunt quæ de Mosis infantia & pueritia refert extra Scripturam, & multa alia id genus. Peccatur itaque *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. 3. *Κατὰ τὸ βίαιον*, quia *Iosephus* solus talia habet, patet, ea ex *Iosepho* mutuò sumpta esse, non verò à Spiritu Sancto dictata. 4. Peccatur *falsa suppositione & paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, neque enim desinit aliquid impium esse, quia id *Iosephus* habet, vel quia id Hebræis notum fuit. Impium verò omne id, quod mendacii reum peragit Scriptorem θεόπνευστον, quod facit Diplomatis posterioris Auctor.

XXII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peccari *falsa suppositione*. Nec enim Diploma illud perstringitur, quia Regi barbaro & tumido superbam tribuit orationem, quamvis consignatum sit stylo alieno planè à stylo Scrip. & phrasi Spiritus S. Potissimum verò Diplomatis istius vitium dissimulatur, mendacium nimirũ impactum S. Scriptori, neganti revocari rescripta regia inter Persas & Medos, Esth. 8. 8. Quod tamen disertè factum Diplomate ultimo.

XXIII. Ad *Exc. Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἐπόμενον, nec enim excitatione Veterum sequitur, scripta quæ citant, vel ab illis pro Canonicis habita fuisse, vel nobis pro talibus habenda esse: Atqui ne ab Apostolis quidem citati libri pro Canonicis habendi, nisi *Menandrum, Aratum, & Epimenidem* inter canonicos Scriptores referre velimus: minus ergo citati à *Patribus* pro talibus habendi, eò quod ab illis citentur. Adde, nec Patres sibi ipsis in talibus constare, nec alios aliis. Immò sic & *Hermæ* sive *Pastoris* liber, & quartus Estheræ, & alii id genus inter Canonicos referendi forent, qui & ipsi quandoque citantur à Veteribus. *Inst.* Citantur nomine Scripturæ Sacræ. *Resp.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid.* Citantur isto nomine συγκριτικῶς, non ἁπλῶς, *comparatè* nimirum cum libris apertè profanis, & quoad argumentum, & quoad contextum argumenti: nec Veterum dicta magis Canonica sunt quàm *paralipomena* ista.

DISPVTATIO VNDECIMA

Κατασκευαστική,

DE AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.



AYΓΕΙΟΥ ΒΟΥΣΤΑΣΙΑ inter tredecim Herculis labores fuit. Decimus quartus nobis vertitur in convertendis sordibus, quas Apocrypha quædam Scripta Canonicis sive per ἀβλεψίαν & imperitiam insignem, sive per fraudem & dolum malum infarta habent. Plaustra multa hactenus congesta ex Scriptis nothis id genus. Ad Maccabæorum libros deventum. Hamaxario opus foret ad convectanda omnia, quæ hic mali sunt commatis, & vel superstitionem olent vel impietatem. Nos pauca tangemus, sed præcipua, id præfati, Librum priorem longè puriorem esse posteriori, & utriusque Auctorem diversum.

II. Libri primi Scriptor cap. 2. Mattathiæ facinora commendando versu 47. & 48. ea commendat quæ aliena sunt ab hominis pii officio, & quæ probari non debent.. 1. Sacerdotem cæde manus suas polluere, satellitem regium jugulare, & vi circumcidere non circumcisos. Hoc verò erat extra vocationem suam se proripere, temerè gladium sibi loco thuribuli vindicare, tentare Deum, in alienam sibi conscientiam jus arrogare, & homines vi adhibita cogere ad Dei cultum, quod alienum ab iis qui Spiritu Dei prædici. 2. A superstitione excusari non potest quod habetur, 1. Maccab. 4. demolitio nimirum altaris holocausti, eo quod conta-

minatum esset à gentibus, depositio lapidum ex quibus constabat in certo loco, donec exoriretur Propheta qui de iis respondere posset, novique altaris exstructio in locum prioris. Ista verò commendantur disertè tanquam βουλὴ ἀγαθὴ, v.45. Quasi verò non suffecisset purgari illud altare, vel quasi licuisset vetus demoliri, & novum in ejus locum exstruere, sine mandato divino. Quasi etiam post Malachiam novus debuisset expectari Propheta, vel quasi altari destructo in eo multum momenti verteretur, quid de lapidibus fieret, & ob id Prophetæ directio expectanda foret, quæ omnia arguunt superstitionem Iudaicam. At post Malachiam non expectandus erat nisi novus Elias, anteambulo ille Domini, Matth.17. & Dominus ipse, ut patet ex 3. & 4. cap. Malac. 3. Adde ea quæ habentur cap.4.☩.57. Judæos faciem templi exornasse στεφάνοις χρυσοῖς καὶ ἀσπιδίσκαις, & aliis id genus ornamentis, à quo more abhorrebant Judæi Dei timentes, iis templi decoribus contenti, quæ Dei jussu ibi erant collata. 4. Nec Eleazari temeritas probanda, qui αὐτόχειρ fuit dum se supposuit elephanto, cujus casu non poterat non opprimI, idque ut æternum sibi nomen compararet, 1.Maccab.6. v.43.44.45. quod hominis ambitiosi est & vani, pii non item. 5. Huc referri potest quæsita illa & affectata ultrò Romanorum amicitia propter eorum potentiam, 1.Maccab.8. quod vix videtur consistere posse sive cum consuetudine populi Dei, sive cum pietate Iudæ, erat enim hoc niti brachio carnis, & cum gentilibus sine ulla justa causa societatem ad mutua auxilia ferenda inire, contra Legis & Prophetarum effata crebra: Adde fœdus simile initum & recentatum cum Spartanis, 1.Maccab.12. 6. Sic impium est quod Ionathan Spartanos certos esse jubet, 1.Maccab.12.11. Judæos omni tempore, & sine intermissione tum festis, tum reliquis diebus opportunis memoriam conservare eorum in sacrificiis & precibus suis, quum gentiles tempore pædagogiæ veteris fuerint *sub ira, sine Deo, sine spe*, nec preces, minus sacrificia offerri consueverint à Judæis pro gentibus, quippe quæ & exosæ erant Judæis, & habebantur velut alienæ prorsus ab omni participatione tum felicitatis tum cultus ad eam ducentis. 7. Alienum etiam erat ab instituto Dei, & officio bonorum Pontificum se immiscere negotiis bellicis & politicis, quod tamen fecisse dicuntur Maccabæi fratres, & de Simone dicitur διαφρόντισεν, quod εὐδόκησεν ἀρχιερατεύειν, καὶ εἶναι στρατηγὸς καὶ ἐθνάρχης τῶν Ἰουδαίων, καὶ τοῦ προστατῆσαι πάντων, 1.Maccab.14.47. Eidem adscribitur, cap.15. vers.32. pompa & κυλικεῖον μετὰ χρυσωμάτων καὶ ἀργυρωμάτων, quod in stuporem dedisse dicitur Athenobium Antiochi ad Judæos Legatum. Ista omnia aliena prorsus ab officio & conditione Sacerdotis. 8. Idem Simon qui à pietate & singulari Dei benedictione commendatur, refertur Maccab.16.vers.16. à Ptolemæo oppressus & occisus tumulentus in convivio unà cum filiis, qualis exitus, animam nimirum inter pocula efflare, parum conveniens est homini pio, & Deum timenti.

III. *Exc.* 1. Mattathiæ facinus simile esse facinori Phineæ, transfigentis scortatorum cum Madianitide, Numer.25.8. 2. Distinguendam esse *virtutem Ethicam* ab *Heroica*, motus ordinarios ab extraordinariis: Mattathiæ facinora ad classem posteriorem referenda esse, non ad priorem.

3. Religioni deputandum esse, non superstitioni, quod lapides altaris non contemptim habiti fuerint. Sic Psalm.102. v.15. servos Dei dici delectari lapidibus Tzionis, & pulveris ejus misereri, sine superstitione. 4. Prophetam nullum expectandum post Malachiam, non doceri in Scriptura. 5. Anathemata multa templo appensa fuisse constare ex Luc.21. 5. 6. Eleazarum non suam, sed elephanti & sessorum cædem intendisse, adeoque haudquaquam *αὐτόχειρα* fuisse, sed occubisse in prælio, militum aliorum instar, strenuè pugnantium cum hoste. Nec honestæ famæ desiderium absolutè illicitum esse. 7. Amicitiam Romanorum & Spartanorum non magis impingi debere pro crimine Maccabæis, quàm Abrahamo vel Isaaco fœdus contractum cum Abimelecho, Gen.21.32. & 26. ℣. 28. vel Davidi aut Salomoni amicitiam Hirami Tyriorum regis, 2.Sam.5. 1.Reg.5.8. Oblatione sacrificiorum intendisse Iudæos conversionem Spartanorum ad Dominum, quod inter charitatis officia fuerit, nec illicitum, quum Deus gentilium conversionem per Prophetas suos prænuntiarit. Idem optare Sposam sorori suæ parvæ, Cantic.8.8. 9. Simonem etiam Heroico impetu talia molitum, nec mirum homini ad extraordinarium munus politicum vocato, gazam fuisse splendidiorem ordinaria Sacerdotum supellectile. 10. Μεθύσθαι non temulentiam designare, sed hilaritatem in convivio, sic servum edisse & bibisse *μετὰ τῶν μεθυόντων*, Matth. 24.49. Eandem significationem verbi istius exstare, Iohan.2.10. Distinguendum hîc esse *ἀξίωμα* & *αἴτημα*, istud hîc reperiri, non illud, nec novum esse viros pios etiam fraude vel vi opprimi, immò tales utrique magis opportunos esse.

IV. Hoc verò est *πρὸς τὴν ὕλην πεπαιδευμένον λαλεῖν*. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* *παρὰ τὸ ἑπόμενον*, ob *Elenchum parium*. Factum enim Pinehæ contigit post mandatum expressum datum à Deo de talibus jugulandis, Num.25.5. Idem à Deo disertè laudatur, ℣.11.12.13. & Ps.106.29.30.31. in alio Scripto Canonico. 2. Aliud etiam, in hominem privatum arma stringere; aliud, in satellitem à Rege submissum & publica authoritate instructum à quali vim abstinemus. Absurdum etiam, unum Pinehæ actum conferre cum molitione Mattathiæ se ipsum Ducem constituentis populo quamvis sacerdotem, & gentem integram concitantis ad arma. *Inst.* Conferri facinus Mattathiæ cum facinore Pinehæ, 1.Macc.2.26. *Resp.* Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*. Idem enim probatur per idem, quum hujus ipsius libri authoritas in dubium vocetur, adeoque & comparatio ac commendatio ista, & quicquid in ea exstat. Immò eo ipso quo Author talia commendat, *νοθείας* suæ indicium præbet.

V. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per *συγχώρησιν* per *concessionem*, distinguendam esse virtutem *ethicam* ab *heroica*, & *motus ordinarios* ab *extraordinariis*. 2. Per *ἄρνησιν*, *per negationem*, exemplum Mattathiæ apposite huc referri. De eo enim ipso controvertitur, & *τὸ ἀμφισβητούμενον* ponitur pro concesso vel probato. *Inst.* Etsi de eo *à priori* constare non possit, constare tamen à *posteriori* ex benedictione Dei. *Resp.* Peccari *Elencho* *παρὰ τὸ ἑπόμενον*, & *falsâ suppositione*, quasi ex eventu & benedictione externa sit metiendum jus. Atqui

& iis qui præter officium sæpe aliquid aggrediuntur, respondet quandoque successus; illis sæpe non item, qui ex officio.

VI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Nec enim actus Religionis feruntur in lapides, sive illi sint *eliciti*, sive *imperati*. Immò quum Sacramenta extra usum sacrum non sint Sacramenta, minus lapides altari destructo sanctitatem aliquam vel *insitam* vel *adsitam* habebunt, ob quam cum cura tanquam res sacræ seponi deberent. Superstitio verò id genus devotionis parit, & fovet, & de vero religiosi cultus objecto parum sollicita, falsa sibi objecta fingit, & ex non religiosis religiosa facere satagit. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci Psaltis, Ps. 102. cujus verba *symbolicè* sunt intelligenda & *mysticè*, non *propriè* vel ad *literam*. Sensus enim est, Judæos pios & Levitas Babylonem abductos, Psal. 137. de domo Dei etiam diruta & destructa assiduè cogitare; ad ejus instaurationem anhelare ardentibus animis, ruinas & rudera Zijonis præferre palatiis Babyloniorum, gemere etiam & dolore super desolatione domus Domini, quod illa redacta fuerit in pulverem, & solo æquata. Id itaque duntaxat innuitur, Judæos non tantum tangi amore patriæ, sed præcipuè templi Dei, & tanto quidem affectu in id ferri, ut ipsa rudera, lapides, & pulvis veluti animos pios afficerent, *figurato* loquendi *modo*, quo summus amor exprimitur, qui non tantum fertur in personam, vel in rem amatam, sed etiam in omnia, quæ ad personam vel rem amatam pertinent, & cum ea connexa sunt. Sic Sponsæ vitta, calcei, & mundus muliebris commendantur à Sponso, & quicquid S[illegible]nsi est commendatur à Sponsa in Cantico. Sic & domus & dona & λείψανα quævis illius personæ quam amamus, amari dicuntur. Aliud verò est, domum Dei *reduplicativè* qua talē amare, & ad ejus instaurationem adspirare, aliud, lapides altaris superstitiosè seponere ad Prophetę alicujus adventū.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Immò docetur id disertè sub finem capitis ultimi Malachiæ v. 23. ubi nullius alius Prophetæ promissio proponitur ante diem Domini præterquam Eliæ illius, qui ejus debuit esse ante ambulo, & qui solus erat populo Dei exspectandus ante diem illum. Et ista clausula est velut signaculum Testamenti Veteris, quo & obsignatur Prophetia, & œconomia prisca, & piorum animi eriguntur ad novam expectandam sub beatam Messiæ exhibitionem.

VIII. Ad 5. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἐπόμενον. *Praxis* quidem notatur, Luc. 21. *jus* non item, at ab illa istud inferri nequit, nullo præeunte præcepto, *Inst.* Christus hoc non reprehendit. *Resp.* 1. Peccari *falsa supposi tione*, quasi omnia à Christo reprehensa fuerint αὐτολεξεί, quæ superstitiosa fuēre inter Judæos. 2. Adde, Christum etiam talia non probasse. *Inst.* Spolia & exuvias hostium fuisse illatas templo Domini, v.g. gladium Goliathi, 1. Sam. 21. 9. scuta Syrorum, 2. Sam. 8. 7. 11. *Resp.* 1. Peccari *Elencho partium.* Aliud enim est, fuisse asservata monumenta miraculosarum Dei liberationum, aliud, ultrò corollas delubris Paganorum inferri solitas in domo Domini ad morem Gentilium suspensas fuisse. 2. Peccatur *falsa suppositione*, neque enim locis illis docetur, in templo talia fuisse asservata, sed *priori* gladium Goliathi fuisse penes Abimelechum, *posteriori*, umbones

aureos

aureos Hadad Hezaris fuiſſe delatos Hieroſolyma. Immò ſi gladius Goliathi fuiſſet anathema in tabernaculo ſuſpenſum, & devotum Domino, nec Abimelecho licuiſſet illum à tholis ſacris avellere, nec Davidi accipere. Sic 2.Sam.8.2. manubiæ hoſtium dicuntur quidem conſecratæ Domino, quatenus materia illa deſtinata fuit ædificationi templi, non verò quod illæ ſuſpenſæ fuerint è lacunaribus templi. Sequioribus quidem temporibus multa templo Domini illata leguntur, inter quæ erat vitis aurea, una ab Alexandro Ethnarcha Judæorum, altera ab Herode Magno profecta, & Menſa à Ptolomæo pro donario ſubmiſſa, & alia id genus, ſive à Iudæis, ſive à Gentilibus in templo appenſa. Sed quæſtio eſt, an iſta ἐθελοπερισσοθρησκεία ad imitationem Paganorum comparata, Deo grata fuerit, quod probari nequit, quum Deus populum ſuum alienum eſſe voluerit à κακοζηλίᾳ Pagana.

IX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per conceſſionem*, demus, Eleazarum non fuiſſe αὐτόχειρα, at vanus ſaltem fuit, quippe qui gloriæ captandæ cauſa certo ſe objecerit diſcrimini, ἢ περιποιῆσαι ἑαυτῷ ὄνομα αἰώνιον, qnod alienum ab officio hominis pii. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, revera enim αὐτόχειρ fuit quippe qui ſucceſsiſſe dicitur elephanto, & ſe ei ſuppoſuiſſe, & quidem præviſo periculo inevitabili, ut patet ex verſ.44. Vtrumque vero in vitio, nec excuſandum. 3. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid.* Quamvis enim famæ honeſtæ deſiderium *abſolutè* illicitum non ſit, illicitum tamen eſt κατά τι, quando vel pro præcipuo fine habetur, vel quando iis mediis quæritur, quæ illicita ſunt. *Inſt.* At Eleazari finis præcipuus erat, deſiderium ſervandi populi ſui. *Reſp.* Per *conceſſionem*, dici à Scriptore eum etiam id ſpectaſſe. 2. *Per negationem*, dici Eleazaro illum præcipuum fuiſſe finem. Nec colligendum, ex ordine narrationis præcipuum finem ſemper præmitti. 3. Peccatur *falſa ſuppoſitione* geminâ, vel ſalutem populi quibuſvis mediis quærendam eſſe, vel ſalutem populi alia ratione procurari non potuiſſe, prærerquam temerario ejuſmodi auſu. *Inſt.* Hoc narrari tantùm *hiſtoricè*, non probari. *Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, narratur enim ἱστορηματικῶς, non ἐπαινετῶς duntaxăt, quod alienum à Scriptore Canonico.

X. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. *In hypotheſi.* 2. *In theſi. In Hypotheſi*, Peccari *Elencho parium*, & *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Diverſa enim prorſus ratio in exemplis. 1. *Abrahami* conventio cum Abimelecho, Gen.21.1. Non tam fuit fœdus initum cum pari, quam homagium fidelitatis præſtitum ſuperiori ab inferiore. Sedem enim ſuam fixerat Abrahamus in ditione Regis Gerar, æquum itaque erat eum fidem in licitis obſtringere Principi. Et ſanè non fuiſſe fœdus à pari contractum cum pari & propriè dictum ex eo patet, quod Abrahamus quidem minus obtuliſſe legatur Abimelecho verſ.30. ut ſuperiori, iſte illi non item, quamvis jurarint ambo, verſ.31. Abraham promittendo fidem, Abimelech repromittendo protectionem, & ſecuritatem. *Inſt.* Vocari ברית *fœdus* à Moſe. *Reſp.* Vocem illam laxam eſſe, ut liquet ex Gen.9.9.10. ubi dicitur initum *fœdus cum omni anima vivente, tam de volatili, quàm de jumento, & omni beſtia terræ, &c. imò cum terra ipſa*, v.13. Vbi certum, non deſignari fœdus propriè dictum conſiſtens in.

stipulatione & restipulatione mutua (nec enim eius objectum vel bruta esse possunt, vel terra) sed vel promissionem absolutam Dei, vel ordinem sancitum à Deo de non exscindenda amplius terra per diluuium. 2. Abrahami conventio cum Abimelecho non fuit ultrò quæsita vel affectata ab Abrahamo, sed oblata illi ab Abimelecho. 3. Adde, Abimelechum non planè fuisse alienum à vera Dei cognitione & timore, ut patet ex capite 20.4.5.6. &c. 4. Non erat fœdus illud Abimelechi & Abrahami συμμαχία, vel arctioris conjunctionis contesseratio, sed cautio simplex de non offendendo, & pacificè vivendo, qualis cum quibusvis hominibus iniri potest. Immò erat fœdus initum vel cum Principe vicino, vel potius cum regulo imperante regioni in qua habitabat Abraham, ut supra dictum. Necessarium itaque erat cum tali transigere. 2. Eadem ratio fœderis *Isaaci* cum Abimelecho, Gen. 26.29. At fœdus à Maccabæis initum cum Romanis & Spartanis alius prorsus erat ordinis & rationis. Nam 1. Judas Maccabæus id ultrò quærit per Oratores Romam missos. 2. Quærit sine necessitate, & ex diffidentia potius auxilij Divini, vel ex fiducia quadam collocata in brachio carnis, vers. 18. 3. Quærit cum gente remota. 4. Et quærit id ipsum, Romanorum potentia & viribus ad id pellectus, ut patet ex c. 8. ubi ambitiosè & præter morem Spiritus S. Romanorum bella, quæ mera erant latrocinia maximam partem, prolixè ut res præclarè gestæ deprædicantur. 5. Offert Judas per Oratores amicitiam & συμμαχίαν *absolutè*, v. 17. & cupit Judæos χαφίσαι συμμάχους ἢ φίλους Romanorum v. 20. Et sanè ex tabulis fœderalibus quæ subjiciũtur patet, Judæos, si bellum moveretur vel Romanis, vel sociis etiam eorum in illo loco, ad auxilia ferenda obligatos fuisse, immò iisdem obnoxios redditos ad mandata Romanorum excipienda, v. 26. Ista verò bella sæpe injustissima fuere, & tamen in eorũ societatem hic pertracti fuere Iudæi, & temerè quidem, quod excusari nequit in gente Dei timore imbuta, & toties præsentem Dei vim experta, & ab alienigenarum consortio sibi cavere jussa. In eo itaque peccatum à Juda, & à Jonatha, cap. 12. idem fœdus ultrò renovantibus cum Romanis. Nec minus peccatum fuit in fœdere contracto cum *Spartanis*, & in amicitia, συμμαχία, immò & fraternitate inita cum gente Deo exosa, & aliena prorsus à Dei cognitione & cultu, pariete intergerino adhuc exstante inter Judæos & gentes.

2. Sic ineptum etiam est exemplum fœderis à Dauide contracti cum *Hiramo* Tyriorum Rege. Nec enim 1. Inter Dauidem & Hiramum ullum legitur fœdus initum, minùs à Davide quæsitum, sed ultronea Hirami ad Dauidem legatio, 2. Sam. 5. 2. Hiramus haudquaquam à vera Dei cognitione omninò alienus erat, ut patet ex 1. Reg. 5. 7. lætatus enim dicitur, & vehementer quidem, quod moliretur Salomo templum Deo suo, & in verba ista erumpit: *Benedictus Iehova hoc tempore qui præfecit pro Davide filium sapientem populo multo isti.* 3. Fœdus initum inter Salomonem & Hiramum v. 12. non erat συμμαχία, sed duntaxat conventio reciproca de lignis cedrinis & abiegnis, & aliis id genus subministrandis ab Hiramo ad constructionem templi, & de comeatu ac mercede certa exolvenda à Salomo-

Salomone. Quale genus confœderationis cum omnibus iniri potest, sine scrupulo ullo. Nec dubium, quin in eo ipso præludium fuerit vocationis futuræ gentium, per quas etiam, non per Judæos tantùm aliquando esset exstruendum Domini templum sub Oeconomia Novi Testamenti.

XI. *In Thesi*, fœdera quædam cum gentibus alienis à Dei cultu *licita* censemus, *illicita* alia. *Licita*, quæ nihil vitii trahunt, 1. *Ex parte causæ impulsivæ*, qualiá sunt ea quæ justas & honestas ob causas contrahuntur, sive ex desiderio nos & nostra modis licitis tuendi, sive commercia permissa, quoad τὰ βιωτικά, promovendi, sive regni Dei etiam fines dilatandi. 2. *Ex parte materiæ*, quæ nec *stipulationes* habent nec *restipulationes* pugnantes sive cum prima Legis tabula, sive cum secunda, nec vel pietati contrariæ sunt, vel charitati. 3. *Ex parte formæ*, quorum forma nullam implicat communicationem sive actuum idololatricorum, sive *operum* cæteroquin *infrugiferorum tenebrarum*. 4. *Ex parte finis*, quæ in nullius fraudem vel damnum contrahuntur, & spectant tranquillitatem duntaxat & honestatem externam, & moderamen inculpatæ tutelæ, & alios id genus fines licitos. Talia sunt fœdera de non offendendo, de colenda pace mutua, de commerciis mutuis, quæ fundantur partim in *jure naturæ*, partim in *jure gentium*, nec juri divino adversantur, quum nec veri Dei cultus detrimentum aliquod ex iis capiat, nec falsorum Deorum cultus inde juuetur vel promoveatur. *Illicita* verò omnino censemus fœdera quæ vitium trahunt, 1. *Ex parte causæ impulsiuæ*, & vel ex diffidentia de auxilio divino, vel ex fiducia in brachio carnis collocata oriuntur contra edictum Domini, Jer.17.5. immò quæ temerè & sine justa causa affectantur à Dei Filiis. 2. *Ex parte materiæ*, quæ sive impias, sive injustas, sive temerarias stipulationes aut restipulationes habent, & pietati charitatique simul, vel alterutræ saltem ex illis adversantur. 3. *Ex parte formæ*, quorum forma implicat superstitionem vel participationem actûs alicujus idololatrici. 4. *Ex parte finis*, quæ in aliorum damnum & fraudem contrahuntur, siue ad perturbandam pacem publicam, sive ad oppresſionem & deprædationem ultroneam aliorum sine causa. Quæ itaque fœdera vel ob aliquam ex his causis, vel ob plures simul vitiosa sunt, ea *Theologicè* pronuntiando illicita censemus. Huc pertinent fœdera à populo Dei olim cum Ægyptiis, Syris, Assyriis & aliis id genus gentibus contracta, quæ à Prophetis grauissimè perstringuntur, 2.Paral.6.7.19.2.20.37. Esai.30.2. Vt verò connubia ea demum probanda quæ fiunt *in Domino*, sic & quæ panguntur fœdera hoc modo duntaxat iniri debent. Quæ aliter se habent, nec Deo placere, nec utilia esse possunt. Ea verò demum *in Domino* fieri censenda sunt, quæ à Spiritu Dei dictantur, & secundùm verbum eius fiunt, & justis ac licitis mediis ad bonos fines tendunt. Et hîc cauendum solicitè, nec peccetur in Aphorismum Apostoli, 2.Corinth.6.15.&c. Nec existimandum, fœdera etiam de mutua defensione cum infidelibus contracta promiscue licita esse, immò talia multis cautionibus circumscribenda sunt, quæ & conscientiam fœderatorum fidelium in tuto constituant, nec illos ad damnum inferendum domesticis fidei in gratiam infidelium

adſtringant. Quum verò hîc confinia boni & mali difficulter ſervari poſsint, præſtare cenſemus ſi à talibus etiam abſtineatur, quum videamus Deum ordinariè maledixiſſe id genus pactis, & prædixiſſe ſe iis maledicturum. Diſtinguendos verò etiam exiſtimamus illos, qui planè à Chriſtiana Religione alieni ſunt, & *infideles negativè* vocari poſſunt, & *infideles privativè*, qui Chriſtianum quidem nomen profitentur, in Chriſtianam tamen fidem peccant. Inter quos etiam gradus multi, adeoque illorum reſpectu conteſſerationis mutuæ vinculum diverſimodè quoque conſiderari debet. Nec peccatum tantùm, & quod *per ſe* malum, cavendum eſt, ſed & ſcandali omnis materia amolienda, nec tantùm ſpectandum *quid liceat* in talibus, ſed etiam *quid expediat*.

XII. *Inſt.* 1. Licere uti brutis ad commoda noſtra promovenda in bello, & extra bellum, magis licere uti infidelibus ad eoſdem fines. 2. Non poſſe dari contractum cum infideli, quin peccetur in *forma*, quum juramentum mutuum exigatur, & ſic fidelis in causâ ſit juramenti præſtiti per falſos Deos, quale quid non ſine gravi peccato fieri poteſt. Ad 1. *Exc. Reſp.* Peccari *Elencho partium, & paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Bruta enim ſunt *inſtrumenta* merè *paſſiva*, ad nutum noſtrum circumaguntur, imperio noſtro prorſus ſubſunt, illorum impetus quandocunque libet inhiberi poteſt, & peccatis illorum participes fieri non poſſunt, qui iis utuntur, quum in illa peccatum non cadat. Brutorum etiam operâ utimur, illa noſtrâ non item. Nos in illa jus habemus, illa in nos non vice verſa. Alia ratio ſocietatis initæ cum infidelibus, quæ *relationem* quandam *æquiparantiæ* includit, unde ut nos illorum, ſic illi noſtra opera utuntur, eorum conſilia audienda, commoda procuranda, idololatria & impietas ferenda, violentia diſsimulanda, & quæ ſunt alia id genus incommoda. Ad 2. *Exc. Reſp.* Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, *vel paralogiſmo accidentis.* Quamvis enim juramentum reciprocum exigatur in fœderibus mutuis, non tamen exigitur juramentum per falſos Deos ab infideli, ſed per verum Deum potius. Sin infidelis per falſos Deos juret, hoc fit *per accidens*, & infideli imputandum, non fideli qui mallet illum per verum Deum jurare quo cum fœdus init. Exigere itaque juramentum ab infideli, malum non eſt, quamvis exigere juramentum per falſum Deum, malum ſit. *Inſt.* Novit fidelis, infidelem juramentum ejuſmodi præſtiturum, nec poſſe aliter facere, & tamen id exigit, adeoque exigit juramentum tale, quod malum. Et niſi id exigeret fidelis, non peccaret infidelis. Videtur itaque eſſe in cauſa peccati illius. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nam & *actio* fidelis exigentis juramentum à culpa aliena eſt, & *intentio* ejuſdem, quæ eo tendit ut fœdus ſit ratum. Nec notitia quam habet fidelis de peccato ſecuturo eum reum facit, quia id non *per ſe* ſequitur ad id quod exigit, ſed *per accidens* duntaxat, non ex *natura juramenti*, ſed *ex vitio jurantis.* Deus noverat ad mandatum ſuum repetitum Pharaonem indurandum magis magiſque, mandat tamen. Ieremias noverat, Prophetias ſuas excipiendas ſannis ab hominibus malis, prophetat tamen. Magiſtratus novit ad mandatum de hoc vel illo facinoroſo torquendo

expleturos lictores & carnifices rabiem & odia sua in reum, & tamen eum in manus talium sine peccato tradit. Novit Pastor hominem Atheum joco & contemptu excepturum hortationem ad pœnitentiam, hortatur tamen. 2. Peccatur *falsa suppositione:* infidelem aliud juramentum concipere non posse, quod falsum. 3. Falsum etiam, talem non peccaturum, nisi fidelis id juramentum exigeret. Nisi enim hoc peccatum peccaret, peccaret aliud. Infidelis enim ante regenerationem sui non potest non peccare. Nec enim ex principio corrupto, ex corde per fidem non renovato, actiones aliæ præterquam malæ oriri possunt, & omnia quæ tales agunt, ut corrupta sunt ex *parte principii*, sic corrupta etiam sunt sæpe ex parte *materiæ*, semper ex *parte modi* & ex *parte finis*, tum quia non *eo modo* agunt, quo agere debent, tum quia nonnisi *propter se* agunt, nec illum sibi finem præstitutum habent, quem habere debent, videlicet Dei gloriam.

XIII. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, nec enim finis ille conversionis Spartanorum exprimitur in textu. Immò si id Iudæis sedisset animo, conati fuissent vel Doctoribus submissis, vel aliis id genus modis, eos ad notitiam & cultum veri Dei pertrahere, quod haudquaquam factum. Nec quicquam tentatum, vel præstitum ei rei curandæ, unde gratis supponitur, & sine fundamento. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim finis boni intentio sufficit ad operis bonitatem. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Aliud enim est, optare simpliciter conversionem aliquorum, & illam promovere; aliud, sacrificia eo nomine offerre, & id per sacrificia petere, adeoque sacrificia à fine suo & scopo, ob quem à Deo instituta erant, avertere, & quidem tunc, quum adhuc erant *tempora iræ*, & quum volebat Deus *gentes suis ipsarum viis incedere*, gentium vocatione in tempora Messię dilata, ut & illa illustriora fierent, & gratiora, & majori animorum ardore expeterentur. Et his demum temporibus à Prophetis prædicta erat gentilium conversio. 4. Locus ex Cant. 8. 1. ἀπροσδιόνυσος est, quippe quo tantùm refertur prædictio de vocatione gentium, & apertè indicatur, nondum esse tempus Ecclesiæ istius vocandæ, & Christo velut sponso conjungendæ. Et hoc est quod sibi volunt verba illa, quibus vocatur *soror parva, cui nondum sunt ubera*, h. e. quæ nondum matura est ad connubium.

XIV. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Petitio ἀρχῆς, Heroicum impetum & divinum ad omnia quæ gesta à Simone, supponi, non probari: vel muneris Sacerdotalis & Politici conjunctionem citra vocationem extraordinariam probari posse, minus affectationem utriusque dignitatis, quę disertè in Simone isto notatur, dum inquit Auctor θέλων ἀρχιερατεύειν, καὶ τῷ στρατηγεῖν. 2. Peccatur *falsa suppositione*, quasi simpliciter culpetur supellex lautior & ornamenta, culpatur illa qualis refertur, quæ ad luxum & ostentationem meram erat comparata, & tanto quidem apparatu instructa, ut Legatum Regis etiam opulentissimi in stuporem daret, quod an Sacerdoti sancto & publicorum duntaxat commodorum studioso conveniat, proclive est judicare.

XV. Ad 10. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς *per concessionem*, τὸ μεθύσθαι interdum designare non temulentiam, sed hilaritatem in convivio, quamvis prior locus allegatus propriè etiam intelligi debeat de vera inebriatione servi nequam, posterior verò de ea intelligi sine absurditate possit, nec enim ibi *jus* notatur, sed *praxis*, non id quod fieri debebat, sed id quod fieri solebat in conviviis id genus nuptialibus. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, vel semper istam verbi illius significationem esse, immò crebrius sumitur sensu proprio, ut Act.2.15. 1.Cor.11.21. 1.Thess.5.7. Apoc.17.2.6. Sic apud LXX. respondet ordinariè verbo שכר quod est κραιπαλᾷν. Et hæc est vis verbi, ut ex Originatione patet. Auctor *Etymologici Magni* : Μεθύω παρὰ τὸ μέθυ: Τοῦτο παρὰ τὸ μετὰ τὸ θύειν ἔρχομαι πίνειν, οἱ γὰρ μεθύοντες ἀκίνητοί εἰσι, μέχρις ἂν ἀποκαθεσθῶσι. Sic Hesych. Μεθύει exponit per Πεπλήρωται. Et μέθη ipsi est κραιπάλη σκοτώσασα τὸν νοῦν. Sic Aristoteli in Ethicis opponuntur οἱ μεθύοντες καὶ οἱ νήφοντες. Peccatur itaque *elencho ex particularibus*. Nec quicquam hîc obstat, quo minus verbum istud in propria & usitata sua significatione accipiamus, quamvis interdum laxius sumatur. Idque eo magis quod ℣.25. antecedente, ille qui Simonem convivio excepisse dicitur, dicitur fecisse πότον μέγαν. Adde funestum etiam mortis genus esse, in convivio obtruncari, quamvis enim absit temulentia & crapula, liberius tamen convivantes solent se invitare, & ut plurium genio liberalius indulgere, quàm domi fieri consuevit, adeoque homo tunc parum aptus est ad cogitationes istas, quæ in confinio illo inter vitam & æternitatem requiruntur. Nec dubium, quin ille qui insidias Simoni struxisse legitur, omnibus modis id egerit, ut Simonem & filios vino sterneret, antequam sternerentur ferro, ut sic ἀναιμωτὶ & sine pugna & vindicta perirent, præsertim quum nosset Simonem esse virum strenuum, & parem magnis ausis. Ista sanè jubent, ut τὸ μεθύσθαι *propriè* sumamus & *strictè*, potius quàm *impropriè* & *latè*. 3. Peccatur *falsa suppositione*, intelligendum hîc esse ἀτύχημα duntaxat, non ἁμάρτημα, immò τὸ μεθύσθαι inter ἀδικήματα est, quibus se homo sibi & aliis inutilem reddit, & se in gravia tum peccata tum pericula dat præcipitem, quod isto ipso exemplo Simonis docetur, quippe qui cum filiis facilè oppressus fuit in isto statu, quum alioquin ancipitem reddere potuisset pugnam, & Sicariorum vim retundere. Immò quia Author libri vim vi repulsam non docet, sed oppressum Simonem sine pugna refert, verisimile est, eum in eo statu oppressum, quo sui compos non esset, nec arma cum filiis expedire posset. *Inst.* Noachum etiam vino oppressum legi. Sanctissimos violenta etiam morte abreptos sæpe fuisse. *Resp.* 1. *Per concessionem*, Noachum quidem vino semel oppressum legi, in temulentia verò oppressum & sublatum non legi. Peccatur itaque *Elencho parium*. Nec exemplum simile ullius viri sancti, in temulentia oppressi exstat in sacris. 2. Peccatur *ignoratione Elenchi*, neque enim quæstio, an Dei filii violenta morte tollantur, sed an ea tollantur dum per temulentiam extra se sunt constituti, & in isto statu. Parum itaque famæ & honori Simonis consuluit Auctor Libri istius. Examen impietatum vel superstitionum latentium in secundo Libro Maccabæorum peculiarem tum ἐξήγησιν, tum ἐκδίκησιν meretur, cui destinamus Disputationem sequentem.

DISPVTATIO DVODECIMA

Κατασκευαστική,

DE

AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei articulis.

THESIS I.

QVOD de I. Machabæorum libro, Diſputatione XI. demonſtratum fuit, id de II. etiam demonſtrandum eſt, & penſum à nobis occupatum deducendum *μέχρι τῆς κορωνίδος*. Vt verò liber iſte impurior longè eſt priore, ſic ſordes omnes, & nævos quibus ſcatet, convertere, & Lectori obtrudere, eſſet *Sardos venales* circumducere, & in *χαλζόματα* inexplicabilem ſe induere: Satis nobis ſit, unum *Superſtitionis* Characterem examinare; alterum *Impietatis*.

II. *Superſtitionis* Characterem reperimus Lib. 2. Maccab. c. 12. 43. ubi narrat Auctor, Judam Maccabæum collectâ inſtitutâ duo millia drachmarum miſiſſe Hieroſolyma, ad ſacrificium offerendum pro peccato, idque ſecundùm Authorem, in gratiam eorum, qui Idololatriâ & Sacrilegio ſe polluerant, & in crimine illo obtruncati ceciderant, ut expiaretur eorum peccatum. At, ſacrificium pro mortuis offerre, à ſuperſtitione excuſari nequit, quod tamen laudat ibidem Auctor Libri. Addi poſſet eiuſdem commatis narratio de viſione, in qua *Oniæ* & *Ieremiæ* defunctorum preces pro populo referuntur, quæ *αὐτόχειρος* pariter ac *ἄλογος* 2. Maccab. 15. *Impietatis* verò Characterem reperimus, 2. Maccab. 14. 37. Ubi Auctor introducit Razim quendam, & quidem è Senioribus Hieroſolymitanis, integerrimæ famæ Virum, & in ſumma veneratione ob virtutem inſignem conſtitutum, qui tamen enſem in ſeipſum ſtringit, & *αὐτόχειρ* eſſe mavult, quàm in hoſtium manus incidere: Nec verò Heroem illum, unius ſceleris duntaxat reum facit Auctor, ſed & aliorum plurium. Ferro enim non feliciter ſatis adacto in viſcera, idem muro conſcenſo ſe in turbam dat præcipitem, non ſuæ duntaxat, ſed & alienæ ſalutis contemptor. Nec hoc fine Tragœdia ſtetit: cum enim pertinax iſta anima nondum ſede ſua egreſſa eſſet, rupem præruptam conſcendit, & prehenſa viſcera in turbam projecit, & tertiùm ſibi necem conſcivit: An verò iſta generoſum animum ſpirent, an hominem in furorem & rabiem actum, judicabit Lector ſuæ ſpontis & ſani judicij. Præterquam quod Auctor ſe *κεστροχειλήρμιον* probet, qui poſt ſicam adactam in pectus, poſt præcipitium, & poſt copioſiſsimum ſanguinem fuſum, mirum nobis repræſentat hominem; curſu adhuc concitato turbam perrumpentem, rupem conſcendentem, &, licet exanguem prorſus, viſcera ſpargentem utraque manu, ſui tamen poſt omnia iſta adhuc compotem, & preces fundentem ad dominum. *Impietatis* etiam Character alius addi poſſet, quod hominis à

Dei Spiritu haudquaquam acti, Jasonis nimirum Cyrenæi Epitome, obtrudatur Ecclesiæ pro scripto Canonico, & quod id sudorum ac vigiliarum plenum vocetur opus, quod tamen supponitur fuisse dictatum à Dei Spiritu, & quod accurata de singulis rebus tractatio Jasoni deferatur præ opere Dei impulsu suscepto, ejusque dictamine conscripto 2. Maccab. 15. vers. 24. 25. 27. Adde, impium esse colophonem, quem suo operi imponit Auctor 2. Maccab. 15. v. 39. Dum anxius hæret, an scriptio responderit arti, an digna sit argumento & instituto suo, an verò exilis sit & tenuis, & infra argumenti dignitatem subsidat. Fatetur tamen, se omnes vires intendisse ad opus istud, quod produxerit 2. Maccab. 15. 39. Quale quid Spiritui Sancto sine blasphmia tribui nequit.

III. Sacrificia verò offerre pro mortuis, superstitiosum esse, operosâ probatione non eget. Nam 1. Cultus iste ἄγραφος est, adeoque temerè susceptus & præstitus, unde nec Deo gratus, nec sine peccato, quippe *sine Fide*, Rom. 14. v. 23. hoc est, sine πληροφορίᾳ & persuasione conscientiæ, id Deo acceptum esse. Referendus itaque ad ἐθελοθρησκείας damnatam ad Coloss. 2. v. 23. Cùm verò Scriptura sacra prolixè admodum de sacrificiorum omnium, & *propitiatoriorum*, & *eucharisticorum* natura, ritibus, & appendicibus omnibus agat, utiq; hæc sacrificii species neutiquam prætermissa fuisset, si ea Deo offerri debuisset. 2. Cultus iste ἀντίγραφος est, & *Scripturæ aduersus*, quippe quæ disertè edisserit, Legi Divinæ nihil vel addendum, vel detrahendum esse, Deuter. 4. v. 1. 2. & 12. quod tamen hic factum. 3. Cultus iste ἄλογος & *ineptus est*. Cùm enim mortuorum status immotus sit, cui bono sacrificium pro mortuis offerri poterat vel debebat? Qui enim moriuntur, vel in Domino moriuntur, & sic beati sunt, Apocal. 14. 13. vel non, & sic maledicti fuint: vel sunt justificati fide, & sic pacem habent cum Deo Rom. 5. 1. vel non, & sic ut Dei hostes plectuntur *in æterno Dei*, qui *in suo æterno* in Deum peccare non desiêre. Vel à morte ad Deum in sinum Abrahæ recepti sunt, vel non. Si *prius*, nec sacrificiis opus habent, nec cultu ullo viventium: si *posterius*, nulla illis vel spes salutis, vel portio aut exspectatio hæreditatis cum filiis Dei, inter utrosque enim hiatus ingens constitutus est, ut transitus ab uno statu ad alium impossibilis sit, Luc. 16. 16. 4. Immò in eo stoliditatem suam Auctor scripti istius traducit quod non gravissimè tantùm impingat *circa jus, jurisque cognitionem*, id sacrificium pro legitimo habendo, quod tale haudquaquam esse poterat, sed etiam *circa factum*, factique dijudicationem. Aliud enim Judam spectasse & cogitasse primò docet, aversionem nimirum anathematis à viventibus. Postmodum verò judicio suo sacrificium istud viventium bono destinatum corrumpit, & refert ad finem alium, non cogitatum Judæ, quasi inde mortuorum commodis aliquid accedere posset commodi & utilitatis.

IV. *Exc.* 1. Sacrificia & preces pro mortuis offerri potuisse, probari ex ipsa *praxi* Judæ, viri pii & Deum timentis, & ex assensu totius exercitus. Neutiquam enim Judæos promiscuè assensum præbituros fuisse Iudæ in hoc negotio, si tale quid impegisset in Legem Dei. Solennem verò fuisse

ritum

ritum iſtum,ſatis ex eo conſtare,quod omnes,qui cum Iuda erant, dicantur conuerſi ad preces. Adde collectam factam,adeoq; ſingulis conferentibus pecuniam miſſam fuiſſe Hieroſolyma, nomine omnium. 2. Traditionibus ſemper in Dei populo locum fuiſſe, nec Legem שבעל־ פה fuiſſe exauctorandam. 3. Idem ſuper mortuis, & illorum bono faciendum fuiſſe, quod viuentium bono fiebat, *ex analogia* facili colligi potuiſſe, & ex ingenio charitatis, quæ non abrumpitur per mortem, nec viuentes à mortuis divellit. 4. Multa ἄγραφα & arbitraria Deo placuiſſe, v.g. ſacrificia Abelis, Noachi, Manoæ, vota ſpontanea Iudæorum, diviſionem Sacerdotum in certas ἐφημερίας à Davide profectam 1.Paral.24. Rechabitarum inſtituta, Ier.35.Annæ cultum in perpetuis jejuniis & orationibus conſiſtentem,& alia id genus. 5. Ad Rom.14.23. *fidem* ſumi pro conſcientia, & ſenſum eſſe,id omne peccatum eſſe,quod fit contra *conſcientiam*. Tale verò non eſſe ſacrificium pro mortuis. Apoſtolum etiam ibi non loqui de *dogmatibus* fidei, vel de actibus religionis, ſed de *actibus adiaphoris*, v.g. de cibis mundis, vel immundis, licitis, vel illicitis. 6. Ad Coloſſ.11.22.23. ἐθελοθρησκείαν ſignificare *ſimulatam religionem*: Vel voluntarium cultum ibi non vocari actiones, quæ non ſunt à Deo præceptæ, ſed eas, quæ nec à Deo probatæ ſunt, nec commendatæ, nec revera ex natura ſua ſunt materia cultus, ſed ſunt res inanes, & tamen ab aliquibus uſurpantur, quaſi eſſent ſpecies quędam cultus,quales ſunt cultus ſuperſtitioſi,quando v.g. religio ponebatur in numero lotionum, vt Judæi olim faciebant, & Turcæ hoc tempore faciunt, qui putant ſe malè colere Deum, niſi toto corpore ſæpius loto ad orandum accedant. Loqui etiam Apoſtolum de iis,qui ſe abſtinebant à cibis quibuſdam, tanquam natura ſua immundis,& in eo religionem conſtituebant, ſi tales cibos nunquam attingerent. 7. Verba Deuteron.4. & 12. non *abſolutè* eſſe intelligenda, alioquin ſecuturum, libro Deuteronomii & verbis ibi ſcriptis nihil prorſus addendum fuiſſe, adeoque libros omnes, qui poſt Moſen ſcripti fuêre, ex Canone explodendos eſſe. Immò Moſen ibi non de Verbo ſcripto loqui, ſed de *verbis* ſive ſcripto, ſive vivâ voce traditis, de iis enim agi *indefinitè, quæ Deus præcepit*. Dubio procul itaque ſacrificia pro mortuis fuiſſe inter verba quæ Deus præcepit Moſi,& per Moſen populo. Reſtringi etiam poſſe ſenſum illorum verborum in Deuteronomio, non quaſi nihil aliud ſervandum foret, quàm quod tunc præcepit Moſes, ſed quod in eo quod tunc præcipiebat, nihil addendum eſſet,vel minuendum,ſed præceptum illud integrè ſervandum,prout erat expreſſum à Moſe. Additionem etiam illam debere intelligi de legibus,& præceptis, quæ ſint contraria prioribus à Deo datis. Alioquin conſtare ex Eſtheræ Cap.9. fuiſſe additam obſeruationem diei 14. & 15. menſis Adar. Moſen etiam alloqui populum, cuius non ſit addere, non verò Sacerdotem ſummum vel Rectores Eccleſiæ. 8. Locum ex Apoc.14.13. perverti, ἀπαρτὶ enim non referri ad beatitudinem mortuorum in Domino, ſed ad ſermonem Iohanni dictum, Spiritum *à modo* id dicere. Non pertinere ergo ad tempora Maccabæorum. Τὸ ἀπάρτι etiam optimè referri non ad mortem vnjuſ-

cujusq; quasi statim ab ea beatus foret, sed ad extremum judicium, de eo enim loqui Johannem toto capite, adeoque sensum esse; Beati sunt mortui, qui moriuntur in Domino : A *modo enim*, h. e. à fine hujus judicii, de quo jam loquutus sum, quiescent in æternum à laboribus suis. Hæc verò etiam restringi posse ad *perfectos* & *Martyres*, qui *absolutè* & *simpliciter* moriuntur in Domino, nec quid habent, quod in iis purgandum restet. Eos verò qui moriuntur cum peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicujus temporalis, non *absolutè* & *simpliciter* mori in Domino, sed partim in Domino, ob charitatem quam habent, partim non in Domino, ob peccata, quæ adhuc in sinu gerunt, & secum ferunt. Id saltem negari non posse, de iis tantùm loqui Johannem, qui sancti fuêre, & mandata Dei observavêre. Præcedere enim versu 12. *Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu Christi.* Hoc verò in omnibus morientibus, non reperiri. 9. Iustificatos fide pacem quidem habere, sed non semper retinere. Unde non legendum esse ad Rom. 5. 1. *justificati fide pacem habemus*, sed *habeamus*. Retinere verò tantùm pacem illam, in quantum manent perseverantes in justitia. 10. Locum ex Luc. 16. retorqueri posse: si enim epulo, quamvis damnatus, solicitus fuerit pro fratribus suis, magis debere vivos solicitos esse pro fratribus mortuis. Parabolam etiam esse; quæ non magis probet, duo tantùm loca esse post hanc vitam, quàm damnatos posse loqui cum beatis, animas damnatorum linguas habere, beatorum digitos, & quæ sunt alia id genus. 11. Non impegisse etiam Auctorem circa *factum* istorum hominum, pro quibus sacrificium oblatum legitur, quia peccatum illorum potuerit esse veniale, quamvis enim quædam de donariis idolorum surripuerint, id tamen ex ignorantia prohibitionis potuisse fieri, nec id ab iis factum fuisse, ut honorem aliquem haberent idolis, sed solùm cupiditate ditescendi, quæ venialis esse possit. Potuisse etiam, si mortale fuerit peccatum illud, in mortis articulo dolere milites illos de isto peccato admisso, adeoque id illis remitti *quoad culpam*, ut habetur Psal. 77. 34. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.* Et sanè Judam Maccabæum aliâs non consideraturum fuisse in eorum morte, eos qui cum pietate obdormiverant, optimam habere repositam gratiam. Vel saltem incertum fuisse statum hominum illorum, & ob id pro iis licuisse orare; Charitatem etiam inclinare semper in partem mitiorem. 12. Subordinata non pugnare. Vtrumque itaque finem potuisse conjunctim spectari in oblatione istius sacrificii, ut & à viventibus anathema averteretur, & consuleretur commodis mortuorum.

V. Sed hoc est *ἀνίσχυρα βέλη*, & exceptiones istæ speciem habere possunt, vim non item. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, de eo enim quæritur, an *praxis* ista Judæ pia fuerit & verbo Dei conveniens. 2. Per *συγχώρησιν*, *per concessionem*, concedamus *praxin* Judæ sanctam fuisse, & instituto Dei convenientem, sacrificio amoliri iram Dei à viventibus ob anathema, in quod inciderant commilitones alii, ob id tamen non sequeretur Auctoris libri Maccabæorum judicium sanum esse vel sobrium, quippe qui sacrificium istud ad alium prorsus finem refert, & viventium bono

destinata

destinata in mortuorum gratiam occupata fingit. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ob id sacrificium illud verbo Dei conveniens censendum, quod ei totius exercitus assensus accesserit, vel quod collecta ab omnibus facta fuerit. Præterquam enim quod distingui possit institutum Judæ, & exercitus à judicio istius Auctoris, multitudinis assensus non veritatis ut plurimùm, vel pietatis, sed falsitatis & erroris potiùs κριτήριον est.

VI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per συγχώρησιν per *concessionem*, traditionibus sanè semper locum fuisse in gente Judaica, & *legi* illi *orali*, sed ex *superstitione*, & ἐθελοθρησκεία, insita isti genti, adeoque peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, si inferatur; apud Judæos traditionibus locum fuisse in genere cultus divini. Ergo & inter nos iis locum esse debere. Immò opponenda interdicta gravia ex Deut.4. & 12. Matth.15. ad Coloss.2. & alia id genus loca, quibus traditiones humanæ verbo Dei contrariæ & ejus eversivæ damnantur. Distinguendæ verò traditiones *dogmaticæ*, & *rituales*, illæ quæ sunt ὑπάλληλοι, vel *subordinatæ* Legi scriptæ ab iis quæ sunt ἐναντίοι, vel *contrariæ* illi. 2. Per ἄρνησιν, *per negationem*, sacrificia pro mortuis usitata fuisse inter Judæos, ex traditione non scripta etiam, quod falsum, & gratis hic supponitur, non probatur.

VII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Peccari ignoratione Elenchi*, nec enim quæstio est, an charitas abrumpatur per mortem, & an viventes divellat à mortuis: sed an charitas exigat ejusmodi officia erga mortuos, qualia sunt sacrificia, quod est τὸ κρινόμενον. 2. Peccari falsa *suppositione*, *analogiam* hoc exigere. Immò nullus hic *analogiæ* locus ob statum disparem planè viventium & mortuorum, quum viventes sint in *via*, mortui in *statu*, illorum commoda promoveri possint, istorum verò non item. Unde viventium bono fieri possunt, quæ mortuorum bono haudquaquam fieri debent. Nec animabus magis quàm corporibus mortuorum quicquam emolumenti ex officiis nostris accedere potest.

VIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, in genere cultus divini ἄγραφα & arbitraria Deo placuisse, contrarium docent inter alia loca Deut.4.2. & 12.8.13.& 32.Matth.15.9. Ad Coloss.2.22.23. 2. Per συγχώρησιν, per *concessionem*, sacrificia Abelis & Noachi fuisse ἄγραφα, quatenus non post verbum vel præceptum scriptum oblata fuêre, quippe quod posterius sacrificiis illis, quoad *modum* istum *communicationis*. 3. Per ἄρνησιν, per *negationem*, sacrificia illa fuisse *arbitraria*. Contrarium testatur Apostolus ad Hebr.11. qui docet Abelis sacrificium fuisse ex fide profectum, vers.4. *Noachi* etiam acta, vers.7. & ex consequenti sacrificium ejus. Fides verò requirit verbum in quod recumbat, & πεποίθησιν fiduciam, id Deo ratum esse quod molimur. A *posteriori* etiam patet, utrumque sacrificium Deo gratum fuisse, adeoque revelationi Dei conforme. Aliud verò est, non fundari aliquid in Verbo Dei scripto, aliud, non fundari in Verbo Dei tum quum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deus ageret cum Patribus Veteris Testamenti ante verbum scriptum, Heb.1.1. 4. *Manoæ* sacrificium arbitrarium planè fuisse, falsum Iehovæ enim se manifestanti extra ordinem exhibendus erat

cultus extraordinarius precum & ſacrificiorum. Accedit & hoc, quod Jehova gratum habuerit iſtud ſacrificium, quum enim aſcenderet flamma ab altari cœlum verſus, aſcendit etiam Angelus Iehovæ in flamma illa altaris, Iud.13.20. unde Manoa colligit, Deum accepiſſe è manu ſua holocauſtum cum munere, v.21. *Inſt.* Sacrificium illud non fuiſſe oblatum Iehovæ, ſed Angelo Iehovæ, quod nec verbo ἐγγράφῳ nec ἀγράφῳ fuerit præceptũ. *Reſp.* 1. Ἀρνητικῶς, per *negationem*, dicitur enim disertè fuiſſe oblatum Iehovæ, v.19. 2. Συγχωρητικῶς, per *conceſſionem*, fuiſſe oblatum Angelo Iehovæ, at peccatur *Elencho oppoſitorum*, & fallacia à dicto *ſecundùm quid*, nec enim Angelus ille Jehovæ, opponendus eſt Jehovæ, vel concipiendus Angelus creatus, ſed Angelus increatus, æternus æterni Dei filius, qui fuit Jehova κατὰ φύσιν. vel οὐσίαν, quoad *naturam* vel *eſſentiam*, Angelus verò Iehovæ κατὰ φανέρωσιν & οἰκονομίαν, quoad *manifeſtationem* & *diſpenſationem*. Angelum increatum ibi intelligendum, liquet ex *verſu* 18. ubi nomen ejus dicitur *mirum*, *abſconditum*, ut Eſa.9.5. Et ex *verſu* 22. ubi Manoah agnoſcit, ſe vidiſſe Deum. *Inſt.* At diſtinguitur à Jehova, dum dicitur *Angelus Iehova* & ipſe Angelus ſe à Jehova diſtinguit, verſ.16. dum inquit, *ſi parare vis holocauſtum, Iehovæ offeres illud.* *Reſpond.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid.* Diſtinguitur ſanè à Jehova, ſed à Jehova ὑπαρκτικῶς conſiderato, vel ὑποστατικῶς non verò à Jehova conſiderato οὐσιωδῶς. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, quaſi Angelus Jehovæ vocetur ratione *eſſentiæ*, & non *ratione officii.* 3. Peccatur *Elencho oppoſitorum.* Idem enim poteſt eſſe Jehova, & Angelus Jehovæ κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο diverſo reſpectu, at Jud.11.1. ille dicitur Angelus Jehovæ, qui tamen ſibi tribuit, quod populum Iſraelitarum eduxerit ex Ægypto, & quod pactum iniverit cum Patribus eorum. quod utique factum à Jehova. Sic qui Jud.6.11. vocatur Angelus Jehovæ, vocatur Jehova, verſ.14. & 23. utrumque itaque erat. *Inſt.* Nomen Jehovæ ipſi tribui ut legato. *Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, id enim probandum, non affirmandum duntaxat. 2. Id ipſum abſurdum, quum nunquam Legati legantium nomen ſibi vindicent, ſed ſemper ſe à legantibus diſtinguant; Prophetæ & Angeli creati à Deo, Apoſtoli à Chriſto, filius Dei, ut legatus Patris, à Deo Patre legante. Immò ne in politicis quidem exemplum dari poteſt contrarium. 4. Peccatur παρερμηνείᾳ verſus 16. Nec enim Angelus ille negat ibi, ſe eſſe Jehovam, vel ſe à Jehova diſtinguit, ut non Jehovam, vel ut Angelum creatum, ſed ſenſus eſt; vel hœdum parari ad cibum, vel ad holocauſtum à Manoa, ſi ad cibum, ſe eo opus non habere, ſi ad holocauſtum, illud non ſibi ut Angelo creato, qualem primò opinabatur Manoah eſſe illum qui ſibi apparuerat, ſed ut Jehovæ offerendum eſſe. *Inſt.* Jehovam non poſſe videri, non aſcendere, qualia prædicata adſcribuntur iſti Angelo. *Reſp. Peccari Elencho à dicto ſecundùm quid.* Jehovam non poſſe videri κατ᾽ οὐσίαν datur, κατ᾽ οἰκονομίαν, negatur, non poſſe videri καθ᾽ ὑπόστασιν, datur κατ᾽ ἔμφασιν verò vel συμβολικῶς, vel in carne aſſumpta, negatur. Eadem ratio aſcenſus. *Inſt.* Saltem in eo fuit cultus arbitrarius, immò præcepto contrarius, quod in certo dũtaxat loco fuerit ſacrificium offerendũ, quem elegerat Dominus, Deut.12.13. Et tamen Manoa hic extra

locum

locum illum ſacrificium offert. *Reſp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci Deut.22.13. is enim intelligendus de *ſacrificiis ordinariis*, non *extraordinariis.* Aliàs & ab Elia peccatum, ſacrificium alibi offerente in monte Carmelo vicino Samariæ, 1.Reg.18.19. &c. Id etiam intelligendum de loco ſtato, poſtquam Deus templum ſibi & ſedem arcæ ſuæ extrui juſsit, non ante, ut patet ex 2.Sam.24.25. ubi David ædificat altare in area Araniæ Jebuſæi. 2. Retorquetur κατὰ τὸ εἶναι, in omni enim loco, in quo Deus ſe exhibet ſingulari patefactione ſui, illum eligit ſibi ad cultum, & in eo vult coli, dum ſe patefacit, & ſui copiam facit.

IX. 5. Ad exceptionem à *votis ſpontaneis* ductam. *Reſp.* 1. Peccari *Elencho parium,* & παρὰ τὸ ἑπόμενον, quia illa ipſa vota ſpontanea Deus ſibi eſſe grata teſtatur: ſacrificia verò pro mortuis oblata non item. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, nec enim vota ſpontanea *ſimpliciter* arbitraria erant, ſed ſecundùm quid tantùm; Etſi enim talia eſſent *ex parte principii* quoad voluntatem ea nuncupantium, quatenus licebat ea nuncupare, vel non nuncupare, non tamen arbitraria erant, nec *ex parte objecti,* nec *ex parte modi*, quia debebant & Deo nuncupari, & certo modo, nec enim vel quidvis vel quovis modo licebat Deo vovere, ſacrificia verò pro mortuis nec præcepta erant, nec licita, vel Deo grata, nec *quoad rem*, nec quoad *modum rei.*

X. 6. Ad exceptionem à *diviſione Sacerdotum* in certas ἐφημερίας. *Reſpond.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi.* Nec enim diviſio illa *per ſe* fuit cultus Dei, ſed εὐταξία tantùm ad cultum convenientem Dei obeundum accommoda. 2. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim quod à Davide Propheta Dei inſpirato à Spiritu Sancto inſtitutum, non à Deo præceptum cenſeri debet. Alia verò ratio facti Judæ, de quo quæſtio eſt. 3. Peccatur *Elencho parium.* Nec enim factum Davidis incurrit in Dei verbum, quod tamen facit ſacrificium iſtud Judæ, quippe quod viventium duntaxat bono deſtinat ſacrificia, non mortuorum.

XI. 7. Ad exceptionem ab *inſtituto Rechabitarum*, Ier.35. *Reſp.* 1. Peccari denuò *ignoratione Elenchi,* quia ſupponitur πολιτείαν illorum fuiſſe *per ſe* cultum Dei, vel actum *religionis,* qui *pars* ejus fuerit, quod falſum. Cauſæ enim inſtituti illius fuêre *ethicæ* potiſsimùm & *ſymbolicæ*, tum ut ad ſobrietatem ſe aſſuefacerent, tum ut ſe ex poſteritate Jethronis velut peregrinos eſſe meminiſſent, tum ut ſe præpararent ad calamitates graves incubituras genti Judaicæ, nec graviter ferrent privatam ſortem ſuam in publica gentis ſuæ calamitate. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, & *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid.* Quamvis enim non præceptum fuerit inſtitutum illud κατ' εἶδος, *quoad ſpeciem facti*, præceptum tamen fuit κατὰ γένος, *quoad genus*, quatenus præceptum fuit obſequium parentibus piis deferendum, *reductivè* itaque pertinet ad præceptum quintum. 3. Peccatur *Elencho parium*, conſtat enim, parentibus licuiſſe in Veteri Teſtamento Nazarenus voto obſtringere liberos, ut patet ex praxi parentum Samſonis & Samuelis. Notum enim, duplicem fuiſſe Nazareatum, *legalem*, & *votivum*, ſive ex proprio, ſive ex parentum voto ſuſceptum. Sacrificium verò pro

KK 2

mortuis licitum fuisse, vel præcepto alicui conforme, doceri nequit.

XII. 8. Ad exceptionem *à cultu Annæ*, Luc.II. *Resp.* 1. *Peccari Elencho parium*, & *παρὰ τὸ ἐπιδεῖξιν*. Alia enim ratio devotionis licitæ, & Deo gratæ, alia illicitæ, & ingratæ Deo. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Etsi enim non præcepta erat ista devotio *καθ' ἑαυτά*, præcepta tamen fuit *γενικῶς*. Et hic distinguendum *τὸ ὄν* & *τὸ πῶς*, *τὸ ὄν* præceptum fuit, jejunia, deprecationes, & comparatio in domo Dei, quamvis *τὸ πῶς* non item, continua nimirum mora in sanctis illis exercitiis. Quia verò non nimius cultus Deo offerri, nec hic in excessu peccari potest, sed maximus & intensissimus Deo cultus debetur, nihil hic extra præceptum præstitum fuit ab Anna. Sacrificia verò pro mortuis offerre, nec ad cultum Dei pertinebat, nec inter actus religiosos referri poterat.

XIII. Ad 5. Ad locum Rom.14.23. *Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, per *concessionem*: Id omne peccatum esse, quod fit contra conscientiam, sed bonam, & ex Dei verbo instructam, adeoque *κατὰ τὸ βίαιον*. sacrificium pro mortuis offerre peccatum est, quia offertur contra conscientiam ex Dei Lege aliter institutam, quippe quæ ex ea novit mortuos esse in statu immutabili, nec sacrificia pro illis esse offerenda, nec ea Deo grata esse. Et *Bellarminus* ipse fatetur, fidem hoc loco esse, quâ credimus esse aliquid licitum, & sensum hujus loci esse, peccatum esse, quidquid fit reclamante conscientiâ. Et sanè quum Apostolus loquatur isto capite de usu ciborum mundorum vel immundorum, docet eum, qui vescitur cibo aliquo, quem tamen credit esse immundum, peccare, quia facit contra id quod credit esse faciendum, quum tamen unusquisque in animo suo certò persuasus esse debeat, id quod vel committit vel omittit, gratum esse Deo. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*. Si enim in rebus *adiaphoris*, & earum usu persuasa debet esse conscientia, an aliquid Deo gratum sit, vel non, multo magis debet esse persuasa in actu aliquo religioso obeundo, qualis erat oblatio sacrificii pro mortuis.

XIV. Ad 6. *Exc.* Ad locum Coloss.2.22.23. *Resp.* 1. Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*, & Peccari *παρερμηνείᾳ* illius loci, *ἐθελοθρησκείαν* significare, vel *simulatam Religionem*, vel *pium cultum sponte susceptum*. *Illud* significare nequit, tum quia nec simplices voces, ex quibus componitur nomen Græcum, nec ipsum compositum id patiuntur, tum quia *ἐθελοθρησκεία* ibi conjungitur cum *ταπεινοφροσύνῃ* adeoque cum interno motu se coram Deo abjiciendi, & verum ei cultum præstandi, qui motus non cadit in hypocritam & histrionem simulantem duntaxat religionem. Nec *istud* significare potest, quia *pius* cultus esse nequit, qui sponte suscipitur. Pius enim cultus præexigit animum pium, talis verò non extra Dei verbum vel contra illud sibi fingit cultum arbitrarium, sed talem Deo reddere satagit, qualem præscripsit Deus, & qualem se gratum habere testatur in verbo suo. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*, si Paulus ibi agit de actionibus quæ nec à Deo probatæ sunt, nec commendatæ; Ergo agit de iis quæ non sunt à Domino præceptæ, adeoque implicatur *contradictio in adjecto*, & statuitur *oppositum in opposito*. Idem enim affirmatur & negatur. 3. *Κατὰ τὸ βίαιον*, si ea hic perstringuntur, quæ nec ex na-

ex natura sua sunt materia cultus Divini, & sunt res inanes, & tamen censentur esse cultus Dei. Ergo hic etiam perstringuntur sacrificia pro mortuis quippe quæ nec ex natura sua sunt materia cultus divini,& sunt res inanes. 4. Κατὰ τὸ βίαιον, si lotiones Judaicæ vel Turcicæ hic perstringantur, quæ præter Dei verbum solebant adhiberi, magis sacrificia pro mortuis,quæ contra Dei verbum adhibentur. 5. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, tantùm talia hic prohiberi. Immò quivis actus pro cultu Dei habitus,qui pro tali haberi,nec debet,nec potest, ἐθελοθρησκεία vel ut *Epiphanius* eleganter loquitur in *Hæresi* Pharisæorum, ἐθελοπερισσοθρησκεία est, & peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἰσχυρόν. Si lotiones Judaicæ & Turcicæ hic perstringantur: Ergo non perstringi alios, & quidem graviores errores, qualis est oblatio sacrificii pro mortuis. Immò minus longè peccatum est, peccare circa lotiones id genus. Lotiones enim illæ imperatæ erant certis temporibus Judæis, & actiones erant partim *præparatoriæ* ad cultum Dei, partim *symbolicæ*, sacrificia pro mortuis non item. 6. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Apostolum ibi loqui de iis, qui se abstinebant à cibis quibusdam, ut natura sua immundis, immò disertè Apostolus eos perstringit, qui id faciebant ἐν ἀφειδίᾳ σώματος, ne viderentur parcere corpori. Directè itaque Apostolus hic perstringit non *Marcionitas*, vel *Encratitas*, vel *Manichæos*, qui cibos per se immundos statuebant, sed potiùs illos qui id faciunt eo prætextu, ut sic fomenta subtrahant cupiditatib.carnis,quod præ se ferunt *Pontificii*. 7. Peccatur etiam *Elencho oppositorum*, si illi perstringuntur, qui cibos natura sua immundos judicabant. Ergo non illi, qui aliis de causis ex arbitraria devotione ab illis abstinent. 8. Adde, si Apostolus loquatur de iis qui in eo religionem constituebant, si certos cibos nunquam attingerent: Ergo damnantur *Carthusiani* & alii id genus *Mandritæ*, qui votum faciunt, se certos cibos nunquam attingere velle, & in eo religionem constituunt hodieque. Vnde hoc ipsum contra *Pontificios* loco isto abutentes retorqueri potest κατὰ τὸ βίαιον.

XV. Ad 7. *Exc.* Ad loca Deut.4.1.2. & 12.32. *Resp.* 1. Per συγχώρησιν verba illa non esse *absolutè* intelligenda, respectu eorum, quæ addita sunt à Domino, neque enim ibi Dominus sibi legem figit, sed populo, *Ne addite, neque detrahite*; *Ne addito ei, nec detrahito ex eo.* 2. Per ἄρνησιν, verba illa non esse intelligenda *absolutè* respectu populi, ab eo nihil addendum esse præceptis à Domino. 3. Peccatur ἑτεροζητήσει, nec enim quæstio est de *additione librorum*, sed de *additione dogmatum*, eadem enim dogmata pluribus libris & inculcari possunt, & confirmari. Nec de additione *divina* sermo, sed de *humana*, istam Moses proscriptum it, non illam. 4. Peccatur *Elencho oppositorum*, dum *præcepta verbi* contradistinguuntur *præceptis scripto*; ista verò non opponenda,sed componenda,nec enim alia intelligit vel חקים vel משפטים *statuta* vel *judicia*, quàm quæ scripta tum hic, tum alibi,ut patet & ex συμφωνίᾳ totius Capitis,& ex cap.5.sequenti, ubi Decalogum repetit & inculcat populo. 5. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ πῇ καὶ ἁπλῶς, agitur *indefinitè* de iis quæ Deus *præcepit*: E. præcepit alia *quoad substantiam*, præterquam scripta. At illa ipsa quæ præcepit, debebant à populo ipso scribi, magis ergo

à Mose: *Ligabis ea in signum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos, scribes quoque illa in postibus domus tuæ, & in portis tuis.* Deut.11.8.9. Et ideò præcepta Dei & scripta sunt à Mose & describenda erant populo, quia nec omnia memoria comprehendi poterant ex nuda Mosis recitatione, nec vel eadem vel eodem modo describi à numerosa gente, nisi prius scripto à Mose proposita fuissent. Adde τὸ [illegible] Hebræorum æquè ac τὸ παραδοθὲν, 1.Corinth..10.23. & τὸ παραγγέλλω, 1.Cor.7.10. de scriptis intelligi. 6. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, sacrificia pro mortuis fuisse inter ea, quæ Deus præcepit Mosi, & per Mosen populo. Id enim est τὸ ζητούμενον, & τὸ ἀμφισβητούμενον, quod gratis supponitur, non probatur. At sacrificiorum, minimorum etiam, & quarumvis circumstantiarum, quæ ad sacrificia pertinent, descriptio habetur prolixè in Lege, quid verò causæ, cur sola sacrificia pro mortuis fuerint prætermissa? Immò quum populus Judaicus externis ceremoniis hæserit anxiè, nec tamen ullibi alibi legatur sacrificium celebrasse pro mortuis, liquet, id genus sacrificiorum incognitum fuisse Judæis. Adde, Judaicam gentem ne quidem inter παραδόσεις suas habuisse sacrificia ulla pro mortuis. Merum itaque commentum sunt sacrificia ista, & sequiorum seculorum δόγμα. Adde, Scripturam prolixè referre ea, quæ circa mortuos exequenda sunt officia unà cum praxi laudata: Nec tamen ullam ejusmodi sacrificii mentionem fieri istis in locis. Immò sacrificia ista contraria sunt iis quæ de mortuorum statu Lex & Prophetæ dixêre. Non potuêre itaque inter præcepta divina referri, nec enim verbum Dei incurrit in seipsum. 7. Peccatur παρερμηνείᾳ verborum Mosis, verum quidem, Mosen velle, in eo quod præcipiebat, nihil addendum esse vel minuendum, sed id integrè faciendum, falsum verò, id tantùm velle Mosen, vel præcipuè. Immò utrumque simul prohibet, & corruptelas illis ipsis præceptis illatas, & corruptelas omnium præceptorum. Immò κατὰ τὸ ῥητὸν, hoc ipsum retorqueri potest. Si enim nihil addendum erat, vel detrahendum singulis præceptis: Ergo nec omnibus, quum omnia nihil aliud sint quàm collectio singulorum, & additio minus necessaria sit ad totum Legis corpus quàm ad singula Legis præcepta. Adde, si de omnibus præceptis hoc intelligendum non sit, illis nihil *addi* debere; Ergo nec de omnibus intelligendum erit, quod dicitur, *ne detrahite, ne detrahito ex eo*: & sic licebit æquè *detrahere* præceptis illis, ac *addere* ad illa. Quum itaque nec singulis Legibus *distributivè*, nec omnibus *collectivè* aliquid detrahendum sit, utique nec singulis, nec omnibus aliquid addendum est. 8. Peccatur *falsa suppositione*, additionem illam intelligi debere de Legibus & præceptis contrariis. Atqui illa duntaxat addi dicuntur, quę salva relinquunt quibus adduntur. Contraria verò evertunt ea quibus adduntur. Contraria itaque hîc non designantur, sed ea potius, quæ reliquis præceptis salvis videbantur posse superaddi. 9. Peccatur *Elencho parium*, allegatione festi *Adar* instituti, aliud enim, diem certam instituere singulari & miraculoso beneficio recolendo; aliud, novum genus cultus instituere. Illud in potestate Ecclesiæ est, istud non item. Illud ad εὐταξίαν pertinet, istud ad ἀταξίαν. Adde, hoc ipsum præceptum fuisse [illegible], dum populo toties incul-

inculcatur, ut memor sit beneficiorum Dei, & hinc liberationis ex Ægypto, legis datę, vitæ exactæ in tabernaculis, transitus per Iordanem, & aliorum id genus beneficiorum memoriam commendatam populo festorum dierum institutione. Ex quo *analogicè* id ipsum inferri poterat à Mardochæo. Præterquam quòd à Spiritu Dei eum actum fuisse constat ex toto libro. 10. Per συγχώρησιν, dato non concesso, de populo sermonem esse, non de summo Sacerdote vel de Rectoribus Ecclesiæ, eo ipso, quia populus ea tantùm jubetur observare, quæ à Deo per Mosen præcepta fuêre, prohibetur ea observare, quæ supra vel ultra ea præcipi poterant à Sacerdote summo, vel à Rectoribus Ecclesiæ. 11. Per ἄρνησιν, falsum, summum Sacerdotem, vel Rectores Ecclesiæ non constringi eodem præcepto, quum universus Israel eo constringatur, & ii contineantur in universo Israele. Adde Sacerdotes passim ad Legem adstringi in judiciis & functionibus suis, & in ipsa Lege, & Malach. 2.7.8.

XVI. Ad 8. *Exc.* Ad locum Apoc. 14.13. *Respond.* 1. Peti *n ὁ ἀρχῇ*, τὸ ἀπάρτι referendum esse ad sermonem Johanni dictum, *Spiritum à modo* id dicere: Repugnat enim & interpunctio, & ναὶ interjectum. 2 Per συγχώρησιν, dato, non concesso, τὸ ἀπάρτι referendum esse ad sequentia, & Spiritum *à modo* id dicere, an sequeretur, hoc non pertinere ad eos qui in Domino mortui fuêre in Testamento veteri? An quia dicitur Act. 17.30. τὸ νῦν *nunc* præcipere Deum omnibus resipiscentiam, sequitur, eam non præceptam fuisse in Testamento Veteri? sic τὸ ἄρτι Apocal. 12. 10. non ostendit tum demum potentiam & regnum Dei cepisse. Et sanè universalem esse hunc Aphorismum ex eo patet, quia absurdum est, aliquem mori in Domino, & non esse felicem. Adde, sacrilegos istos, pro quibus sacrificium oblatum legitur in libro Maccabæorum, haudquaquam in Domino mortuos fuisse, sed in scelere suo. 3. Per ἄρνησιν, τὸ ἀπάρτι referendum esse ad extremum judicium, ut beati tum demum intelligantur, qui moriuntur in Domino, nimirum à fine hujus judicii. Atqui sic hiulca foret locutio Spiritus S. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, in fine judicii etiam dicit Spiritus, quiescent à laboribus suis,* &c. quæ ἀσυνάρτητα. Adde, id ἰσχύειν esse nec opus habere testificatione singulari & patheticâ Spiritus Dei, qualis hic occurrit. Planum etiam, consolationem ibi proponi pro fidelibus æstui persecutionem obnoxiis, non debere illos mortem reformidare pro Domino, inde enim aditum ipsis aperiri ad requiem Domini, in quam statim ingrediantur per mortem. Istam verò requiem non differri ad ultimum judicium, patet ex ipso textu. Nec enim beati dicuntur οἱ ἀποθανόντες, *qui mortui fuerunt*, sed οἱ ἀποθνήσκοντες, qui *moriuntur*. Falsum verò, tales esse μακαρίους, nisi statim post mortem in requiem Dei transferantur. Adde, ut statim *opera* eorum, h.e. merces & fructus operum, per μετωνυμίαν, sequuntur eos, sic semper etiam requiescent à laboribus suis. *Si queratur*, cur τὸ ἀπάρτι adhibeat Spiritus Sancti ratio apposita satis reddi potest, vocem istam ἀντιθετικῶς esse ad tempora antecedentia mortem fidelium, ubi carnificinæ & persecutioni erant obnoxii, præjudiciis etiam & condemnationi seculi, in quo habebantur velut καθάρματα, & victimæ piaculares,

docet itaque Spiritus ſanctus, aliam eorum fore rationem, ubi mortui fuerint in Domino. Poſſet id ipſum etiam referri ad tempora inſtaurati Euangelii, & repurgatæ Eccleſiæ, ab eo tempore paſſim morientes in Domino beatos judicandos, ut non amplius obnoxios commentitio igni Purgatorio. 4. Supponitur etiam, non probatur, toto iſto capite ſermonem eſſe de extremo judicio, atqui à verſ. 14. demum ὑποτύπωσις extremi judicii ſubjicitur. Immò ſermo v. 12. de tempore, ubi locus patientiæ ſanctorum, eorumque fidei, adeoque de tempore antecedente judicium. 5. Falſum quin etiam, reſtringi verba iſta ad Martyres, certum, illa ad eos etiam pertinere, & Spiritum Sanctum iis ſolari Martyres, falſum verò ea reſtringi ad Martyres. Sermo enim *indefinitè* de morientibus *in Domino*, at multi in Domino moriuntur præter Martyres. Qui enim non in Domino moriuntur, in peccatis ſuis moriuntur, qui verò tales, ii miſeri ſunt & maledicti. 6. Peccatur *ambiguitate phraſeos*, aliud enim eſt, *ſimpliciter*, & *abſolutè* mori *in Domino*, hoc eſt, in vera duntaxat fide, & in vocatione Domini, ut 1. Cor. 15. 18. 1. Theſſ. 4. 16. aliud, *propter Dominum*, & cauſam illius. Prius commune fidelibus omnibus, poſterius peculiare eſt Martyribus. 7. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid. Perfecti* poſſunt vocari Martyres, *ſecundùm quid*, non *ſimpliciter*, non quaſi omnimoda *perfectione* præditi fuerint, ſive *legali*, ſive *Euangelica*, ſed quia συγκριτικῶς & *comparatè* majora dona Spiritus obtinuêre, & hoc ſenſu τέλειοι vocari poſſunt reſpectu τῶν ἄλλων. 8. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, aliquid in Dei filiis poſt hanc vitam purgandum reſtare, & in iis reperiri debitum aliquod pœnæ temporalis. Quæ ſuppoſitiones, mera commenta humana ſunt, & πρῶτον ψεῦδος. 9. Supponitur quin etiam falſum, aliquem *partim* in Domino mori *partim* non. Immò qui in *Domino* moriuntur, *planè* in *Domino* moriuntur, quia quicquid imperfectionis eſt, & condonatur, & purgatur in morte, tantùm abeſt, ut peccatum ſecum ferant. Qui enim id ſecum ferunt, maledictioni æternæ ſubjacebunt. 10. Per ἐν ἰσχυρόν, datur, de iis tantùm loqui Iohannem, qui *ſancti* fuêre, & *cuſtodiunt mandata Dei*, & *fidem Ieſu*. At omnes qui in Domino moriuntur, tales ſunt; Peccatur verò *Elencho ὁμωνυμίας*, aliud enim eſt, præditum eſſe ſanctitate *legali*, aliud, ſanctitate *Euangelica*, aliud, cuſtodire mandata Dei κατὰ τὸ ἀνεπίδεκτον τῷ νόμῳ, aliud καὶ ἐπιεικῶς in Evangelio manifeſtatam, ubi non præſtitum condonatur, quod iis obtingit, qui habent *fidem Ieſu*.

XVII. Ad *9. Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, juſtificatos fide pacem non retinere, atqui tales *ſtare* docet Paulus ibidem, & *gloriari ſub ſpe gloriæ Dei*, & addit, *ſpem iſtam non pudefacere*. Immò niſi juſtificati fide pacem retinerent, ſequeretur falſum eſſe, Euangelicum eſſe *potentiam ad ſalutem omni credenti*, & *omnem credentem ſervandum*. Immò quia dona Dei ἀμεταμέλητα, & quia, ubi incipit Deus bonum opus, ibi id perficit, & quia non ἀρχηγὸς duntaxat eſt fidei noſtræ, ſed etiam ejuſdem τελειωτής, ergo omnes juſtificati fide pacem illam retinent. Et falſus foret alioquin aphoriſmus Apoſtoli, *Quos juſtificavit, hos etiam glorificavit*. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, legendum eſſe, *pacem habeamus*. Vitium id Vulgati Interpretis eſt, non lectio

tex-

textus authentici, in quo non ῥητῶς reperitur εὐκτικῶς vel προστακτικῶς sed ῥητῶς, καταφατικῶς & *assertivè*. Idem docet ἀκολουθία verborum sequentium, quib. consolatio istam justificationem consequens exponitur. 3. ἐξαγόμενον est, justificatos fide retinere pacem illam, in quantum manent perseverantes in justitia, falsum verò, tales non manere perseuerantes in justitia, quum & *causa interna* istius perseuerantiæ certæ sint, unio nimirum cum Christo, & vita spiritualis inde fluens, & *causa externa*, decretum Patris, redemptio & intercessio Filii, & custodia Spiritus Sancti.

XVIII. Ad 10. *Exc.* Ad locum Luc. 16. *Resp.* 1, Per συγχώρησιν, parabolam proponi Luc. 16. sed διδακτικὴν & νουθετικὴν, in qua ὑποτύπωσις proponitur egregia status post hanc vitam, quamvis non omnia debeant ἐξονυχίζεσθαι, sed illa duntaxat, quæ & *subjectis* conveniunt, & *scopo*, & *analogiæ* S. Scripturę, quale est *prædicatum* illud de gemino hominum post hanc vitam statu. Multa ibi cæteroquin *symbolica* reperiri, obvium est. 2. Peccatur *falsa suppositione*, à damnatorum *praxi* documenta officii nostri nobis haurienda esse. Passiones illorum sunt παιδευτικαί, actiones non item, alioquin Lazari ex mortuis expectandi, qui sint præcones pœnitentiæ. 3. Adde, peccari παρερμηνεία illius loci. Nec enim scopus Christi est, ostendere, damnatos solicitos esse pro salute viventium, sed hic duntaxat, tantùm esse horrorem Gehennæ, ut contremiscant etiam damnati, si eos, quos amarunt hac in vita, cogitent participes futuros tam atrocium cruciatuum. 4. Peccatur *Elencho partium*, & *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. An enim sequitur, si pro viventibus cura sit adhibenda: Ergo eam etiam adhibendam esse circa mortuos. Si illa etiam vtilis esse possit, istam quoque talem esse posse. Et quæ sequela à damnato solicito pro fratribus viventibus, ad fratres viventes, ut illi rationem habeant mortuorum. Si quicquam inde inferri posset, sequeretur, viventes etiam solicitos esse debere pro damnatis. At falsum fundamentum, mortuos adhuc esse *in via*, & in *statu mutabili*.

XIX. Ad 11. *Exc. Resp.* Nulla sophistica factum istud Judæ vel excusari posse, vel applicari juvandæ superstitioni, quin constet Auctorem & circa *jus* impegisse, & circa *factum*, utrumque supra demonstratum. *Exceptiones* oppositæ nullo negotio confutari possunt. Peccatur enim 1. *Petitione* τὸ ἐν ἀρχῇ in *thesi*, dari *peccatum* aliquod *veniale*, quod asseri nequit sine *contradictione in adjecto*. Nec enim quod *veniale* est *ex natura sua*, peccatum dici debet, nec summum bonum venialiter offendi potest, nec sive ex *parte causæ*, sive *ex parte objecti* tale datur, nec id veniale dici potest ratione *pœnæ æternæ*, quippe quam non meretur, nec ratione *pœnæ temporalis*, quippe quam declinare nequit, ex sententia Authorum suorum. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ in *hypothesi*, crimen istud, de quo agitur, censeri posse veniale, quum milites, qui ejus rei peraguntur, & pro quibus sacrificium illud obtulisse censetur Iudas, in gravissimo & verè mortali peccato exspirasse legâtur, tale enim non esse non potest, rerum idolis consecratarum appropriatio, quæ anathemati obnoxiæ, ut patet ex Deut. 7. 27. & Jos. 7. 14. Adde Epitomistam fateri, ab ejusmodi ἀναθέματι lege prohiberi Judæos, v. 40. 3. Peccatur vel *falsa suppositione*, hoc peccatum ex ignorantia legis vel prohibitionis

ortum fuisse, vel *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, id potuisse fieri ex ignorantia prohibitionis: Ergo ex ea ortum fuisse. Immò vix probabile, ex ignorantia hic peccasse Judæos milites patriis legibus innutritos. 4. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, veniale esse, quod ex ignorantia proficiscitur, alia enim *juris*, alia *facti*, alia *privativa, negativa* alia, prior haudquaquam excusat, qualis erat ignorantia istorum militum, illi enim ex officio tenebantur nosse legem illam. 5. Κατὰ τὸ βίαιον, si ex *cupiditate ditescendi* hoc peccatum admissum à militibus illis, & inde orta fuit rerum pretiosarum subtractio, revera grave fuit & mortale, nec ibi locus vel *subreptioni*, vel *parvitati materiæ*, illa enim cupiditas, radix est gravium scelerum, ut docet disertè Paulus 1. ad Tim. 6. 9. 6. Immò κατὰ τὸ βίαιον, hoc ipsum peccatum non veniale fuisse vel leve, ex eo patet, quod ipse Judas veritus fuerit, ne ob id Dei ira in totum exercitum concitaretur, præterquam quod Deus morte violentâ hoc scelus in illis ipsis militibus ultus fuerit. Et gratis supponitur dolor de peccato illo admisso, non probatur. Adde, Judæ dolorem istum hauquaquam potuisse esse compertum. Imò contrarium illi compertum erat, eò quod donaria illa nec abjecerint à se ante mortem, nec ea sibi exosa esse ullâ ratione testati fuerint, quin potius ea sub tunicis post mortem illorum adhuc reperta fuisse, ostendit, nihil tale ab illis cogitatum. 8. Supponitur ibidem remissio peccati *quoad culpam*, non remissâ *pœnâ*, quod est inter paradoxa Ecclesiæ Romanæ, quum pœna σχέσιν dicat ad culpam, nec illi locus sit, ubi isti locus non est. 9. Locus ex Ps. 77. qui 78. 34. ἀπροσδιόνυσος est. Nec enim vel sermo ibi de occisis, sed de cæsis & castigatis, quibus παθήματα fuere μαθήματα, vel simile quid de militibus istis scripto consignatum est. Peccatur itaque *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Israelitæ cæsi converterunt se ad Dominum. Ergo & milites isti: Argumentatio ista *à particulari ad particulare* ἀσυλλόγιστος. 10. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Judam debuisse vel potuisse æstimare, reos anathematis & participationis idololatricorum donariorum *obdormivisse cum pietate*, & *optimam habere repositam gratiam*. Et eo ipso vel Judæ pietati & prudentiæ, vel Scriptoris istius judicio multum derogatur. Immò κατὰ τὸ βίαιον hoc ipsum retorqueri potest, si enim Iuda existimavit, eos, *qui cum pietate obdormiverant, optimam habere repositam gratiam*, cui bono pro *superlativi* istius boni possessoribus vel preces oblatas vult, vel sacrificia? An hoc etiam *obdormire* est, & *optimam habere repositam gratiam* atrocibus Purgatorii ignibus ad multos annos ustulari? 11. Κατὰ τὸ βίαιον, eo ipso quia incertus erat status istorum hominum, illi judicio Dei erant relinquendi, nec cultus occupandus, qui & sine fide erat, & sine institutione divinâ. 12. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, vel pro mortuis licuisse orare in *thesi*, vel in *hypothesi* pro sceleratis in gravi flagitio oppressis. Nec orationibus istis patrocinatur praxis Veterum, quippe quæ *factum* docet, non *jus*, nec à superstitione excusari potest, nisi ubi oratio ista merè *eucharistica* fuit, tum pro donis gratiæ concessis olim sanctis *viatoribus*, tum pro donis gloriæ collatis sanctis *comprehensoribus*, vel merè *declaratoria* sive charitatis viventium, sive desiderii beatæ cum sanctis conjunctionis, sive professionis fidei tum de immortalitate anima-

animarum, tum de futura resurrectione. 12. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, charitatem semper inclinare in partem mitiorem, verum, eam id facere ubi illi judicio locus ullus est, falsum verò, eam vel semper, vel circa omnia, vel in omnibus id facere, nec enim charitas stolida est aut impia, vel Dei verbo, & voluntati ejus contraria, sic etiam *omnia credit* & *sperat*, sed *credenda* & *speranda*. 1.Cor.12.7.

XX. Ad 12. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, utrumque istum finem potuisse conjunctim à Juda spectari, secundùm Legem Dei. Primus quidem finis conformis erat Legi, posterior verò non item. Nec enim mortuorum commodis vel consuli potest à viventibus, vel deberet, si id licitum foret, mediis à Deo prohibitis. Τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτα. *Impietatis* characterem hoc in libro exstantem reservamus Disputatione sequenti.

DISPVTATIO DECIMATERTIA

Κατασκευαστική,

DE

AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.

DEMONSTRATVM Disputatione superiore inter nævos multos alios, quibus secundus Maccabæorum liber scatet, unum *superstitionis* characterem nulla arte, nulla spongia delendum exstare, c.12.43. Alterum *impietatis* in eodem libro deprehendi dictum quidem, haudquaquam verò adhuc demonstratum, quod nobis hac Disputatione occupandum.

II. Constat 2.Maccab.14.37. Razin quendam, partim à *dignitate* commendari, quod è Seniorum Hierosolymitânorum Collegio fuerit, partim à *virtute* ac *fama*, necut αὐτόχειρα solùm introduci, verùm etiam eius αὐτοχειρίαν apertè ab Auctore libri laudari, & quidem sæpius tentatam, ferro primùm, post præcipitio, & tandem visceribus evulsis, & in turbam conjectis.

III. Αὐτοχειρίαν verò vel αὐτοφονίαν, qua quis sibi ipsi necem vel consciscit vel consciscere conatur, scelus esse non virtutem, nec facinus commendatione, sed insectatione justissima dignissimum demonstratum dabimus. 1. Argumentis *inartificialibus* testimonii. 2. *Artificialibus* rationis, idque partim in *thesi*, partim in *hypothesi*.

IV. *Argumenta inartificialia* sunt. 1. *Ab interdicto divino*, præcepto sexto proposito: *Non occides*, Exod.20:13: quo αὐτοφονίαν æquè ac ἑτεροφονίαν æquè scelus in se exercitum ac in alium prohiberi, *Augustinus* egregiè ex eo

probat, quod nulla addatur ibi restrictio, qualis legitur præcepto nono, *Non dices falsum testimonium contra proximum tuum*, lib.1. de Civit. Dei c.20. Sic idem cap.17. inquit. *Profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est.* Vnde & in genere testatur Deus se sanguinem fusum requisiturum de manu hominis, Gen.9.5. 2. *A compendio secundæ tabulæ*, quod proponit Servator, Matt. 22.39. *Diliges proximum tuum ut teipsum.* Quod malum itaque proximo inferri non debet, id nec nobis à nobis ipsis inferendum est. Sed homo sibi ipsi amorem debet, immò venerationem quandam ob eam, quam gerit, Dei imaginem, quæ tamen nec in φιλαυτίαν vel αὐθάδειαν degenerare debet, nec sine restrictione, mensura & subordinatione exerceri. 3. *A verbis Apostoli*, Ephes. 5.29. *Nullus unquam suam ipsius carnem odio habuit, immo enutrit ac fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam*, quem naturæ vel instinctum vel legem non improbat Apostolus, sed potius argumentum ei superstruit, *Debent* (inquit) *viri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora.* 4. *A verbis Domini*, Matth. 4.7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentatione verò Dei in genere prohibita, omnes ejus species prohibitas esse censendum est, adeoq; & illam, qua homo vim sibi ipsi inferendo, & in seipsum grassando patientiam Dei tentat. 5. Accedunt argumentis illis *apodicticis topica* ab autoritate *Hieronymi*, Epist.25. ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ, ubi Deus loquens introducitur: *Nullam animam recipio, quæ me nolente separatur à corpore. Tales stulta Philosophia habeat Martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum vel Catonem.* Adde August. lib.1. de Civ. Dei cap.20. qui in rabiem istam gravissimè invehitur, ubi docet, *nullam esse authoritatem, quæ Christianis in qualibet causa jus voluntariæ necis attribuat.* · Idem docet cap.26. *Neminem spontaneam mortem sibi inferre debere velut fugienda molestias temporales, ne incidat in perpetuas, neminem propter aliena peccata, nec hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum, neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari, neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, quia reos suæ mortis post mortem vita non suscipit.* Sic Chrysostom. in cap.1. ad Galat. docet, *Deum eos qui violentam mortem sibi consciscunt plus punire quàm ἀνδροφόνους*: & addit, *eum omnes tales βδελύττεσθαι, & horrere, & meritò quidem.* Εἰ γὰρ ἑτέρους ἀναιρεῖν οὐ καλὸν, πολλῷ μᾶλλον ἑαυτόν. Adde suffragia sapientiorum inter Ethnicos Græcos simul & Romanos. E Græcis *Pythagoras* vetuit injussu Imperatoris, h.e. Dei de præsidio & statione vitæ discedere, *Cicerone* id referente libro de Senectute. Idem *Platoni* placuit, sapientem corpus non relinquere debere invito Deo, nec debere eum accersere mortem. Nec licere occidere alienum servum, de quo argumento agit in Phædone. Sic *Aristoteles* αὐτοχειρίας ob paupertatem, amorem vel molestias hujus vitæ notat esse mollitiem οὐκ ἀνδρείας, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ, Eth. ad Nicom. libr. 3. cap.7. E Romanis *Cicero* hanc hominis in seipsum sævitiem disertè damnat Libris de Senectute & in Somnio Scipionis. Et *Virgilius mœstis* illis, *qui sibi lethum. Insontes peperêre manu lucemq; perosi, Projecêre animas*, locum in inferno assignat remotum à beatis. Et *Seneca* ipse Epist. LXX. fateri cogitur, *sapientem non debere commodare*

moderare pœnæ suæ manum, stultitiam esse timore mortis mori. Veniat, addit, *qui occidat, exspecta, quid occupas alienum negotium.* Sic *Quintil.* Declam. CCCXLIV. optimè docet, neminem Spiritum ratione deposuisse, quamvis restrictionem addat evertentem ipsam propositionem. Et *Vlpianus* ad legem Aquiliam, qua vindicatur damnum non jure rebus alienis illatam ff. lib. 9. Tit. 11. §. 3. notat *Dominum membrorum suorum neminem videri*, minus ergo vitæ. Sic ff. lib. XLVIII. Titulo XXI. de bonis eorum qui ante sententiam vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt §. 3. Qui rei postulati, vel qui in scelere deprehēsi metu criminis imminentis mortem sibi constituerunt, hæredem non habent. Limitationes adjectæ vel *Papiniani vel Antinoni vel Hadriani*, vel aliorum quamvis mitius habeant illos, qui tædio vitæ, vel impatientia doloris alicujus, vel alio modo vitam finiêre, eos â pœna quidem civili & externa coram hominibus absolvere possunt, à demerito verò & reatu coram Deo non item. Merito etiam Lemniæ Virgines, ut notat *Plutarchus*, in se ipsas grassantes unco suspensæ nudæ cum ignominia per compita traductæ fuêre, ut sisteretur ista rabies.

V. Accedunt *argumenta artificialia*. 1. Αὐτοχειρία est actus *contrarius pietati* hominis, qui vitam agnoscere debet, ut donum Dei, mortem ut hostem, 1.Cor.15.26. Sic productio vitæ inter præmia obedientiæ, decurtatio verò inter pœnas inobedientiæ refertur, Exod. 20. 12. Psalm. 55. 21. Abrumpere ergo ultro vitam, est eam non pro dono, sed pro pœna habere, nec animam Deo reddere, sed impingere, adeoque fastidire Dei donum, haudquaquam verò pro eo gratias agere. 2. Est actus contrarius *patientiæ & fiduciæ hominis* Deum timentis, qui mala omnia sibi vel immissa vel impendentia, ut à Deo excipere debet, & à causis secundis ad primam, à vitio hominum ad Dei providentiam assurgere, & nosse, ut omnia à Deo, sic omnia suo bono, si officium faciat sibi immitti. 3. Est actus *contrarius legi naturæ*, quæ unumquemque ad sui conservationem obligat, immò non animatis tantùm sui conservandi desiderium, sed & inanimatis aliquem ejus characterem impressit. 4. Est actus *contrarius sapientiæ*, & furoris indicium, non rationis, nec se ipsum occidere est consilium sequi, sed impetum & rabiem, & repentinam indignationem, quod ne *Seneca* quidem negare potuit. 5. Est actus *contrarius justitiæ*, quia homo, non suæ vitæ magis Dominus est quàm alienæ. Servus est, herum habet, miles est, Imperatorem habet, in statione collocatus est, λιποτάκτης esse non debet, nec suo arbitrio subduci, sed alieno solvi. Retinendus ergo animus in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo datus, ejiciendus. Quod ab ipso *Epicteto* optimè notatum, qui jubet homines ἐκδέχεσθαι τὸν θεὸν, donec signum det, & solvat nos hoc ministerio. 6. Est actus *contrarius fortitudini*, oritur enim vel ex impatientia mali immissi, vel ex formidine immittendi, sive ut illud amoliatur αὐτόχειρ, sive ut isti prævertat, quod docet etiam *Aristoteles* lib. III. ad Eudem. Et *Augustinus* lib. I. de Civit. Dei capite XXI. negat αὐτοχειρίαν ad animi magnitudinem pertinere, & majorem animum meritò dicendum esse, qui vitam ærumnosam magis potest.

ferre, quàm fugere. 7. Est actus *contrarius honestati*: Hominem esse sui tortorem & carnificem suum, & in seipsum sæuire: quod ne bruta quidem faciunt, quæ infra hominem Deus dejecit. 8. Est actus *contrarius bonis legibus*, per quas non licet Civem tollere è Republica, nec dicta, nec probata causa, & sibi jus Magistratus vindicare sine autoritate. 9. Est actus *contrarius bonis moribus*, αὐτόχειρες enim exemplo peccant, & furorem docent ac rabiem. 10. Addi potest *Augustini* argumentum libr. 1. de Civit. Dei cap. xx. nec in Canonicis libris id præceptum reperiri, neque permissum, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali causa nobismet ipsis necem inferamus. 11. Accedit *ratio generalis*, nunquam facienda esse mala, ut eveniant bona, Rom. 3.8. Ergo nec αὐτοχειρία affectanda, siue ne malè nobis sit, sive ut nobis sit melius. Et *Augustinus* egregiè docet cap. xxv. lib. 1. de Ciuit. Dei, peccatum per peccatum non debere declinari. 12. Adde principia αὐτοχειρίας esse pessima, sive ἠθικῶς, ambitionem ac ostentationem, impatientiam, desperationem, impulsum Satanæ: sive ἀτυχήματα, ut atræ bilis exuberantiam aut intemperiem, delirium, phrenesin & alia id genus. 13. Scelestis etiam αὐτοχειρίαν Scriptura tribuit, Achitopheli, Judæ, quem sic *scelerata traditionis auxisse potiùs, quàm expiasse commissum*, docet *Augustinus* lib. 1. de Civit. Dei cap. 17. Idem *Pilato* contigisse refert *Eusebius* historiar. Ecclesiasticarum libro II. cap. 7. in tantas enim eum calamitates incidisse, ὡς ἐξ ἀνάγκης φονευτὴν ἑαυτοῦ ἢ τιμωρὸν αὐτόχειρα γενέσθαι τῆς θείας ὡς ἔοικε δίκης οὐκ εἰς μακρὸν αὐτὸν μεθελθούσης. Quod itaque judicij diuini singularis nota est, ab homine ultrò affectandum non est, nec pro virtute habendum. 14. Adde tales ex ipsius Romanæ Ecclesiæ sententia in peccato mortali exspirare, adeoque haudquaquam commendandos esse. 15. Adde Ecclesiam Veterem in *Circumcellionibus* hos furores meritò damnasse, ut docet Augustinus lib. II. contra Petilianum cap. XLIX. 16. Qui seipsum occidit vel nocentem occidit, & sic se sui judicem & Magistratum constituit, vel innocentem, & sic bis peccat, & in sese ac leges simul injurius est.

VI. Ex his in *thesi* propositis, liquere potest in *hypothesi*, αὐτοχειρίαν Razis non solùm excusari non posse, minus commendari debere, sed potius justissima insectatione dignissimam esse. 1. Ut *actum impietatis* quo peccavit in Dei legem: *Non occides. Nihilo enim addito*, ut bene notat Augustinus *nullus, nec ipse utique, cui præcipitur, intelligitur exceptus*. 2. Ut *actum insipientiæ*, quo furorem ostendit, dum incertam mortem certa redemptam voluit. 3. Ut *actum injustitiæ*, quo de eo statuit, in quod nullum ipsi jus erat, de propria nimirum vita, quæ ut à Deo data est, sic ab eo repeti debet, & tum demum ei reddi, cum ab eo repetitur. 4. Ut *actum perduellionis* vel *perfidiæ* quo se è statione sua injussu Imperatoris sui proripuit. 5. Ut *actum* vel *mollitiei & impatientiæ*, quo horruit plusquam par erat captivitatem, ne in potestatem Nicanoris veniret, vel *ostentationis aut pertinaciæ*, ut generosus videretur & magnanimus, seruitutis quippe impatientior quàm mortis. 6. Ut *actum diffidentiæ* in providentiam Dei, & argumentum abjectæ fiduciæ in Deum protectorem pietatis & innocentiæ. 7. Ut actum *pessimi exempli*, quo

quo scelus docuit, non virtutem, & ad furorem præivit aliis tanto nocentius, quanto major illius erat authoritas & altior de virtute eius existimatio. Et tamen libri istius Auctor magnanimitati Razis hoc tribuit, *generose*, inquiens, *mori exoptans potius quam sceleratis istis subjici, & indignas generosa conditione sua contumelias perpeti.* Quasi verò liceret ἀπόχημα avertere per ἀδίκημα vel pœnam culpâ vel malum injucundum inhonesto. Meritò ergo *Augustinus* cap.XXIII. contra secundam Gaudentij Donatistarum Episcopi Epistolam, *Dictum est quod elegerit nobiliter mori, meliùs vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros forte hujus seculi, non martyres Christi.*

VII. Accedit & fabulatoris istius, qui hanc narrationem concinavit, imprudentia, ut qui non tantum *circa jus*, ut ostensum, impegit, & judicii sui imbecillitatem ipse commendatione illa proscripsit: Verùm etiam *circa factum*, dum fabulam nobis texit quæ seipsam evertit, nec ullo modo ferruminari potest. Quis enim nisi oculos sibi ipsi ultro configere velit, credat, eundem hominem adacto sibi in viscera ferro non tantùm in murum incurrere, & ex eo præcipitem se dare posse, sed etiam istis omnibus in se tentatis procedere in medium, incumbere ventri, surgere & *quamvis ferretur salientium more sanguis*, & gravia essent vulnera, cursu pervadere turbas. Inde super petram quandam consistere, & planè exanguem proferre intestina, & ea ambabus manibus conjicere in turbam, & ibidem judicio adhuc & sermone constantibus invocare Dei nomen, eique depositum suum commendare & sic demum exspirare. Cucurbitam esse oportet & Cercopithecum, qui ista admittat, quibus nihil fabulosius, nec ad prostituendam fidem opportunius. Præterquam enim quod acta id genus hominis insani & in rabiem acti facinora esse possint, hominis sui compotis non item. Quis quæso credere possit, post tot mortes, non vitam tantùm, sed & vires & usum rationis Razi illi constare potuisse. In sententiam itaque *Augustini* pedibus imus qui in Responsione ad supradictam Epistolam Gaudentii cap. XXIII. docet, Rasiam etsi mortem alia ratione sibi consciscentem *non sapientiæ, sed insipientiæ dedisse exemplum non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum.* Notat ibidem, *vix credibile esse eum facere voluisse ac valuisse, quæ fecit.* Item: *Quomodolibet accipiatur à vobis hujus Raziæ vita laudata, non habet mors ejus laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam.* Sic Epist. LXI. ad Dulcitiam idem notat, *non fuisse istum virum eligendæ mortis sapientem, sed ferendæ humilitatis impatientem.* Et concludit isto Dilemmate hoc argumentum: *Deus dixit innocentem & justum, ne occides. Si ergo iste innocens & justus non fuisset, cur proponitur imitandus?* Addamus verò nos, cur proponitur à *libri* illius Scriptore ut laudandus? *Si autem innocens & justus fuit, quare interfector innocentis & justi, id est, ipsius Raziæ insuper putatur esse laudandus?* Vide eundem Epist. CCIV. ad Donatum presbyterum, qui ad Concilium vocatus sibi ipsi vim inferre conabatur, ubi pronuntiare non veretur, æternam mortem secuturam fuisse eam, quam sibi inferre volebat mortem, & docet nullum justorum atque fidelium aliquando hoc fecisse. Sic idem lib.II. contra literas Petiliani Episcopi Do-

natistæ; *Vellem mihi diceres*, inquit, *Confessores illi vestri qui seipsos præcipitant, cui dicant Martyrium, utrum Christo, qui talia suggerentem Diabolum repulit, an potius ipsi Diabolo, qui talia Christo facienda suggessit.* Item: *Magister traditionis Diabolus præcipitium Christo suadere voluit & repulsus est. Quid ergo dicendi sunt, quibus hoc suasit & auditus est? Quid enim nisi inimici Christi, amici autem Diaboli, discipuli seductoris, condiscipuli traditoris? Spontaneas enim mortes ab uno Magistro utrique didicerunt, illi laqueum, isti præcipitium.* Argumentum verò istud ab Augustino adeò prolixè pertractatum fuit. 1. Vt reprimeret Circumcellionum furores, insano more in mortes voluntarias ruentium, & vel justis pœnis à Magistratu sibi infligendis post atrocissima scelera se subducentium, vel gloriam insanam ejusmodi impetu captantium. 2. Vt intercederet matronarum & puellarum complurium institutis, quæ Româ à barbaris captâ malebant, Lucretiæ Romanæ exemplo, sibi vim inferre, quàm contumeliam pati, & libidini barbarorum objici. *Augustinus* verò monet, nec propter bona assequenda, nec propter mala vitanda licere se interficere. Ex istis omnibus concludimus, secundùm Maccabæorum librum haudquaquam Dei Spiritum auctorem habere, ut qui non tantùm αὐτοχειρίαν commendet, sed etiam αὐτοχειρίαν. *Exceptiones* quæ ad argumenta nobis proposita objici possunt, earumque confutationem contrahendæ huic Disputationi, differimus ad sequentem.



DISPVTATIO DECIMAQVARTA

Κατασκευαστικὴ,

DE

AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei articulis.

Thesis I.

IMPIETATIS character qui in secundo Maccabæorum Libro exstat, in commendatione αὐτοχειρίας Raziæ Disputatione superiore à nobis & propositus fuit, & demonstratus argumentis partim *inartificialibus* testimoniorum, partim *artificialibus* rationum. Reliquum est, ut, pro Methodi nostræ instituto, & assertionem nostram, & eius confirmationem vindicemus ab *exceptionibus* quæ utrique opponi posse videntur: ut non tantum veritas suis munimentis tuta consistat, sed opposita etiam ei falsitas iis exuatur præsidiis, quibus se tueri solet.

II. Ista verò speciosè *excipi* posse videntur, ad ea quæ à nobis proposita fuêre. 1. Ad *Thesin*. 2. Ad *Hypothesin*. Ad *Thesin* 1. Αὐτοχειρίαν haudquaquam simpliciter scelus esse, vel facinus Deo exosum. Samsonem fuisse αὐτόχειρα, typum tamen Christi, & quidem eo ipso actu, quo se aliosque oppressit,

Christus Samsonis instar vitam suam in potestate habuit, nec tam ab eo aliena violentia ablata, quàm sponte deposita fuit. 2. Quod Christus æque ac Samson magnam morte sua hostium stragem edidit, & incumbentem cervicibus sui populi Tyrannidem fregit. 2. Saulis αὐτοχειρίαν commendari à Davide eximio Cantico, 2.Sam.1. 3. Ionæ etiam αὐτοχειρίαν non improbari, sed laudari potius, ordinatam quippe divina providentia, ut sic exstaret typus mortis & sepulturæ Christi, Matth.12. 39.40. & 16.4. Jonam verò fuisse αὐτόχειρα ex eo constare, quod ipse necis suæ causa fuerit, & author, nautæ instrumentum tantùm, dum se ultro in mare projici jussit, Jon.1.12. Et ut ille se velut victimam pro navis & vectorum incolumitate ultrò devovit exitio, & in eo mare projecto, desæviit protinus tempestas, & rediit malacia: Sic Christus se ultro victimam stitit, & eo tempestate velut absorpto iræ divinæ tempestas à cervicibus nostris aversa fuit. Accedunt paralleli alii inter typum & τὸ τυπωθὲν, partim à conservatione Jonæ in ipso mari, partim à tempore moræ detentionis ipsius in undis, partim ab ejus restitutione & liberatione ex ventre Ceti, quæ applicari possunt ad conservationem Christi in ipsa morte, ad triduanam ipsius sepulturam, & gloriosam resurrectionem. 4. Paulum ipsum ostendere, 1.Corinth.13.3. aliquem posse corpus suum tradere, ut ardeat, id ipsum etiam prodesse, modò cum charitate conjunctum sit. 5. Omnia legis præcepta, sive primæ sive secundæ tabulæ officia Deo proximoque duntaxat præstanda imperare, adeoque etiam præceptum sextum ἑτέρων potius esse ad alios, quàm ad nos ipsos.

III. 6. Dilectionem nostri non proponi, Matth.22.39. ut *regulam* dilectionis proximi, sed ut *exemplum* tantum, immò dilectionem quam nobis ipsis debemus αὐτοχειρίᾳ quandoque exerceri, quando morte nostra gravioribus sive peccatis sive periculis, & malis prævertimus, ne vel ad idololatriam, vel ad flagitia alia cogamur, vel alii nobis ad scelera abutantur, & sic partim nostrum, partim aliorum peccatum crescat, adeoque in ipsa αὐτοχειρίᾳ quandoque & nostræ erga nos ipsos, & nostræ erga alios etiam dilectionis argumentum reperiri. 7. Laudata semper fuisse exempla eorum, qui extremis periculis se sive pro patria, sive pro amicis objecêre, & sua morte aliorum tranquillitatem redemptum ivêre. Nec à gentilibus duntaxat Curtios commendari, & Regulos, & alios id genus Heroas: verùm etiam Paulum velut insigne charitatis argumentum recensere, si quis pro justo vel pro bono viro mori sustineat, Roman.5.7. Tale quid etiam Johannem à nobis exigere, ut quemadmodum per hoc Dei charitatem novimus, quod ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos pro fratribus animas ponamus, 1.Johan.3.16. 8. Amorem carnis nostræ, Eph.5.29. recenseri, non laudari. Immò homini pro vitio ut plurimum impingi, nos contra Pauli exemplo debere ὑπωπιάζειν & δουλαγωγεῖν corpus nostrum, 1.Corinth.9.27. ne simus reprobi. Nec argumentum isti loco superstructum inniti *juri*, sed *facto* ibi recensito. 9. Gratis dici,

è vita minus sponte exire, quam è convivio vel ludo: Vitam quidem bonam esse *per se*, sed mortem interdum *per accidens* meliorem, ut prævertamus malis gravioribus. 13. Providentiæ divinæ ductum sequi illum, qui occasiones sibi immissas in rem suam vertit. Immò fiduciæ in Deum suæ argumentum præbere, qui ad Deum quàm maturrimè ire velit. 14. Legem naturæ generalem esse, instinctum vitæ conservandæ non item, ut patet ex exemplis, allatis, nec adeo anxiè rationem habendam legis naturæ corruptæ, quum ne conservatio quidem hominis hac tantum vita circumscribatur. immò multos necem sibi consciscere, ut conservent id quod vita externa potius est. 15. Moriendi occasiones à Deo immissas pro mandato divino esse, & sic αὐτοχειρία Deo obsequi, sibi per occasiones ista loquenti, nec trahi ab eo, sed sponte comitari ducentem. 16. Αὐτοχειρίαν fortitudinis actum esse, & αὐτόχειρα fortem, cum contemnere possit, τὸ φοβερώτατον πάντων, mortem nimirum; timiditatis contra esse porta ubique aperta egredi non audere. 17. Nihil honestius esse quàm hominem animum erectum, & liberum & suæ spontis ostendere, & suimet & tutorem, & vindicem esse, 18. Nec bonis moribus intercedi extraordinariis actibus, & instinctus divini majorem habendam rationem, quàm legum humanarum, Reipublicæ etiam expedire, sæpè tolli unum potius, quàm unitatem. 19. Non esse periculum, ne ejusmodi multi sequantur, magno enim & forti, immò Heroico ad id animo opus esse qualis paucis obtingat. Casus etiam incidere ubi exemplum illud sequi expediat. 20. Principia quidem αὐτοχειρίας interdum mala esse, bona verò etiam quandoque, amorem patriæ, salutem aliorum, desiderium immortalitatis, & alia id genus. 21. Exemplis Achitophelis & Judæ alia opponi posse, & bonorum & bona. 22. Distinguendam esse αὐτοχειρίαν vitiosam, & illicitam ab honesta & licita, & Circumcellionum furores à factis Heroicis, qualia sunt illorum qui ab hoste ad extrema redacti pulvere tormentario se cum aliis elidunt, ne vel ipsi tyrannidi hostili obnoxii fiant, vel instrumentum bellicum quod in potestate habent, in patriæ exitium hostibus cedat, vel ut eadem opera naves & copias in Reip. perniciem destinatas tollant.

VI. Ad *hypothesin* excipi potest. 1. Raziæ αὐτοχειρίαν narrari, non commendari, nec ob id Scriptorem istum minus θεόπνευστον esse, quàm alios, dum adulteria, homicidia, incestus, & Idololatriam Sanctorum etiam quorundam, deducto velut sipario, retegunt. 2. Raziam sic voluisse prævertere periculo idololatriæ, ne ad eam tormentorum vi adigeretur. 3. *Augustinum* ob facinus illud, non uti exceptione ista librum 2 Maccab. non esse Canonicum. 4. Ostensum esse Thesi 2. αὐτοχειρίαν nec actum impietatis, nec insipientię, nec injustitię simpliciter esse, adeoque nec Raziæ actum talem censeri posse, ob eximias virtutes à quibus commendatur. 5. Nec actum perduellionis fuisse, sed obsequii, Deo ipsi hanc necessitatem immittente, ut vel pollutionem idololatricam eligeret, vel mortem, nec fuisse actum mollitiei, vel impatientiæ; sed for-

titudinis, nec ostentationis, vel pertinaciæ, vel diffidentiæ, ut patet ex precibus quibus Deo depositum suum commendat, & id sibi restituendum esse confidit. 6. Amorem vitæ præsentis, horrorem mortis, & defectum virtutis Heroicæ satis obstare, ne in exemplum trahatur. 7. Alia similia ex historiis congeri posse eorum, qui gravissimis vulneribus & casibus majores, robur ingens ad finem usque servarunt, & ea patrarunt, quæ incredibilia videri possint, revera tamen contigerunt.

VII. Speciosa ista videri possunt, ne verò solida censeri debeant, *ἀνασκευὴ* sequens docebit. Ad 1. Exceptionem, *Resp.* 1. *ἀρνητικῶς per negationem*, *αὐτοχειρίαν* omnem non universaliter scelus esse, & Deo exosum, non accedente speciali Dei mandato, quale circa filium obtigit Abrahamo. *Inst.* At quod honestum simpliciter non est, ne à Deo quidem imperari potest. *Resp.* Distinguendum est *honestum*, aliud enim *indispensabile* est, aliud *dispensabile*, illud quoad mala, quæ *intrinsecam turpitudinem* includunt, qualia prohibentur, v. g. præcepto primo & tertio circa quæ nulla dispensatio dari potest : istud quoad mala quæ *intrinsecam turpitudinem* non includunt, & à voluntate legislatoris pendent, præsertim illius, qui absolutum in vitam & bona jus habet, adeoque qui vitam nostram vel alienam repetere potest. 2. *Συγχωρητικῶς per concessionem.* Demus, *αὐτοχειρίας* scelus non esse, ubi ea à Deo imperata est, quid inde potest pro Raziæ furore concludi, nisi prius probetur, facinus istud ab eo divino instinctu patratum fuisse. 3. *Τὸ ἐν ἀρχῇ*, *αὐτοχειρίαν* à *Samsone* tentatam fuisse sine peculiari Spiritus S. instinctu, adeoque sine speciali Dei mandato, derogante interdicto generali. Contrarium patet à posteriori. 1. A *precibus*, quas concepit ad Deum pro robore extraordinario ad ultimum istum actum obtinendo, quæ exauditæ, adeoque ex fide profectæ fuêre, Jud. 16.28. 2. A *fiducia* Samsonis, se amplexu columnarum templi eversurum domum, etsi detonsum jam, & symbolo Nazareatus sui privatum, quæ non nisi ab extraordinario Spiritus Sancti motu procedere poterat. 3. A *robore* divino & extraordinario planè ipsi subministrato divinitus, quo instructus tantam molem subvertit : Meritò itaque *Augustinus* monet Spiritum *latenter hoc jussisse*, qui per illum miracula faciebat. 4. A *typi* gemina *ratione* Thesi 2. notata, quam Deus in morte ipsius exstare voluit. 5. A *testimonio* Apostoli qui ad Hebr. 11.32. inter exempla fidei etiam Samsonem refert, & iis accenset qui per fidem suam *ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας*. Sic v. 39. illos omnes, inter quos etiam Samson, dicit fuisse *μαρτυρηθέντας διὰ τῆς πίστεως*. Nec illorum solutio probanda videtur, qui Samsonem non suam mortem intendisse contendunt, sed stragem hostium, quum certum sit, eum non potuisse intendere unum sine altero. Non poterat enim non prouidere se eadem strage oppressum iri, immò ipse se componit ad mortem, dum inquit, *moriatur anima mea cum Philistæis.* *Inst.* At Samson ex mera vindicta ad ultionem de oculis sibi evulsis sumendam eò proruisse videtur, quod ne ipse quidem dissimulat. *Resp.* 1. *Per concessionem*, ultionis istius Samsonem facere mentionem, & eam etiam intendere. 2. *Per negationem*, eum ultionem sui ut *hominis privati* spectasse, qualis consideratio vitiosa fuisset. Immò ut

Samſon *perſona publica* fuit, & vindex populo à Deo ſuſcitatus, ſic dùm ultionis iſtius meminit, oſtendere voluit, Philiſtæos oculos ſibi eruendo voluiſſe iſti Dei vocationi intercedere, & obſtare quominus eam exſequeretur ulterius. Iſta vero χῶσι obſervata patet, Samſonem de Dei hoſtibus potius quàm de ſuis ultionem expetiviſſe.

VIII. Ad *Exc.* Ab exemplo Saulis *Reſp.* . 1. Supponi falſum αὐτοχειρίας Saulis commendari à Davide, de qua quippe ne verbum quidem in toto Cantico. Et aliud, commendare virtutes *ethicas* Saulis, vel felicitatem regni ipſius, diuturnam ſatis, aliud, commendare αὐτοχειρίας Saulis. Prius à Davide factum, non poſterius. Ideò verò id à Davide occupatum, ne videretur vel vindictæ cupiditate, vel ἐπιχαιρεκακίᾳ affici, ob ſtratum hoſtem ſibi infenſiſsimum, ne etiam ambitione occupandi regni abreptus gratam videretur habere mortem illius, qui *unctus Domini* fuerat. 2. Immò κτ̀ τὸ βίαιον, tantùm abeſt ut David Saulem pro ſui interfectore habuerit, ut contra eum ab Amelekita ſublatum crediderit, & ea de cauſa graviter in iſtum animadverterit, 2.Sam.1.14. Quî itaque potuit αὐτοχειρία Saulis à Davide Cantico iſto commendari?

IX. Ad III. *Exc.* ab exemplo Jonæ. *Reſp.* 1. *Per conceſsionem*, in Jona varia ἐκ παραλλήλου notari poſſe, quæ ad Chriſtum referuntur. 2. *Per negationem*, Jonam fuiſſe αὐτόχειρα, nec enim ſe ipſum in mare præcipitem dedit, ſed id duntaxat verbis illis teſtatur, ſe iram Dei in caput ſuum concitaſſe, propter peccatum ſuum tempeſtatem iſtam obortam, mereri ſe ut in mare præcipitetur, & pœnas det ultioni divinæ. Verba itaque iſta non ſunt hominis deſperabundi, ſed culpam ſponte confitentis, & Deo gloriam dantis, & qui non vult ſua cauſa periclitari alios, adeoque in eo ipſo & *pietatis* documentum dat Jonas & *charitatis*. 3. Adde peculiarem in eo negotio inſtinctum Dei interceſſiſſe, ex eo patere, quod ſic egregius & multiplex quidem Chriſti typus exſtare debuit, & quod Jonas certò prædicit, futurum, ut ſe in mari conjecto ſiſtatur tempeſtas. Quod cum reipſa fuerit adimpletum, patet, Deum hoc ipſum arcana inſpiratione Jonæ indicaſſe. Vnde etiam probabile, prædictam ipſi fuiſſe miraculoſam etiam ſui in mari conſervationem quum in ventre ceti conſtitutus ſibi polliceatur, *ſe adhuc viſurum templum ſanctitatis Dei*, Jon.II.I. Exempla itaque id genus inutilia ſunt ad probandum inſtitutum.

X. Ad IV. *Exc. ex* 1.Corinth.13.3. *Reſp.* 1. Ἀρνητικῶς *per negationem*, nec enim Apoſtolus loquitur *de jure* ſed de *facto*, nec oſtendit quid fieri debeat. Loquitur enim de traditione corporis ſui ex zelo intempeſtivo, vel ex vana gloria, vel ex aliis id genus cauſis quæ traditionem iſtam vitioſam reddunt, quippe quæ ſupponitur eſſe ſeparata à charitate. 2. Apoſtolus non loquitur *categoricè* quid faciat, vel fieri debeat, vel quid fieri velit ab aliis, ſed *hypotheticè*, ſi tale quid vel à ſe vel ab aliis fieret, quid de eo judicandum ſit. Vnde non magis *categorica* inferenda concluſio quàm Gal. 1.8.9. 3. Demus συγχωρητικῶς Apoſtolũ probare iſtã *traditionem corporis* ſui, ut laudabilem; Quæ verò laudabilis eſſe poteſt? non ſanè qua ſe ipſum

haudquaquam *αὐτόχειρες* fuère. Aliud enim eſt, ſe periculis objicere, neceſſitate urgente, & vocatione Dei peculiari inſtigante, aliud ſibi ipſi necem conſciſcere. 2. *Per negationem*, laudanda eſſe omnia exempla, quæ in Hiſtoria Pagana occurrunt. Multa enim ex illis temeraria fuère, multa ſuperſtitioſa, & ex oraculorum paganorum dictamine patrata. 3. Supponitur falſa hypotheſis, exemplis nobis ſtandum, non regulis. 4. Supponitur, non probatur, mori pro aliquo Rom. 5.7. eſſe idem quod *αὐτόχειρα* eſſe. At & ille pro aliquo mori poteſt, qui non eſt *αὐτόχειρ*. An enim Chriſtus *αὐτόχειρ* fuit, qui *pro nobis* mortuus fuit? Atqui Apoſtolus v.7. & 8. iſta inter ſe confert, & ex eo Dei charitatem erga nos commendat, quod cum vix aliquis *pro juſto* mori velit, Chriſtus tamen *pro nobis* mori voluerit. 5. Eadem ſuppoſitio gratis adhibetur, 1.Ioh.3.16. Nec enim ponere animam pro fratribus eſt *αὐτόχειρα* eſſe, aliâs ut exemplo Chriſti id præſtare ibi jubemur, Chriſtus etiam *αὐτόχειρ* cenſendus eſſet. Adde, aliud eſſe, animam ponere pro corporali fratrum vita, aliud, pro ſpirituali & æterna, ut illi vel ad Dei cultum ſalutarem adducantur vel in eo confirmentur, quod poſterius exemplo Chriſti commendatur.

XIV. Ad VIII. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *παρερμηνείᾳ* loci Apoſtolici, Eph. 5.29. Nec enim amor carnis *inordinatus* ibi intelligitur Eph.5:29. ſed *ordinatus*, nec ibi perſtringitur vel improbatur, ſed ex eo comparatio ducitur ad amorem quo Deus proſequitur Eccleſiam. 2. Peccatur *Elencho oppoſitorum* poteſt enim aliquis honeſtè *ἐκτρέφειν καὶ θάλπειν* carnem ſuam, & tamen certis de cauſis & certis occaſionibus eam *ὑπωπιάζειν* & *δουλαγωγεῖν*. 3. *Τὸ ἐν ἀρ[illegible]*, non *juris* eſſe, ſed *facti*, fovere carnem ſuam, debitis nimirum modis, & ordine ac mediocritate conveniente ſervatis.

XV. Ad IX. *Except. Reſp.* 1. Gratis reponi, per *αὐτοχειρίαν* non tentari Deum, atqui lapides convertere velle in panes, & illicitis mediis extra vocationem ſuam uti, eſt tentare Deum. 2. Inſtinctus divinos vel Heroicos extraordinarios eſſe & temporum aliorum. Nec fingendi illi iis qui in ſe graſſari volunt, vel qui eorum partes tuentur, ſed probandi.

XVI. Ad X. *Exc.* Ex Hiſt. Eccleſ. *Reſp.* 1. Humanam auctoritatem in divinis *ſuaſivam* eſſe poſſe, *perſuaſivam* non item, & virtutem *inclinativam* habere, non *coactivam*. 2. Exempla mortis inflictæ fortiter ſuperatæ laudabilia eſſe, affectatæ non item, immò ne martyrium quidem affectandum temerè eſſe, ſed excipiendum. 3. *Αὐτοχειρίαν* ultroneam peccatum eſſe, ſtuprum *paſſivum* non item, ubi conſenſus abeſt, & adeſt coactio. 4. Immò Hieronymus Commentario in Jonam fatetur, *non eſſe noſtrum, mortem arripere, ſed illatam ab aliis libenter excipere. Unde & in perſecutionibus non licere propria perire manu* Nec exceptio Hieronymi boni commatis eſt, *abſque eo ubi caſtitas periclitatur* nec enim in ſtupro per vim illato caſtitas periclitatur. Adde Hieronymum Hieronymo opponi poſſe Epiſtol. ad Marc. dicentem *Deum non recipere tales animas quæ ſe nolente exierunt è corpore.* Nec etiam *Ambroſii* auctoritas intercedere poteſt Canoni Apoſtoli, non eſſe facienda mala ut eveniant bona.

rendis malis. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Contemnere τὸ ϖεϱιϛατὸν immissum à Deo, forte, in id incurrere ultrò, temerarium & insanum. Aliàs nōn fortitudinis hoc esse, sed ignaviæ docet ipse Aristoteles Nic. lib. III. c. VIII. 3. Porta tum demum aperta censeri debet, quando à Deo aperitur.

XXIII. Ad XVII. *Exc. Resp.* Τὸ ἐν ἀρχῇ, in eo animum erectum ostendi, sed dejectum potius. Nec ullus suæ spontis est, vel se talem censere debet. Gratis etiam dictum, hominem sic sui vindicem esse debere, quæ omnia petunt τὸ ἐν ἀρχῇ, non probant.

XXIV. Ad XVIII. *Exc. Resp.* 1. Immò extraordinariis actibus nec imperatis nec probatis, sine vocatione occupatis, intercedi bonis moribus. 2. Instinctum divinum fingi, non probari. 3. Expedire hoc Reipublicæ, sed modis & mediis legitimis.

XXV. Ad XIX. *Exc. Resp.* 1. Ad mala exempla potius iri, quàm ad bona, ob ingenitam nobis corruptionem. 2. Fortis & Heroici animi hunc actum esse, gratis dictum, temerarij verò potiùs est, vel melancholici, vel furiosi, qualem multi habent. 3. Judicare, expedire hoc sequi, est ponere τὸ ἐν ἀρχῇ.

XXVI. Ad XX. *Exc. Resp.* 1. Principia αὐτοχειρίας quandoque inter nos bona esse, gratis dictum. 2. Principia illa bona sunt, quæ impellunt *ad bona*, & *bene*, non contra. 3. Amor patriæ, salus aliorum, desiderium immortalitatis impellere debent ad mortem immissam fortiter ferendam non ad accersendam non immissam. Vide *Augustinum* lib. 1. de Civit. Dei cap. XX. negantem, vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius arcendi cavendique mali causa nos nobis necem inferre debere.

XXVII. Ad XXI. *Exc. Resp.* 1. Exempla laudata bonorum, & bona opponi posse, est τὸ ἐν ἀρχῇ. 2. Non exemplis denuò standum, sed regulis.

XXVIII. Ad XXII. *Exc. Resp.* 1. τὸ ἐν ἀρχῇ, αὐτοχειρίαν aliquam honestam & licitam dari posse. 2. Exemplum de iis qui se simul cum hostibus pulvere tormentario elidunt, nec κανονικὸν est, nec in *jure* vel *divino* vel *naturali* fundatum, nec absolvi potest à *culpa* in Canonem Apostoli, mala non esse facienda, ut eveniant bona, nec ullæ leges vel bellicæ, vel politicæ intercedere possunt sanctioni divinæ. Utut enim interdum excusari *à tanto* possint tales *comparatè, à toto* tamen excusari non possunt, sive id dicantur facere, ut privati, sive ut ministri publicæ auctoritatis. Nec enim publica auctoritas eo usque unquam obligatoria esse potest, ut intercedat autoritati divinæ. Quod itaque *politicè* non tantùm à reatu coram hominibus absolvitur, immò interdum laudi vertitur, id *Theologicè* excusari à reatu omni coram Deo non potest, nec ulla vel incommoda hosti, vel commoda patriæ conciliata tanti esse possunt, quæ conscientiam hic absolvant. Nec intentio hosti nocendi abstracta penitus hic esse potest à certissima scientia se simul cum hoste tollendi, & certam sibi perniciem ac præsentaneam accersendi.

XXIX. Ad *Exc.* I. *Pro hypothesi Resp.* Falsum esse, *αὐτοχειρίαν* Raziæ non commendari ab auctore secundi libri Maccabæorum. Contrarium patet ex textu & supradictis. Ad II. *Resp.* Hoc 1. Esse precarium & gratis confictum. 2. Insufficiens, nec ullum desiderium prævertendi malo excusare posse malam actionem. Ad III. *Resp. Augustinum* 1. Disertè factum Raziæ improbare. 2. Dicere Judæos non habere Script. Maccabæorum sicut legem & Prophetas & Psalmos, contra II. Epist. Gaudent. lib. II. cap. 23. Ad IV. *Resp.* 1. *τὸ ἐν ἀρχῇ, αὐτοχειρίαν in thesi* probatam esse: Contrarium ostensum, adeoque nec in *hypothesi* probari debet. 2. Virtutes Raziæ nec *αὐτοφονίας* ejus, ut nec *ἁμαρτήματα* vel *ἀδικήματα* alia excusare possunt, non magis quàm virtutes Davidis, ejus adulterium vel cædem Uriæ. Ad V. *Resp.* 1. Peti denuò *τὸ ἐν ἀρχῇ, αὐτοχειρίαν* Raziæ vel actum obsequii fuisse, vel Deum ipsi hanc necessitatem immisisse. 3. Preces & fiducia Raziæ commendationem merentur, nisi & illas & istam contaminaret conjunctum facinus, nec tale precibus ullis Deo commendari potest, vel ob preces adjunctas naturam mutat. Ad VI. *Resp.* 1. Præstare, nullum malum exemplum vel proponi vel commendari, quàm obstacula conquiri quæ intercedant, quominus noceat. 2. Causas etiam alias *αὐτοφονίας* dari posse, ubi semel animo persuasum, eam licitam esse, ambitionem, temeritatem, furorem, impatientiam, desperationem, qui morbi multis sunt familiares. Ad VII. *Resp.* Exemplum simile quod non sublestæ fidei sit, apud probatos autores reperiri non posse, sed vel fabulosum, vel apud fabulosos Scriptores duntaxat, aut qui sunt dubiæ fidei & mali commatis. Et hæc ad argumentum, ut & ad Maccabæorum libros *νοθείας* arguendos proposita sufficere possunt, debent saltem iis, qui suæ spontis sunt, nec volunt *κολοκύνταις λημᾷν*.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA

Ἀνασκευαστική,

DE

AVTHORITATE LIBRORVM APOCRYPHORVM in condendis & probandis Fidei Articulis.

THESIS I.



QVOD de reliquis libris Apocryphis à nobis retro demonstratum fuit, vel *impia* vel *superstitiosa* quædam in iis contineri, id tandem de *Sapientiæ* & *Ecclesiastici* etiam libris demonstrandum est, & sic absoluendum totum hoc argumentum de libris Apocryphis.

II. Quamvis verò *Sapientiæ* liber melior sit & castigatior laciniosis quibusdam

quibusdam scriptis Apocryphis aliis, & habeat πάντα varia probi commatis, quæ usum suum habere possunt, characteres tamen aliquos superstitioni affines habet. 1. Dum populum Judaicum superstitiosè laudat, nec peccata ulla illi impingit, immò eum velut immunem ab omni idololatriæ contage proponit cap. 10. 15. & 15. 4. & alibi passim quæ sapiunt Authorem Judaicum, superstitiosum suæ gentis æstimatorem & laudatorem nimium. 2. Dum superstitionis originem extenuat, cap. 14. 15. eam ex apotheosi filii à patre ex amore nimio instituta ducens. 3. Dum superstitiose & gratis miraculis à Deo patratis in gratiam populi sui addit portenta plurima, de quibus altum silentium in Scriptura Canonica, quod patet ex descriptione tenebrarum Ægyptiacarum quæ habetur, cap. 17. & tota sapit superstitiosas & solemnes Hebræorum fabulas, & miraculorum in miraculis fictiones. Nec Moses fuisset dissimulaturus tam horrenda, sonos turbantes, spectra, phantasmata, sibilos, & fragores insolitos, & alia id genus, si ea tenebris illis permista fuissent. 4. Addi posset affectatum dicendi genus & redolens græcam eloquentiam, ab Auctore adhibitum, ut notavit bene *Hieronymus* in præfatione quam isti libro præfixit. 5. Id verò cum primis notandum, quum *Philonem Iudaeum*, (quamvis Salomonis personam ementiatur) vel alium Scriptorem ὁμόχρονον auctorem habeat qui post Christum exhibitum vixit, ab impietate eum excusari non posse, quod nullam Messiæ exhibiti mentionem faciat, adeoque ex eo patet, illum Christum pro Messia non agnovisse, ut qui inter beneficia & solatia populo Dei proposita, nullam prorsus præcipui boni à Deo illi indulti mentionem facit.

III. *Exc* 1. Alios etiam Scriptores Canonicos in laudes populi Dei se diffundere, nec id adulationi illorum transcribi. 2. Alias idololatriæ causas & occasiones non negari ab Auctore unam proponente. 3. Non omnia miracula singulis locis proponi, sed quædam uno loco narrari, quædam alio. Id ex collatione librorum & Historicorum Veteris, & Euangelicorum Novi Testamenti constare. 4. Dicendi genus varium esse apud ipsos Scriptores Canonicos, Poëticum quandoque, vel magis floridum. 5. *Philonem* non esse auctorem istius scripti, sed Salomonem, patere ex cap. 9. adeoque auctorem esse longe anteriorem exhibitione Messiæ. 6. Citari ex libro Sapientiæ locum cap. 7. 26. ab Apostolo Hebr. 1. 3. & cap. 9. 12. ad Rom. 11. 34. & 1. Cor. 2. 16.

IV. Sed *Exceptiones* istæ sunt inanes & inutiles absolvendo libri istius Scriptori. Ad 1. *Except Resp.* Peccari *Elenchoparium*. Alii enim Scriptores unà cum commendatione gratiæ Dei populo suo concessæ, & cum laudatione piorum in eo, non desinunt gentem suam gravissimorum peccatorum ream peragere. Nec in calamitatibus illi immissis tantùm in hostes invehuntur, sed etiam in peccata, quibus justissimas castigationes divinas in caput suum concitarunt.

V. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἀρχῆς istam inter causas & occasiones idololatriæ fuisse. 2. Supponi, non probari ab Auctore, istam primam fuisse.

Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, aliquas interdum circumstantias omitti ab uno Sciptore sacro, suppleri ab alio. 2. Per *negationem*, eandem esse rationem aliorum exemplorum, quæ à Canonicis Scriptoribus peti possunt & istius, quum non de una vel altera circumstantia hîc agatur, sed de iis quæ ad descriptionem ipsius miraculi, & magnitudinem ejus maximè pertinent. Quæ verò à Mose commemorantur de tenebris Ægyptiacis, exigua planè sunt præ iis quæ tanto apparatu nobis ingerit libri Sapientiæ auctor.

VI. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per concessionem, varietatem occurrere, & magnam quidem, quoad stylum inter Scriptores sacros. 2. Per *negationem*, occurrere affectatum dicendi genus paganæ eloquentiæ, & phrases id genus, quales occurrunt in hoc scripto.

VII. Ad 5. *Exc Resp.* 1. Nullum posse assignari auctorem probabiliorem libri Sapientiæ *Philone*, ut patet & ex certaminum inter Græcos, quæ alludit, connotatione, & ex distinctione pagana virtutum cap. 8. 7. & ex collatione Historiæ Judaicæ, quæ docet & Caligulam Judæis obtrusam voluisse statuam suam, ut eam collocarent in templo Dei, & Judæos per Philonem intercessisse, ne id fieret, sed nequicquam, immò Philonem acerbè eo nomine habitum, & Imperatorem in hoc instituto perstitisse. Nihil itaque credibilius, quàm tunc temporis hunc librum à *Philone* vel alio *ὁμοζήλῳ* Scriptore compositum fuisse, erigendis Judæis & terrendis idololatris, differit enim prolixè de pœnis idololatriæ, & idololatrarum & tyrannorum, contra verò piorum felicitatem multis ibi commendat, ut gentem suam roboraret, & in detestatione idoli istius retineret. Vide *Iosephum* Antiqu. Jud. lib. 18. cap. 10. & 11. & *Eusebium* Histor. Eccles. lib. 2. cap. 5.

VIII. Ad 6. *Exc. Resp.* *Συγχωρητικῶς, per concessionem*, demus citari quædam ex libro isto in Novo Testamento, peccatur tamen *paralogismo παρὰ τὸ ἀναίτιον* & à *non causa*. Nec enim citatio verborum ex Scriptore aliquo facit illum Canonicum: Aliâs & *Arati* & *Menandri* & *Epimenidis* scripta Canonica forent. 2. *Ἀρνητικῶς, per negationem*. Gratis enim supponitur, non probatur, libros illos citari. Nec enim vel citationis ullius Scriptoris mentio ibi apud Paulum occurrit, nec ubicunque verba gemina reperiuntur, citantur alibi exstantia. 3. Peccatur *falsa suppositione*, verba quæ habentur, Rom. 11. 34. & 1. Cor. 2. 16. non exstare alibi, exstant verò illa. Esa. 40. 13.

IX. Quamvis verò *Ecclesiastici* liber inter omnes alios Apocryphos emineat, unde etiam hoc nomen Apocryphis aliis inter veteres cæteroquin commune *κατ' ἀντονομασίαν* illi tributum videtur, ut qui in genere parænetico eximia habet, & ad Proverbiorum Salomonis imitationem expressa, tamen ne ille quidem à superstitione & impietate omni excusari potest. Prætermittimus ea quæ de Eliæ reditu corporeo innuit cap. 48. 10. & inter *falsa* à nobis supra suo loco relata fuêre, & confutata, ut & illud, quod cap. 1. 3. & 24. 14. de sapientia creata habet, quæ orta ex

vitiosa

vitiosa LXX. versione, quæ ה׳ קנני reddit ἔκτισέ με pro ἐκτήσατό με, & pro ἐκτή-σατό με. & Sapientiam de qua Salomo cap. 8. creatam fuisse innuit, quod sine impietate statui non potest: Sufficiet nobis hîc characterem alium excutere insignem sive superstitionis, sive etiam impietatis, dum censet Auctor verum Samuelem à Pythonissa *evocatum* fuisse, & *vaticinatum* post obitum suum, & *vocem suam è terra sustulisse*, quod ad defensionem nefandarum artium adhiberi potest. Duo itaque ad hujus characteris demonstrationem occupanda. 1. Demonstrandum κατασκευαστικῶς, verum Samuelem haudquaquam post obitum suum è terra vocem suam sustulisse, nec Sauli vaticinatum esse, sed merum spectrum Diabolicum sese stitisse & Pythonissæ, & Sauli. 2. *Exceptiones* oppositæ sunt confutandæ ἀνασκευαστικῶς.

X. *Rationes* pro κατασκευῇ istæ adferri possunt inter alias, Samuelem istum personatum qui apparuit Sauli, larvam fuisse, & spectrum, verum Samuelem non item. 1. Οἰκεῖαι, petitæ ex ipso contextu. 2. Ἐξωτερικαί, aliunde adjectæ. οἰκεῖαι sunt, 1. *A causa efficiente* vel *procreante* istius apparitionis, quæ fuit Pythonissa & magicum ab ea adhibitum carmen. An verò beatorum animæ in cœlos receptæ obnoxiæ sunt vel malis Spiritibus vel eorum instrumentis, incantatoribus & incantatricibus, ut ad talium artes nefandas compareant? Haudquaquam sanè, vel enim *vi artis magicæ* hoc effectum, vel *ad artem magicam* tantùm: Si *vi artis magicæ*, malis spiritibus & eorum instrumentis obnoxii sunt beati: Si *ad artem magicam* tantùm: sequitur Deum illis artibus abblandiri voluisse, vel auctoritatem conciliare, quas toties sibi exosas profitetur. Adde, vel *voluntariam* istam Samuelis comparationem fuisse, vel *violentam* & coactam: Neutra verò hîc cogitari potest: prior enim repugnat sanctitati, posterior felicitati beatorum.

XI. *Exc.* Antevertisse Samuelem adventu suo incantationem, 1. Sam. 28. 12. singulari itaque Dei prævenire volentis magicas artes dispensatione hoc factum esse, prout dispensationem talem adhibuit Deus, 2. Reg. 1. in missione Eliæ, ne legati Ochoziæ consulerent Baalzebub idolum: Venisse itaque Samuelem Dei, non Pythonissæ jussu, & antevertendo non confirmasse artem magicam, sed ei intercessisse, & subita ista apparitione effecisse, ne adhiberetur: Et istam fuisse causam cur turbata fuerit Pythonissa, & se deceptam queratur. *Resp.* 1. Ἀχαφές, Samuelem antevertisse adventu suo incantationem. 2. Ἀντίχαφον dicitur enim disertè Samuel iste personatus primò visus à Pythonissa & quidem sola. At si incantationem antevertere voluisset, Sauli potius apparuisset, quàm Pythonissæ, vel utrique saltem conjunctim. 3. Ἄλογον, nec enim Pythonissæ apparere se accingere volenti ad incantationes, est eam ab incantationibus avertere, sed potius dæmonum potentiam illis confirmare. Dispensatio itaque ista Dei fingitur, non probatur. 4. Si Deus antevertere voluisset ista dispensatione incantationem, & ideò Samuelem misisset, debuisset ille & Saulem increpare & Pythonissam, illum

ob incantationis petitionem, istam ob eius professionem & molitionem. At neutrum factum à personato isto Samuele, utrumque verò factum oportebat à vero Samuele. 5. Samuelem istum personatum non antevertisse incantationem, sed per incantationem accitum nec à Deo ultrò missum, patet ex verbis quæ habentur vers. 15. ubi inquit, *quare inquietasti vel commovisti me, revocando me?* Sin jussu Dei missus fuisset, utique haudquaquam de eo conqueri debebat verus Samuel. 6. Peccatur *Elencho parium* & παρ' ὃ ἐπιτάσσειν, tum quia de ista dispensatione Dei per misionem Eliæ constat, de illa per misionem Samuelis non item, tum quià ibi legati, quamvis non sua sponte, sed jussu Regis sui ad idolum irent, increpiti fuêre ab Elia, hîc nec Pythonissa nec Saul, illa Diaboli vates, iste vatis istius consultor. 7. Peccatur *Elencho non causæ ut causæ.* Causa enim, cur turbata fuerit Pythonissa, & se deceptam quiritetur, non erat Samuelis aduentus ante Pythonissæ incantationes, sed agnitio Saulis, & ex ea metus, ut patet ex collatione versuum 9.12.& 13. Commemorat enim ibi Pythonissa Saulis in ariolos severitatem, vitæ suæ insidias strui, & post queritur se à Saule dissimulante schema suum deceptam, à Saule etiam erigitur ne timeat. Timor ergo, ne mandato Saulis instar ariolorum aliorum periret, in causa fuit istius perturbationis.

XII. 2. Arg. *Ab iis quæ de* personato *isto Samuele* referũtur, qui 1. Patitur se adorari à Saule, vel enim *civilis* intelligenda *adoratio*, vel *religiosa*, si *civilis*, illa nec Prophetæ à Rege debita fuit, nec exhiberi solita, sed vice versa, nec enim de simplici honore vel reverentia aliqua sermo est, sed de inclinatione verticis & incurvatione in terram ἐδαφοκλινῶς designata v. 14. Sin *adoratio* illa fuit *religiosa*, ut nec à Saule Samueli exhiberi debuit, sic nec ab isto ferri, sed eadem παῤῥησίᾳ & zelo rejici, ac id factum à Petro Actor. 10. 25.26. & à Johanne Apoc. 19.10. 22.9. Idque tantò magis, quod maior in lumine gloriæ Majestatis Dei & cultus illi soli debiti datur cognitio, adeoq; etiam maior pro gloria Deo soli vindicanda ardor. 2. Dicit, Saulem: *crastina die futurum secum*, at Saul αὐτόχειρ haudquaquam in beatas sedes transferendus erat, nec Sauli & filiis idem locus erat assignandus. 3. Saulem planè non reprehendit, nec perstringit propter Pythonissam à se in consilium adhibitam, nec istam propter tentatas artes magicas, quale quid nunquam dissimulaturus fuisset verus Samuel.

XIII. *Exc.* 1. Honorem debitum fuisse & Prophetæ & quidem jam in cœlum translato, & à Deo extraordinaria ratione submisso. 2. Honorem illum non fuisse cultum summum λατρείας soli Deo debitum, sed inferiorem cultum δουλείας, Paulum & Johannem λατρείαν tantum sibi oblatam fuisse deprecatos. 3. Verba *mecum eritis* non esse intellignda in *sensu specifico*, sed in *sensu generico*, h. e. mortui eritis, nec enim eundem locum posse assignari Sauli impio, & sui interfectori, eundem Jonathani pio ab hostibus cæso.

XIV. Ad 1. *Exc. Resp.* Supponi, non probari, personatum istum Samuelem fuisse Prophetam jam in cœlum translatum, & à Deo extraordinaria

naria ratione submissum. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Itidem gratis supponi, honorem *δουλείας* religiosæ Sanctis deberi, quod est τὸ ἐν ὑπεροχῇ. Atqui quum ὑπεροχῇ infinitæ, quà tali debeatur cultus religiosus, non debet deferri ulli ὑπεροχῇ, quæ finita est. Nec *cultus religiosus* alius *summus* datur, alius *inferior* vel *subalternus*, cultum enim religiosum dicere, est summum cultum dicere. 2. *Δουλείαν* & *λατρείαν*, *voces synonymas* esse, non *species ἀντιδιῃρημένας* alibi à nobis ostensum. 3. Supponi non probari vel à Cornelio Petro, vel à Johanne Angelo divinum honorem exhibitum fuisse, utrumque verò gratis dictum, & absurdum, Cornelium hominem ad se venientem, & quidem sine apparatu externo diuino cultu instar Dei veneratum fuisse, absurdum etiam, Johannem illum instar Dei adorasse, quem aliquoties Angelum adeoque nuntium & ministrum tantùm Dei vocat. Adde Angelum non distinguere *adorationem* & *adorationem religiosam*, sed eam in solidum Deo reservatam velle Apocal.19.10.& 22.7. Haudquaquam verò simpliciter respondendum erat *Deum adora*, si data fuisset alia quædam species adorationis religiosæ. Et ostendit ibidem Angelus, satis esse aliquem *esse conservum*, ut excludatur ab adoratione.

XV. Ad III. *Exc. Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς per concessionem*, verba illa aliter sumi posse, sine absurditate. Nec nos in hoc argumento præcipuum causæ munimentum constituimus. Demus etiam, verba illa sumenda esse in *sensu generico*, semper tamen personatus ille Samuel *ambiguè* loquutus fuit, ut falleret, & utrumque ex æquo intelligi potuit, nec quicquam obstabat, quo minus Saul sibi polliceretur, se cum Samuele futurum in eodem loco. Prout & in designatione *temporis*, quando Saul cum filiis secum futurus esset, ambiguitate lusit, dum adhibuit τὸ מחר, quod non tantùm definitè diem crastinum, vel immediatè sequuturum designat, sed *in genere* & *indefinitè* quodvis tempus quod *mediatè* etiam sequitur. Unde à LXX. interdum vertitur meritò μετὰ ταῦτα, ut Exod.13.14. Eadem significatio occurrit Deuter.6.20. & Jos.4.21. 2. *Ἀρνητικῶς per negationem*, verba enim illa, *cras tu, & filii tui mecum eritis*, sensum *specificum* potius innuunt, quàm *genericum*, nec à littera & sensu ordinario sine necessitate recedendum.. Similia verba non in *sensu generico* sed *specifico* dicta leguntur ad latronem, Luc.23.47. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quæ verò fuisset ista consolatio latronis, si phrasis illa designasset tantùm identitatem vel æqualitatem mortis, non similitudinem conditionis post mortem? Et quamvis hic ἐξαιρετικῶς addatut Paradisi mentio, hoc tamen non obstat, quominus phrasis ista significet societatem post mortem, qualis non datur inter beatos & damnatos. *Inst.* Atqui 1. Personatus Samuel pœnam prædixit Sauli, non beneficium. 2. Saul eo audito exanimatus fermè fuit, prædictio verò felicitatis non terrorem conciliasset Sauli, sed gaudium. *Resp.* 1. Per συγχώρησιν, pœnam prædici, erat verò illa Israelem tradendum in manum Philistæorum, & Saulem casurum cum filiis. Nec enim Hebræorum quorundam commentationi credimus, contendentium, Saulem pugnantem pro Israele & in ista pugna occumbentem seruatum esse, quum

illis ἀντιχρίσια Saulis, & antegressa repugnent. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, maxima ista pœna revera erat, esse cum personato isto Samuele, hoc est cum Cacodæmone. 3. Caussa terroris Saulis sufficientissima erat auditio & publicæ cladis sequuturæ, & mortis violentæ sibi imminentis, & familiæ suæ in filiis exstinctio, quæ objecta erant per se φοβερὰ, nec patiebantur Saulem quicquam præter tragicum istum casum cogitare. *Inst.* Non poterat dici in *sensu specifico* à personato Samuele, Jonathanem secum futurum, quum ille pius fuerit & Dei timens. *Resp.* 1. *Per concessionem*, id non potuisse verè dici, distinctè itaque de Saule, & isto saltem filio loquendum fuisse. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, quia aliter loquitur personatus ille Samuel, eo ipso patet, vel falsa ab eo dicta, vel ambigua saltem & æquivoca.

XVI. III. *Arg.* A *circumstantiis* aliis istius historiæ: Saulem Deo exosum fuisse, Deum nec illi amplius respondere voluisse, vel per Prophetas, vel per somnia, vel per Urim. An ergo credibile Deum illi responsurum fuisse per Samuelem misisionem è cœlo in terras? Et quæ veri species, Deum Sauli per *media legitima* se interroganti noluisse respondere, voluisse verò id facere per *media illegitima* & à se prohibita, Deut. 18. 11. 12.

XVII. *Exc.* Hoc pœnam fuisse, non beneficium, nec gratiæ signum, sed iræ, Samuelem enim pœnas & judicia Dei tantùm denuntiasse Sauli. Æquè ergò iram suam Deum ostendisse jam respondendo ac antehac non respondendo. *Resp.* 1. *Per concessionem*, apparitionem istam in pœnam & judicium cessisse Sauli. 2. *Per negationem*, ob id sequi, verum Samuelem à Deo submissum. Sufficiebat verò larvati istius Samuelis apparitio in pœnam Sauli, & peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. 3. Ex tota serie contextus patet, Deum voluisse iram suam declarare Sauli non, respondendo, sed non respondendo. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim quæstio de re, *quid* Sauli hîc dictum fuerit & *cur*, sed *à quo* id dictum fuerit, & an id dictum fuerit à vero Samuele, & an credibile sit Deum, qui noluit Saulem amplius alloqui per Samuelem vivum in terris, voluisse illum alloqui per Samuelem submissum post mortem è cœlo, & quidem evocatum à Pythonissa?

XVIII. *Argumenta* ἐξωτερικὰ ista inter alia adferri possunt. 1. Gravissima Dei interdicta de Pythonibus & ariolis non consulendis creberrima in Scriptura exstare ut Levit. 19. 26. 13. Deut. 18. 10. 11. Esa. 8. 19. pœnas etiam talibus graves denuntiari, Levit. 20. 6. 27. increpationem etiam seriam exstare, 2. Reg. 1. Haudquaquam itaque credibile, Deum ad mediorum istorum praxin submissurum fuisse Prophetam è cœlo. 2. Deum denuntiare disertè mendacia esse talium responsa, Zachar. 10. 2. 3. Deum velle per Mosen & Prophetas, h. e. per eorum scripta consuli & in iis duntaxat audiri, non verò per mortuos, Luc. 16. Nec minus id voluit Deus in Veteri quàm in Novo Testamento, revocando utrobique suos ad *legem* & *testimonium*. 4. Exemplum hoc perniciosum futurum fuisse, & ad commendationem artis Magicæ facturum, si Deus ad nefanda id genus instituta Prophetam demisisset è cœlo.

XIX. Non

XIX. Non dissimulanda verò argumenta, quæ in speciem patrocinari videntur iis, qui, non obstante ista narratione de Samuelis apparitione, & Prophetia in Ecclesiastico exstante, tamen censent Ecclesiastici Auctorem Canonicis Scriptoribus esse accensendum. 1. Ecclesiastici Auctorem secutum esse simplicem Historiæ narrationem, qualis habetur, 1. Samuel. 28. ut ergo ibi sermo de personato isto Samuele, tanquam de vero; sic & Auctorem Ecclesiastici de eo loqui, nec ob id minus Canonicum esse quàm auctorem libri primi Samuelis eodem modo loquentem. 2. Personam, quæ apparuit Pythonissæ & Sauli, semper Samuelem vocari, nunquam larvam, vel spectrum, vel Cacodæmonem. Præstare itaque nos hærere litteræ Scripturæ. Sic disertè dici, Saulem non cogitasse, vel putasse, sed *intellexisse*, personam apparentem esse Samuelem, 1. Samuel. 28. 14. 3. Haberi hic prædictionem eorum quæ Israëlitis & Sauli ac filiis ipsius contigêre, quæ nec prævideri poterant à Dæmone nec prædici. Ex eo patere, verum fuisse Samuelem qui Sauli apparuit, spectrum non item. Solius enim Dei esse, futura annuntiare, Esa. 41. 22. 23.

XX. Sed & ista vana sunt & ἐπιφυλλίδες meræ. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, auctorem libri primi Samuelis hoc spectrum Samuelem vocare. 2. Per *negationem*, auctorem de eo loqui ut de vero Samuele, quum & *occasionem* evocationis indicando, & *instrumentum* ac *personam* cuius impulsu evocatus fuit, & *omissiones* ac *commissiones* supra notatas innuendo satis superque ostendat, non verum illum Samuelem fuisse, sed personatum & larvatum. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἐπίσον *& parium*. Nec enim Auctor libri primi Samuelis laudat Samuelem istum, qui apparuit Sauli, sed narrat tantùm gesta: Auctor verò Ecclesiastici proponit ista non διηγηματικῶς, verùm etiam ἐγκωμιαστικῶς, dum inter laudes Samuelis refert, quod mortuus prophetarit & annuntiarit regi ea quæ ventura erant, & extulerit e terra vocem suam prophetiâ, Eccles. 46. 23.

XXI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Vel argumentum hoc procedere καθόλου, vel ἐν μέρει. Si *priori modo*, falsum est: Si *posteriori*, nihil concludit. Nota verò est duplex Scripturæ nomenclatio, quædam enim instituitur κατὰ τὸ εἶναι rerum, quædam κατὰ τὸ φαίνεσθαι, quædam *secundùm rei naturam & veritatem*, quædam *secundùm opinationem* vel *nostram* vel *alienam*. Exempla passim obvia sunt. Vide cap. 41. Genes. Et bene *Augustinus* lib. 2. ad Simplicianum quæstione 3. inter exempla, imagines appellari nominibus earum rerum, quarum imagines sunt, & hoc exemplum refert. 2. Peccatur *Elencho non causæ*, Saul intellexit vel agnovit esse Samuelem: Ergo talis fuit. Nec enim ex hominis perturbati judicio metienda rerum veritas. Adde .' ידע non tantùm designare notitiam ἐπιστημονικὴν vel ἀποδεικτικὴν, sed etiam quandoque στοχαστικὴν & εἰκαστικήν. Immò ut fundamentum cognitionis istius Saulis lubricum est, sic etiam assertionis. Nec enim ex visis à se concludit, sed ex auditis à Pythonissa, adeoque conjicit id potius quàm concludit, quum descriptio Samuelis à Pythonissa allata communis fuerit & plurib. aliis ex æquo competere potuerit æquè ac Samueli. Sic τὸ γινώσκειν

quod respondet τῷ ידע Hebræorum frequentissimè *notitiam* tantùm *conjecturalem* designat, ut Matth.16.3.& alibi passim.

XXII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho consequentiæ*: Hic Samuel vera prædixit: Ergo fuit verus Propheta à Deo submissus. At & à falsis Prophetis prædicta sæpe vera fuêre. Exempla innumera in Historia Pagana, de Neronis, Domitiani, Appii, & aliorum mortibus. Exempla etiam in Scriptura, Jud. 18. 6. ubi Pseudolevita idoli à Mica fabricati minister vera prædicit Danitis. Sic per Balaamum & Caipham etiam vera prædicta. Nec ob id illi vel Prophetæ, vel homines Deo grati fuêre, quum & falsi Prophetæ *æmulati* fuerint *divinitatem*, dum *furati* fuêre *divinationem*, ut apposite loquitur *Tertullianus*. 2. Peccatur *falsa hypothesi*: Dæmones non posse prædicere clades & strages, vel alia id genus futura. Possunt verò illud, interdum ex *peculiari* Dei *revelatione*, qualis legitur, 1.Reg.22.20.21. Interdum ex *peculiari* Dei *judicio*, qui Dæmones adhibet ut instrumenta cladium procurandarum, quod hîc etiam fieri potuit, interdum ex *cognitione consiliorum*, destinationum, & molitionum clandestinarum, interdum ex *notitia causarum* nobis *occultarum*, vel *signorum* nobis obscurorum, interdum ex *conjecturis meris*, & mera divinatione, quam si ars experientia in Nautis, Medicis, Agricolis, & longa ætas in senibus reddit sæpe veram, immò si instinctus quidam in bestiis præsagus multorum quandoque datur, magis in Dæmonibus & natura spiritualis subtilissima simul ac agillima, & aliquot millium annorum experientia tale quid efficere potest. Et quia principia ista varia sunt, & quædam ex illis *conjecturalia* & incerta, hinc non mirum, vel ambigua à Dæmonibus, & eorum Prophetis responsa sæpe data esse, vel falsa super rebus futuris. Quia verò omnia principia talia non fuêre, non mirum quandoque vera etiam ab illis prædicta esse, quæ vel ex Dei revelatione, vel ex causarum naturalium applicatione, aut indagine, aut è loco sublimi in quo dominantur Spiritus isti, velut è specula detecta fuêre. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Dei solius sanè est futura nosse adeoque prædicere posse, nimirum 1. *Originaliter*, & *ex se*. 2. *Modaliter*, ea videre non velut futura, sed velut præsentia adeoque in se, & suo decreto. 3. *Vniversaliter*, nimirum omnia. 4. *Infallibiliter* sine ullo errore tum in rebus, tum in circumstantiis rerum.

Et sic absolvimus demonstrationem integram, tum *falsa* tum *contradictoria*, tum denique partim *impia* partim *superstitiosa* in libris Apocryphis reperiri, adeoque illorum auctoritate in demonstrandis fidei capitibus haudquaquam nitendum esse, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISPVTATIO DECIMASEXTA

Κατασκευαστική,

DE

ENTHVSIASMO.

Thesis I.

PERTRACTATO argumento de *libris Apocryphis*, & eorum sive in *condendis* sive in *probandis* fidei articulis auctoritate, progredimur, ex Methodi nostræ instituto, ad errorem alium, quem errarunt Anabaptistæ quidam superiori seculo, & quem prima disputatione nostra designavimus thesi xxx. Fuit is, non tantùm scriptum Dei verbum, sed & revelationes, *enthusiasmos*, & somnia & immediatam Dei vocem audienda esse, & secundùm illa regimen Ecclesiæ instituendum.

II. Gravem hunc errorem haudquaquam omnibus Anabaptistis impactum imus, utpote quorum multi litteræ duntaxat S. Scripturæ hærendum censent, & ab enthusiasmis, & somniis id genus fanaticis sunt alieni, sed iis duntaxat inter illos, qui hac in parte peccarunt. Inter quos fuêre *Thomas Müntzerus, David Georgius, Ioannes Leydensis, Cnipperdolingus*, & *Crechtingus*, ut patet & ex *Iohannis Sleidani* Comment. lib. vi. & x. & ex infami Manasteriensium Anabaptistarum doctrina & praxi, & ex Colloquio *Beverga* instituto inter *Iohannem Leidensem*, & *Antonium Corvinum*, ac *Iohannem Kymeum*, Theologos Hassiacos, Anno superioris seculi cIↄ Iↄ xxxvi. Quibus accenseri possunt *Caspari à Schvvenckfeld*, sectariorumque ejus somnia, qui discipulos Scripturæ Sacræ *Vocalistas* & *Litteralistas* ἐξ ἀντιρρητικῶς vocavêre, illuminationes verò & revelationes suas jactavêre. Gemina fuêre somnia *Theophrasti Paracelsi, Valentini VVeigelii*, & *Pauli Nagelii*, & aliorum id genus fanaticorum. Hinc nomen illis hæsit *Enthusiastarum*, ob ἐνθουσιασμοὺς & ὀπτασίας ac raptus peculiares, quos finxêre, & istis tum in dogmatibus fidei definiendis, tum in vitæ actionibus instituendis hærendum censuêre. Quod quidem argumentum eò magis nobis pertractandum est, quia fanaticus iste Spiritus hodieque florentissimas quondam Angeliæ Ecclesias turbat, & fictis enthusiasmis conscientiarum simul ac Ecclesiarum tranquillitati intercedit.

III. *Quatuor* verò nobis in hoc argumento sunt præstanda. 1. *Terminorum notio* præcognoscenda est, quid sit ἐνθουσιασμὸς, quid ἐνθουσιαστής. 2. *Status Controversiæ* constituendus. 3. *Sententia Orthodoxa* adstruenda. 4. *Sententia Heterodoxa*, ejusque fundamenta destruenda.

IV. ἐνθουσιασμὸν vel ἐνθουσίασιν vocant Græci *in genere*, ut notum, & *formaliter* afflatum divinum, & *materialiter* vel *objectivè* aut *terminativè* vim per afflatum divinum communicatam. Sic *Hesychio* ἐνθουσιασμὸς δῆ ὅτε ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπεται ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Idem repetit *Suidas*. Sic ἐνθουσιαζόμενοι *Suidæ* sunt ἐφορμῶντες, ἢ ἐμμαινόμενοι, & ἐνθουσιᾶν est ὑπὸ θείου πνεύματος κατέχεσθαι. Dicebantur etiam ἐνθουσιαζόμενοι simpliciter ἔνθεοι, item ἐνθουσιῶντες. ἐνθαστικοί, θεόφοροι, θεοφόρητοι, θεοφορούμενοι, πνευματοφόροι, πνευματοφορούμενοι, item θεόληπτοι, ut ex eodem *Suida* patet. Sumebatur verò inter Ethnicos hæc nomenclatio, vel in *bonam* partem, vel in *malam*. In *bonam partem*, tales dicebantur Prophetæ quidam. Sic ipse Moses *Philoni* lib. I. de vita Mosis, dicitur, ἔνθεος ob ἐπιφοίτησιν τοῦ προφητικοῦ πνεύματος. Sic *Plutarchus* meminit in *Solone* τῆς ἐνθουσιαστικῆς σοφίας. In *malam partem* ἐξακεστικῶς ἐνθουσιασμὸς & ἐνθουσιᾶν *Hesychio* est μαινόμενος, ἢ μανίας ἔχειν. Sic *Glossarium* vocem istam sumit, & ἐνθουσιαζόμενον reddit *mente captum*, *lymphaticum*, ἐνθουσιασμὸν *furiam*, ἐνθουσιῶ *lympher*, *insanio*. Quæ significatio dubio procul inde orta, quod divini vates velut extra se quandoq; in lumine cœlesti excipiendo rapti, singularem quandam corporis commorationem experti fuerint, vel non habita ratione externorum gestuum, qui ob id interdum videbantur minus compositi, toti vacarint lumini isti excipiendo. Hinc multis videbantur velut *furere*. Hos Dei vates & illorum motus Diabolus Dei simia à vatibus suis expressos voluit. Hinc μάντεις græcis in genere dicti ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι ab insaniendo. Hinc ἐνθουσιασμὸς est vel afflatus divinus *verus*, vel *apparens*, isque vel *fictus*, vel *præsumptus*. Nos de posteriori Enthusiasmorum genere quod ordinariè ita vocari solet hîc agimus, adeoque per enthusiastas intelligimus homines fanaticos, qui afflatum & inspirationem Dei vel fingunt, vel præsumunt, & vel Diabolicis, vel melancholicis, vel voluntariis illusionibus divinam revelationem tribuendo se aliosque circumducunt. Adeoque haudquaquam vel veram prophetiam à Deo emanantem, vel Spiritum Propheticum verum, vel Sanctos Dei viros Spiritu Dei olim afflatos hac nomenclatione complectimur.

V. *Status* itaque *controversiæ* est: Utrum præter, vel extra Scripturam S. ex peculiaribus enthusiasmis, & privatis revelationibus petenda sit norma sive credendorum, sive faciendorum? Affirmativam tuiti fuêre Doctores supradicti: Orthodoxi negativam.

VI. Fundamenta sententiæ Orthodoxæ sunt partim ἄτεχνα. *inartificialia*, partim ἔντεχνα, *artificialia*. Prioris generis sunt *testimonia* Scripturæ & antiquitatis; posterioris *rationes*.

VII. Fundamenta ἄτεχνα sunt. I. *Affirmativa* Scripturæ S. enuntiationes, illam perfectam esse fidei vitæque nostræ regulam, & utramque ex ea petendam esse. II. *Negativa*, non esse hærendum aliis principiis. *Prioris generis* è multis aliis sunt loca 2. Timoth. 3.16.17. ubi docetur Scripturæ S. perfectio, & utilitas ὁλικὴ ad omnes usus tum theoricos, tum practicos, adeoque *sufficientia* ad finem ac vitam dirigendam, non tantùm Ecclesiæ discentis, verùm etiam docentis, quippe cui major cognitionis mensura

præ

præ aliis neceſſaria. Sic Epheſ. 2. 20. Eccleſia dicitur ſuperſtructa ſuper *fundamentum Apoſtolorum* & *Prophetarum*. Sic Paulus *omne* Dei *conſilium* à ſe annuntiatum docet, Act. 20. 27. & tamen nihil à ſe dictum profitetur extra ea quæ prophetæ & Moſes futura prædixêre. Sic Deus in V. Teſtamento Judæos remittit ad legem & teſtimonium, Eſa. 8. 20. Sic Joh. 5. 39. Chriſtus in Novo jubet *ſcrutari Scripturas*. Sic Luc. 16. 17. vult audiri Moſen & Prophetas. Sic doctrinæ Pauli in Scripturæ traditæ tribuitur nomen Canonis, Galat. 6. 16. adeoque & res nomine illo deſignata, adeoque Scriptura eſt μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς προσδεχόμενον. Sic *ſermoni Prophetico* attendendum eſſe monet Petrus, 2. Petri 1. 19. uſque dum dies illuceſcat & lucifer oriatur in cordibus noſtris.

VIII. *Exc.* 1. Ideò Scripturam audiendam eſſe, 2. Timoth. 3. 16. quia ſit θεόπνευστος, adeoque & Prophetias & enthuſiaſmos eadem de cauſa, quia ſint dictamen θεόπνευστον, omnem enim veri Dei vocem audiendam eſſe. 2. Scripturam ſolam audiendam eſſe, ubi inſpirationes & revelationes peculiares non dentur, ſecus ubi dentur. 3. Κατὰ τὸ ῥητὸν eo ipſo quia dicitur Eccleſia ſuperſtructa ſuper fundamentum *Prophetarum*, Eph. 2. 20. Prophetas & Prophetias audiri debere. Fundamentum etiam Prophetarum eſſe revelationem, illam itaque audiendam eſſe. 4. *Teſtimonium* Eſa. 8. 20. eſſe vocem *genericam*, & intelligi poſſe vel de teſtimonio ſcripto, vel de teſtimonio per revelationem è cœlo communicato. Præter ſcripta etiam Moſis & Prophetarum aliquorum, inſpirationes vel revelationes cœleſtes alias habuiſſe locum. 5. Scrutinium Scripturarum commendari, Joh. 5. 39. ſed non ſolum, nec *excluſivè*. Aliâs excludi etiam debere ſcripta poſteriora Novi Teſtamenti, nondum conſignata tunc cum Chriſtus iſta proloquutus fuit. 6. Κατὰ τὸ ῥητὸν locum, Luc. 16. 12. retorqueri poſſe, quia enim Prophetæ audiendi, enthuſiaſmos, h. e. revelationes divinas audiri debere. 7. Locum Gal. 6. 16. inutilem eſſe, ſic enim illam Epiſtolam futuram Canonem perfectum fidei ac vitę dirigendę, cui tamen multa neceſſaria deſint. Nec Canonis nomen ibi ſumi accuratè, ſed παχυλῶς. 8. Locum Petri etiam 2. Epiſt. 1. 19. poſſe retorqueri, quia enim attendendum eſt *ſermoni Prophetico*, attendendum etiam eſſe enthuſiaſmis, qui ſunt ſermo Propheticus. Immò *Luciferum* verè *exoriri in cordibus*, quando internæ revelationes ſervis vel filiis Dei obtingunt.

IX. Iſtæ verò exceptiones tipulâ leviores ſunt, & mera verborum ludibria. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Per *conceſſionem*, ideò Scripturam audiendam eſſe, quia ſit θεόπνευστος. 2. Per *negationem*, tales eſſe enthuſiaſmos, quos jactant homines iſti fanatici, quum hoc primò gratis affirmetur, ſecundò contrarium pateat *à poſteriori*, eò quòd enthuſiaſmi illi, & dogmata per eos ſparſa incurrant in doctrinam Spiritus S. & illam ſubvertant, quod patet ex collatione Anabaptiſmi primi Munzeriani, & ἀναρχίας ac ἀταξίας ab eo introductæ in gubernatione civili, & ex horrendis dogmatibus *Davidis Georgii*, & ex portentoſis ſceleribus *Iohannis Leydenſis*, & complicum ejus. Idem ex Schvvenckfeldianorum, & Weigelianorum &c

aliorum id genus fanaticorum hominum deliriis patet. Spiritus Sanctus verò non est *ita & non*, 2.Corinth.1.16. nec Spiritus turbarum, seditionum, & flagitiorum id genus sive auctor, sive suasor. 2. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim quæstio est, an omnis Dei vox audienda sit, sed an enthusiasmi quos jactant multi, pro Dei voce sint habendi, quod est πρῶτον ψεῦδος. Distinguenda itaque Dei vox vera à ficta, certa à putativa, vel præsumpta, & à voce Satanæ μεθοδείας & βάθη sua occultantis, & se transformantis in *Angelum lucis*, & incautos homines illusionibus suis occupantis & dementantis.

X. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Scripturam non audiendam esse semper & perpetuò in Ecclesia. At quum Scriptura Dei vox sit, ex Adversariorum confessione, & eum quidem in finem data, ut homo Dei ex ea perfectus reddatur, utique semper & perpetuò audienda est. 2. Peccatur *falsa suppositione*, inspirationes & revelationes peculiares dari quoad ea, quæ *credenda* sunt vel *facienda* extra Scripturam. At Scriptura perfectè repræsentat & Euangelium & legem, & τὰ πιστὰ & τὰ πρακτά. 3. Inspirationes & revelationes illæ vel sunt *conformes* Scripturæ, & veritati in ea revelatæ, vel *non*. Si ei *conformes* sint, non sunt extra Scripturam, sed ut *subjectivè* sunt in mente, sic *objectivè* sunt in Scriptura. Si ei *conformes* non sunt, non possunt esse inspirationes divinæ, nec enim Dei revelationes sunt *ita & non*, nec *veritas normalis* in Scriptura S. expressa, quæ ἔκτυπος in se ipsum incurrit, vel abit à *veritate essentiali*, quæ est ἀρχέτυπος.

XI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccatur ὁμωνυμία latente in voce *Prophetarum*, quæ à Paulo intelligitur de Scriptis Prophetarum veterum à Deo olim populo suo datorum, quibus superstructa fuit Ecclesia Ephesina, æquè ac aliæ; à fanaticis verò intelligitur de Prophetis suis recentibus. An verò Ecclesia Ephesina talibus superstructa fuit jam olim, quæ multis post seculis demum invecta fuêre, & sic ædificium anterius est suo fundamento, id quod superstructum illi cui superstructum est? Notum etiam, Prophetas æquè ac Apostolos non sumi hic προσωπικῶς, sed πραγματικῶς, pro doctrina à Prophetis & Apostolis tradita, & scripto consignata. 2. Per *concessionem*, Prophetas & Prophetias quibus superstructa erat Ecclesia Ephesina, audiri debere, haudquaquam verò alias, adeoque peccatur ignoratione Elenchi. 3. Fundamentum sanè Prophetarum & Apostolorum est revelatio, sed vera, non ficta, cœlestis, non fanatica, & illa audienda. Peccatur verò *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον & *Elencho parium*, illa revelatio audienda: Ergo & ista. Peccatur etiam παρερμηνεία verborum Apostoli, quæ optimè exponit *Oecumenius* ὅτι εἶπε, θεμέλιος ὑπόκεινται οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι, & post dicit, id esse ἐπάνω προφητῶν καὶ ἀποστόλων οἰκοδομεῖσθαι. Gemina habet *Theophylactus* in hunc locum, ὥσπερ ἂν εἰ ἔλεγε, θεμέλιος ὑπόκεινται οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι. Et sanè nihil aliud innuere voluit Apostolus, nisi doctrinam Vet. & Novi Testamenti esse fundamentum fidei Ecclesiæ Ephesinæ, unde tum de *Prophetis* loquitur, tum de *Apostolis*, adeoque de Prophetis, qui Veteris Testamenti corpus constituunt, non

de Spiritibus fanaticis sequiorum temporum. Ubi simul etiam indicatur consensus Veteris & Novi Testamenti, & docetur unum idemque δῆμ... esse Prophetarum & Apostolorum.

XII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, *testimonium* esse vocem *genericam*, & intelligi etiam posse de testimonio è cœlo per revelationem communicato, quo Deus voluntatem suam testari voluit populo suo, quale fuit Prophetarum olim à Deo in Testamento Veteri suscitatorum. 2. Per *negationem*, tale testimonium esse Enthusiastarum, cum prius conveniat cum lege, posterius haudquaquam. 3. Notum, per עדות עדות & תעודה μαρτύριον & τὰ μαρτύρια ordinariè designari verbum scriptum, quod docet pluries Psalmus CXIX. Id obseruauit apposité *Hieronymus* in hunc locum. *Si vultis nosse*, inquit, *quæ dubia sunt, magis vos legi & testimoniis traditæ Scripturarum.* Et sanè hoc dictum κατ' ἀντονομασίαν, revera enim Dei testimonium ἐξόχως testimonium est. 4. Peccatur *Elencho partium*, & *consequentiæ*, inspirationes & reuelationes cœlestes habuêre locum in Veteri Testamento: Ergo hodieque. At ibi erat tempus Prophetiarum, & Deus voluit tunc Ministerio Prophetarum uti conueniente statui Israelitarum, & se ostendere *per nubem, & per cancellos*: istam verò œconomiam ad Johannem duntaxat durasse, docet Dominus, Matth. 11. 13.

XIII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον quia Dominus Joh. 5. 39. remittit Judæos ad Scripturas, & eas de se testari dicit, vel sufficienter illæ testantur de Christo, vel non. Si id faciunt, non opus novis revelationibus; si id non faciunt, imperfectæ illæ sunt, nec Christus sufficienter illis ostendit viam sui agnoscendi. Adde, Christum non improbare Judæorum judicium, se in Scripturis & ex iis posse habere vitam æternam, sed isti fundamento superstruere argumentationem suam. Quid opus verò revelationibus aliis, si ex Scripturis possumus habere vitam æternam? Idque tantò magis hodie locum habet, ubi præter τὰ γραφὰ extantes tempore Christi habemus adhuc scripta alia θεόπνευστα Novi Testamenti ad majorem fidei nostræ ἀσφάλειαν. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *partium*, alia enim ratio scriptorum superadditorum, eorumq; θεοπνεύστων per Apostolos, alia ratio inspirationum fanaticarum gratis pro divinitus inspiratis obtrusarum: illæ enim etiam sunt γραφαὶ scrutandæ, quæ de Christo testantur, & quidem θεόπνευστοι & αὐτόπιστοι, revelationes verò fanaticæ non item.

XIV. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & argumentum duci *à genere ad speciem affirmativè.* Audiendi sunt Prophetæ: Ergo Prophetæ post ista tempora exstituri. At illi Prophetæ audiri jubentur, qui jam illo tempore exstabant, & quos fratres epulonis poterant consulere. 2. Peccatur παρερμηνεία verborum Domini, quippe qui nomenclatione τῶν προφητῶν non intelligit Prophetas consideratos προσωπικῶς, *personaliter*, sed πραγματικῶς, *realiter*, h. e. Scripta Prophetarum, quod patet ex nomine Mosis adjecto, quippe quod pari ratione non de persona sed de scriptis Mosis intelligendum esse, certum est, nec enim Moses amplius au-

diri poterat, jamdudum ante exstinctus, ut nec Prophetæ Testamenti Veteris, qui prophetaverant sub eius œconomia. Optimè itaque Theophylactus verba Domini sic interpretatur, ἡ τῶν γραφῶν ἐκ ἀσύμφορος, εἰδὲ νῦν ἐξ ᾅδου ἐρχομένοις πιστεύουσιν. Et subjicit usum διδασκαλικόν: νυῦ δέ, inquit, οὐδεὶς οὕτως ἀφρὴν, ὡς ἢ τὰς γραφὰς ἀκριβῶς ἔρευνα. Et paulò post, τῶν γραφῶν ὑγιῶς ἐρευνωμένων, οὐδὲν ἰσχύει ἕτερον βοηθεῖν, &c. Ταύταις οὖν πιστεύειν, καὶ μὴ ζητεῖν νεκρῶν ἀναστάσεις. 3. Κατὰ τὸ βίαιον hoc ipsum retorqueri potest: ut Deus noluit Lazarum audiri velut Prophetam extra Mosis & Prophetarum scripta, sic nec hodie inspirationes fanaticas extra Script. audiri vult.

XV. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, solam doctrinam ibi traditam, vel solas illas Epistolas pro Canone haberi à Paulo. At includuntur includenda, nimirum dogmatica alia à Paulo tradita & scripta homogenea & ὁμόθυσα, quibus iisdem de causis prædicatum illud convenit, immò doctrina quævis Pauli, adeoque & ista quam hîc tradit δογματικῶς, prout hoc Theodoretus Interpr. Epist. ad Galatas exponit: κανόνα, inquit, ἐκάλεσε τὴν προκειμένην διδασκαλίαν ὡς ὀρθότητι κοσμουμένην, καὶ μήτε ἐνδέον τι μήτε περιττὸν ἔχουσαν. Excluduntur itaque tantùm ea quæ *heterogenea* sunt, somnia nimirum & inspirationes fanaticæ & traditiones humanæ. Sic *Chrysostomus* optimè τὸν θεῖον νόμον τὴν ἀπόφασιν vocat ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα sub finem Homil. XIII. in cap. VII. secundæ Epistolæ ad Corinthios. 2. Canonis nomen Paulus sumit in significatu suo ordinario, nec causa solida dari potest, cur id negetur, adeoq; Scriptura vel Canon est credendorum & faciendorum, vel non: Si *prius*, Scriptura perfectè regulat & fidem & vitam Christianam: Si *posterius*, ne Canon quidem est, quippe qualis sine contradictione in adjecto imperfectus dici nequit, adeoque Canon non Canon.

XVI. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, hunc locum posse retorqueri, *sermo* enim *Propheticus* de quo ibi loquitur Petrus non est sermo *formaliter* sumptus, sed *materialiter*, non ῥηματικῶς, sed πραγματικῶς, relatus nimirum in scripta Prophetarum. Et προφητικὸς λόγος idem hîc est quod v. 20. sequ. vocat Petrus προφητεία γραφῆς, quæ non fit ἰδίας ἐπιλύσεως. Idem patet ex *prædicato* adjecto, nec enim attendi poterat Prophetarum Veterum *sermoni orali*, quippe qui jam dudum desierant esse in viuis, adeoq; non aliter illis attendi poterat, quàm dum attendebatur τῇ προφητείᾳ γραφῆς, hoc est, τῇ προφητείᾳ τῇ γεγραμμένῃ. Ideo verò mentionem facit *sermonis Prophetici*, quia Prophetæ prius sermone vaticinari solebant & docere, post scripto. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *paralogismo partium*, quia attendendum est sermoni Prophetico divinitus inspirato, & divino instinctu scriptis consignato: Ergo attendendum est fanaticis inspirationibus. Immò quia sermoni Prophetico attendendum est, κατὰ τὸ βίαιον, attendendum non est id genus inspirationibus, quum sermo Propheticus nos revocet ad *legem & testimonium*. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, verba Petri retorqueri possunt, opponuntur enim προφητικὸς λόγος, & σεσοφισμένοι μῦθοι de quibus egit v. 16. quales σεσοφισμένοι μῦθοι sunt fanaticæ inspirationes. Sic ibidem intelli-

intelligitur θεόπνευστία, quæ vera est, & à Deo habet ἐπίλυσιν, & negatur esse ἰδίας ἐπιλύσεως, vel ἐπιλύσεως, vel ἐπιλύσεως, sive *interpretationis*, sive *inspirationis*, sed divinæ. Fanaticæ verò inspirationes sunt ex ἰδίας ἐπιλύσεως non tantùm *subjectivè*, sed & *originaliter* vel *efficienter*. 4. Petitur τὸ ἀρχῆ, tunc φωσφόρον *Luciferum* exoriri in cordibus, quando fanaticæ id genus inspirationes jactantur, immò tum orietur ἡ ἡμέρα καὶ φωσφόρος, quando filii Dei transferuntur in patriam cœlestem nullo Sole egentem, & quando Deus cor eorum plenè illuminabit, Apoc.22.v.5. Et sanè quandiu fideles sunt in via & extra patriam, sunt ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ, & habent tantùm λύχνον φαίνοντα. Quamvis enim clarius splendeat ista lampas in Testamento Novo quàm in Veteri, lampas tamen semper est, & lucet in loco obscuro, & squalido τῷ λόγῳ ἀλαμπέως, *comparatè* ad istam communicationem luminis, gratiæ & gloriæ, quod nobis aliquando obtinget in cœlis in statu comprehensorum. Reliqua quæ ad κατασκευὴν hujus argumenti pertinent, exhibebuntur, faciente Deo, in sequentibus.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA

Κατασκευαστική,

DE

ENTHVSIASMO.

THESIS I.



A Ctum Disputatione superiore de Enthusiasmi nomenclatione, de statu controversiæ, & fundamentis ἀπίχοις *affirmativis* sententiæ Orthodoxæ, sequuntur fundamenta ἄπιχα *negativa*, non esse hærendum aliis principiis extra & præter Scripturam Sacram.

II. Fundamenta ista sunt, *prohibitiones* disertè, quales inter alia exstant locis Deut.5.32. & 12.32. ubi prohibet Deus non tantùm ne præceptis à Mose quicquam detrahatur, sed etiam *ne* quicquam iis *addatur*. Sic Christus caveri vult Pseudoprophetas, Matth.7.25. Matth.24.11.24. & Marc. 13.22. Sic Gal.1.8. ne Angelo quidem è cœlo vel Apostolo aliud Euangelium annuntianti credendum edicitur. Sic Apoc.22.18. omnis additio ad Scripturam sub gravi anathemate prohibetur. Sic 2.Thess.2.2. Apostolus prohibet ne Thessalonicēses patiantur se turbari per *Spiritus*, nec per verba. Sic 1.Tim.1.4. prohibet idem, ne attendatur Spiritibus deceptoribus, 1.Ioh.4.1. Nec omni Spiritui credendum, sed probandos esse Spiritus.

III. Accedunt auctoritates Ecclesiasticæ. Sic *Tertullianus* adversus Hermogenem, c.22. à Script. *negativè* argumentatur. *Si non est scriptum, timeat, væ illud adjicientibus & detrahentibus destinatum* Et *Cyrillus Hierosolymitanus* Catech. 4. μηδὲ τὸ τυχὸν sine Scripturis tradendum. Et *Hieronymus* in Matth.23.

Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate, contemni qua probari. Et *Basilius*, μηδὲν ἄτερ γραφῆς vel docendum esse vel definiendum. Et *Theodoretus* Dialogo II. profitetur, se non ita audacem esse, ὥστε φάναι τι σεσιγημένον παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ.

IV. Adde, in puriore *antiquitate* pessimè audiisse omnes illos, qui præter & extra Scripturas prophetias comminiscebantur & revelationes & ecstaseis, & originem enthusiastarum tantùm ad infames auctores referri. Sic *Cerinthum* fanaticorum id genus Patriarcham revelationes confingentem introducit *Theodoretus*, in Epit. Hæret. Fab. cap. 3. οὗτος, inquit, ἀποκαλύψεις τινὰς ὡς αὐτὸς τεθεαμένος ἐπλάσατο, & multa, ut egregiè ibidem loquitur, [illegible]. Sic *Irenæus* docet lib. I. adversus Valentinum & similium hæreses cap. 9. *Marcum Valentinianum* insignem magum & impostorem dæmonem quendam assessorem habuisse, per quem & ipse prophetare ac vaticinari videretur, & mulieres quas dignas putabat, ut participes fierent gratiæ ejus, vaticinari fecisse, & mulieres id genus ausas fuisse delira loqui, utpote ab inani Spiritu calefactas, & hinc tales se ipsas prophetissas putasse. Tales spiritus notat *Irenæus* putidos & invalidos esse, audaces verò & impudentes, ut qui à Sathana emittuntur ad deceptionem ac perniciem eorum, qui non firmam fidem, quam ab initio per Ecclesiam acceperunt, custodiunt Hæreticorum istorum deliramenta sequutus fuit *Montanus* οἰστρηθεὶς ἔρωτι φιλαρχίας, ut habet *Theodoretus* Epit. Hæret. Fab. lib. 3. cap. 11. ex mera ambitione eminendi præ aliis, qui dogmata sua ex paracleti Spiritus sui instinctu profecta esse gloriabatur, & enthusiasmos jactabat ac revelationes. Ascivit ille sibi Priscillam & Maximillam προφήτιδας, *Prophetissas*, quarum scripta vocavit προφητικὰς βίβλους, & earum prophetias ὑπὲρ τὰ θεῖα Εὐαγγέλια in honore habitas fuisse ibidem commemorat. Hinc nata Cataphrygarum & Pepuzianorum hæreticorum nomina, quod Montanus ex ignobili Phrygiæ vico oriundus esset, & Pepuzam vicum Hierosolyma vocaret. Vide *Augustinum* Catal. Hær. ad Quod vult Deum, Num. 26. & 27. Iidem etiam *spirituales* ob paracletum istum quem jactabant dicebantur, & reliquos vocabant *Psychicos*, *animales* quod à nugis id genus alieni essent. De his vide *Eusebium* Histor. Eccles. lib. v. cap. 15. ubi ostendit Ecclesiam in Ponto fuisse ὑπὸ τῆς νέας ταύτης, οὐχ ὡς αὐτοί φασι, προφητείας, πολὺ δὲ μᾶλλον, ὡς δειχθήσεται, ψευδοπροφητείας ἐκτεθρυλλημένην, & pariter notat ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας istis commentis dedisse occasionem, & ea occasione motum Montanũ cepisse πνευματοφορηθῆναι, & ἐνθουσιᾶν, & hanc κατοχείας μέθοδον ad alios derivatam fuisse. Ibidem docet *Theodotum* quendam, de quo etiam agit *Theodoretus* Epit. lib. II. cap. 5. fuisse τὸ πρῶτον τῆς κατ' αὐτοὺς λεγομένης προφητείας οἷον ἐπίτροπόν τινα. Prophetas id genus *Tertullianus* primò graviter perstrinxit libro de Præscript. adv. Hæret. c. I. II. Postmodum tamen fatali quodam casu ad Montanistas ipse delapsus de Ecstasi libros aliquot scripsisse dicitur ab *Hieronymo* in Cat. Script. Illustr. idque defendendis Montanistarum ecstasibus: immò eo prolapsus fuit, ut plus ferme Montano tribueret quàm

Spi-

Spiritui S. Eandem insaniam insanivêre *Circumcelliones & Donatistæ*, qui apparitiones etiam & visiones sive vigilantium sive dormientium furoribus suis prætexuêre. His accenseri possunt *Euchitæ* veteres *Messalianorum* propago, qui & *Enthusiastæ* vocati fuêre, ut qui dæmonis vim Spiritus S. esse opinarentur. Vide *Theodoretum* Epit. Hæret. Fab. lib. IV. cap. XI. *Epiphanium*, Hær. XLVIII. & XLIX. & Hæresi LXXX. & *Philastrium*, Hæres. XLIX.

V. *Exc.* 1. Deut. 5. 32. & 12. 32. additamenta prohiberi non profecta à Deo, adeoque non Prophetias θεοπνεύστους aliàs reliquorum Prophetarum & Novi Testamenti Scriptorum libros simul prohiberi. 2. Pseudoprophetas omnino caveri debere secundùm edictum Christi, Matth. 7. 15. sed qui lupi sint rapaces & malos fructus ferant. Sic Pseudoprophetas in fine seculi exorituros duntaxat damnari Matth. 24. 11. & qui signa ac miracula jactarent ad seductionem electorum, v. 24. 3. Gal. 1. 8. prohiberi tantùm, ne aliud Euangelium annuntiantes audiantur, tales verò esse illos, qui evertunt doctrinam Euangelii, per enthusiasmos autem verum Euangelii sensum & spiritualem ejus intellectum duntaxat aperiri. Nec verò Scripturam aliter quàm spirituali intellectu intelligi debere. 4. Additionis prohibitionem Apoc. 22. 18. tantum referri ad librum Apocalypseos, ne illi attexerentur alia quasi Johanni revelata, quæ illi tamen revelata non forent. Nec magis isti sanctione prohiberi Propheticos motus & raptus quàm alios modos vel Scripturam sanctam vel Dei voluntatem exponendi. 5. Prohiberi 2. Thessal. 2. 2. Spiritus erroneos circa ultimam diem judicii. Sic ibidem addi, ne patiantur se turbari Thessalonicenses *per Epistolam*, hac ratione proscribendos etiam esse libros Canonicos alios extra hanc Epistolam. 6. Spiritus quidem deceptores esse cavendos, secundùm monitum Apostoli 1. Tim. 1. 4. sed non omnes spiritus esse deceptores, minimè verò illos qui doceant verum sensum literæ Scripturæ, ut quæ sit *mortua* immò *mortifera*, & tantum *ministerium mortis*, 2. Cor. 3. 6. 9. 7. Se probationem spirituum non subterfugere, sed Spiritum propheticum non nisi à prophetis diiudicari posse, quibus solis sint subjecti, 1. Cor. 14. 32. Eo ipso etiam quia probandi sint Spiritus, 1. Joh. 4. 1. eos ex mero præjudicio non esse rejiciendos statim, vel damnandos. 8. Antiquitatis Ecclesiasticæ testimoniis standum non esse in negotiis religionis, multa afficta fuisse variis Viris sanctis, multa in alium sensum detorta. Alia à multis ex illis dogmata tradita, alia à se tradi. *Tertullianum* etiam, Scriptorem inter celeberrimos, tandem agnouisse Spiritus motus extraordinarios, & revelationes nec sperni debere nec rejici.

VI. Nequicquam verò etiam ista obtenduntur fanaticis id genus deliriis quæ levi opera confutari pôssunt. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, talia additamenta prohiberi Deut. 5. 32. & 12. 32. quæ à Deo profecta non sint. 2. Per *negationem*, fanaticorum somnia esse prophetias θεοπνεύστους. Immò κατ' ἀντίθεσιν, hoc ipsum retorquendum, quia enim ista deliramenta non sunt prophetiæ θεόπνευστοι, ideo non debent admitti pro talibus.

3. Peccatur *Elencho parium*, nec enim eadem ratio Prophetarum, sanctorum Dei virorum à Spiritu Dei inspiratorum, eadem fanaticorum id genus inspirationes mentientium.

VII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, pseudoprophetas caveri debere, adeoque κατὰ τὸ βίαιον, enthusiastas propheticum spiritum fingentes, qui se lupos rapaces variis seditionibus in Germania superiore & inferiore excitatis probarunt, quorum fructus fuêre innumerorum hominum miserorum seductio & strages. Nec opus alia demonstratione præter Munzeriani belli & Monasteriensis regni tragœdiam. 2. Per *concessionem*, Matth.24.11. de Pseudoprophetis in fine seculi exorituris sermonem esse, tales verò revera omnes illi fuerunt, qui superiori & nostro seculo revelationes jactarunt, in quæ tempora finis seculorum incidit, אחרית הימים, ὕστεροι vel ἔσχατοι καιροί, contradistincti temporibus superioribus, & post quæ nova œconomia exspectanda non est. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, jactant revera multi ex fanaticis istis signa, & miracula, omnes, visiones miras & inspirationes portentosas ad seductionem electorum.

VIII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, quia prohibentur, Galat.1.8. aliud Evangelium annuntiantes, prohibentur fanatici id genus, ut qui aliud Euangelium de *Christi persona*, de *origine naturæ humanæ* Christi, de *officiis*, & *beneficiis* ejus, & de *sacramentis* ab eo institutis docuêre, contrarium planè Euangelio à Paulo Galatis annuntiato. Nec opus hîc nisi συγκρίσει vel collatione Euangelii Paulini & Anabaptistici. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, per enthusiasmos verum Euangelii sensum & spiritualem ejus intellectum aperiri, immò pervertitur & evertitur, & spiritualis iste intellectus tollit veritatem dogmatum, quæ Scriptura tradit. 3. Distinguendus est intellectus spiritualis, alius enim est ἔμφυτος innatus Scripturæ, & ex ea eductus, alius παρείσακτος, *infartus* in Scripturam: priori modo intelligenda Scriptura non posteriori.

IX. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem* directè sanè referri clausulam illam prohibitoriam ad librum Apocalypseos. 2. Per *negationem*, verba ista καὶ ὁ ἐπιθεὶς μίαν non esse velut signaculum, & terminum revelationum διατακτικῶν, aliâs enim si aliæ posteriores fuissent διατακτικαί, & in eodem genere censendæ essent, nihil obstaret rebus Johanni revelatis alia addi, æquè revelata à Deo ac priora, adeoque *homogenea*. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ὁμώνυμον & *parium*, alia enim ratio est motuum vel raptuum fanaticorum alia legitimorum modorum exponendi Dei voluntatem, vel Scripturam. Et supponitur τὸ κρινόμενον, istum modum per raptus enthusiasticos esse legitimum, Illa verò expositio demum admittenda, quæ Scripturam exponit ex Scriptura, & secundùm *analogiam* fidei.

X. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, prohiberi, 2.Thessal.2.2. Spiritus erroneos circa ultimum diem judicii. At gemina commenta finxêre fanatici multi de regno Christi, ejus adventu, instauratione seculi, & aliis id genus. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, si Epistolæ proscribantur, quibus doctrina contraria doctrinæ Pauli tradatur, super die domini, qua turbentur conscientiæ, alios libros Canonicos prohiberi,

vel de ista die non loquentes, vel loquentes conformiter doctrinæ Pauli. *Inst.* Sic etiam prophetias alias non debere rejici vel non loquentes de ista die domini, vel conformiter loquentes doctrinæ Pauli. *Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, id enim haudquaquam est in quæstione, an quævis prophetiæ debeant rejici, præsertim conformes doctrinæ Pauli, sed an fanaticæ inspirationes, gratis confictæ & contrariæ doctrinæ Pauli si non in hoc capite, saltem in aliis sint admittendæ pro divinis & αὐτοπίστοις. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Aliud enim est, aliquid non rejici ut verum & verbo divino consentaneum, aliud, aliquid non rejici ut θεόπνευστον & αὐτόπιστον, atqui multa ἄγραφα sunt quæ tamen rejici non debent, utpote ex αὐτοπίστοις ducta & iis conformia.


XL. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ ῥητὸν, quia spiritus deceptores sunt cavendi, cavendi sunt enthusiastarum & fanaticorum spiritus, qui fidem semel traditam Sanctis vel solicitant temerè, vel subvertunt malignè. Nec enim nisi deceptores esse possunt, qui Spiritui Sancto vel contradictoria vel contraria affingunt, & in dogmata Canonica verbo scripto expressa incurrunt. 2. Per *concessionem*, verum sensum litteræ Scripturæ docentes non esse cavendos, sed audiendos potius & sequendos. Petitur verò τὸ ἐν ἀρχῇ, tales esse novorum Prophetarum Spiritus. 3. Peccatur ἀμφιβολίᾳ locorum 2. Cor. 3. 6. 9. ubi de *litera mortua* & *mortifera*, & de *ministerio mortis* sermo est, adeoque *ignoratione Elenchi.* Nec enim Apostolus loquitur de Scriptura, sed de fœdere operum, vel de pacto purè legali, quod est *imperativum* duntaxat, non *operativum*, *jubens* non *juvans*, merè *exactivum officii*, non verò *collativum beneficii*, destitutum quippe Spiritu sanctificante, adeoque in isto pacto *littera præcepti* reperitur nuda, velut in tabulis lapideis, sine *virtute operis*, faciens duntaxat ad convictionem & condemnationem hominis. Cui *fœderi veteri* opponit Apostolus *fœdus novum* quod dicit esse Spiritus, hoc est, *ministerium Spiritus*, vel conjunctum cum ministerio & virtute Spiritus operantis obsequium littera fœderis prioris exactum. Verba itaque *metonymica* distinguenda à *propriis*, *fœdus litteræ*, id est, legis, legis hærentis in nuda exactione officii littera legis præscripti, à *fœdere Spiritus*, hoc est, Evangelii, habentis vim conjunctam Spiritus. Illa *littera occidit*, non suo sed hominis vitio, quia incidit in hominem laborantem impotentia illa de qua loquitur Paulus, Rom. 8. 3. adeoque non præstanti officium nihil denuntiat nisi maledictionem, Galat. 3. 10. Istud, *fœdus nimirum Spiritus* vivificat, quia *remedium & offert & confert*, fidem in Christum exigendo, eamque per adjunctam Spiritus Sancti gratiam operando secundùm promissiones, Jerem. 31. 31. Ezech. 36. 25. & sic lex nuda sive fœdus operum merum dicitur esse *ministerium mortis*, *per accidens* nimirum, vitio hominis, *exigendo* tantùm cum rigore obsequium κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον suum, nec *conferendo* virtutem id præstandi, unde hominem necessariò in morte duntaxat & condemnatione relinquit. Et hæc notarunt jam olim *Theodoretus*, *Oecumenius*, & *Theophylactus*, ὁ γὰρ νόμος, inquit *Oecumenius*, γράμμα ἐστί, τὸ δὲ χειρόγραφ-

μὲν τοῦ θανάτου ἐπεφήμισεν· ἐπεὶ γὰρ καὶ ὁ νόμος πνευματικός, ἀλλ᾽ οὐ πνεῦμα ἐχα-ρίζετο· ὁ δὲ τοῦτο τὸ κήρυγμα. Et paulò pòst: ὁ νόμος ἀποκτείνει, ἐὰν γὰρ λάβῃ πλημμε-λοῦντα, κολάζει αὐτόν· τὸ δὲ πνεῦμα συγχωροῦν ταῖς ἁμαρτίαις λαμβάνον ἐν τῷ βαπτί-σματι ζωοποιεῖ. Appositissimè verò *Theodoretus*: ὁ νόμος τὸν ἁμαρτάνοντα κατα-ψηφίζεται, ἡ δὲ χάρις πάντας δεχομένη διὰ τῆς πίστεως δικαιοῖ, προσφέρει γὰρ τῷ θείῳ βα-πτίσματι, καὶ δωρεῖται τὴν ἄφεσιν. Et bene *Theophilactus* observat eadem esse, *lit-teram occidentem*, & *ministerium mortis*, ideò enim τὸ γράμμα ἀποκτείνειν, quia lex est ἐξουσία κατακρίνουσα, ὡς κολαστικὴ ἁμαρτίας. Et sic *occidere* dicitur *lex* Roman.7.11. *argutivè* nimirum & *declarativè*, declarando hominem esse reum mortis, eumque convincendo *demeriti* antecedentis, & *condemna-tionis* subsequentis.

XII. Ad 7. *Except. Resp.* 1. Per *concessionem*, Spiritus Prophetarum qui-dem Prophetis subjectos esse, falsum verò, ab iis solis eos dijudicari posse. Prius dicitur 1.Corint.14.32. non posterius. 2. Peccatur παρερμηνείᾳ loci istius, cujus sensus vel *relativè* spectari potest, & sive ad *antecedentia* referri, sive ad *consequentia*, vel *absolutè* secundum se. Ad *antecedentia*; Prophetarum nimirum extraordinariis charismatibus instructorum, Prophetias τῇ διακρίσει *judicio* aliorum obnoxias esse debere, ut habetur vers.29. quam-vis enim à Spiritu Sancto oriantur, fieri tamen posse, ut vel quædam obs-curius vel strictius alicui, clarius alii & amplius revelentur, vel etiam aliquid humani misceatur illis sive *explicandis*, sive *applicandis* quæ dicta-bantur à Spiritu, quorum διάκρισις erat necessaria. Si etiam verba ista referantur ad *consequentia*, sensus Apostoli erit, aliquos ex Prophetis istis non debere perpetuò loqui, sed etiam judicia aliorum subire, vel si plu-res simul inspirationes à Deo acceperint, alios debere aliis etiam locum facere, nec plures simul loqui debere, ut omnia fiant εὐσχημόνως & κατὰ τάξιν, 1.Cor.14.40. Hoc est quod notat *Oecumenius*, ἵνα μὴ τῶν δύο ἅμα προφητευόν-των σύγχυσις γένηται. Si verba ista *absolutè*, sine *relatione* ad *antecedentia* vel *con-sequentia* consideremus, sensus simplex esse potest, inspirationes illas Spi-ritus Sancti non semper *promendas* fuisse, sed *premendas* quandoque, do-nec Prophetæ isti à Spiritu Dei acti judicarint opportunum fore ædifica-tioni Ecclesiæ, eas divulgari. Et hoc est quod observat *Oecumenius*, Spiri-tum, h.e. χάρισμα πνευματικὸν subjectum esse Prophetæ, h.e. penes ipsum esse vel tacere vel loqui, & egregiè notat, *oppositionem* tacitam institui ab Apostolo ad gentilium ψευδομάντεις, qui post ἐνθεάσαν quamvis inuiti οἷα δαιμονῶντες, loqui cogantur etiam quæ nolint: Dei verò Prophetas, quam-vis illi revelationem aliquam consequuti fuerint, tamen tacere posse, & alii loquenti ex eodem Spiritu locum facere, ne ἀκαταστασία vel rixæ inde orirentur. 3. Ἐξαίρεσιν, ex mero præjudicio Spiritus non esse vel reji-ciendos, vel damnandos, sed *probandos*, post probationem verò & collatio-nem prophetiarum ab illis propositarum cum Scriptura, & analogia fi-dei vel admittendos, vel rejiciendos secundùm mandata, Johann.5.39. 1.Thess.5.21. & exemplum, Act.17.12.

XIII. Ad 8. *Exc. Respond.* 1. Per *concessionem*, antiquitatis Ecclesiasticæ testi-

testimoniis standum non esse, nec *primò* nec *præcipuè*, nec *oppositè* ad Scripturam Sacram vel *pari* sive reverentia, sive fide. Falsum tamen, nullam planè habendam esse rationem eorum quæ unanimi consensu ab antiquitate puriore explosa fuêre. 2. Ἔστωσαν etiam, multa multis affictа fuisse, multa detorta, sed peccatur falsa *hypothesi*, nec enim alios Prophetas explosos volumus, nisi quibus nihil affingitur, fanatici, sed quorum inspirationes falsi ex ipsa Scriptura arguuntur. 3. Ἔστω σοι etiam, multa alia dogmata, à veteribus fanaticis tradita esse, alia à novis, peccatur verò *ignoratione Elenchi* & *paralogismo à dicto secundùm quid*. Nec enim consensus in *dogmaticis omnibus* inter fanaticos veteres & recentes à nobis urgetur, sed in *aliquibus*, præsertim in dogmate de inspirationibus extraordinariis, extra & præter Scripturam, sive expectandis, sive pro norma credendorum aut faciendorum admittendis. 4. Gratis supponitur τὸ ἐν ἀρχῇ, *Tertulliani* ad Montanistas & eorum errores aliquot deflexum vel excusari debere, vel probari, adeoque nec ea quæ ex Sectæ istius institutis super hoc argumento docuit, nec enim Patrum nævi & ἁμαρτήματα, sed virtutes potius à nobis æstimari & commendari debent.



DISPVTATIO DECIMAOCTAVA

Κατασκευαστική,

DE

ENTHVSIASMO.

Thesis I.



ACTVM retrò de *Enthusiasmo* καθολικῶς, quoad argumenta ἄτεχνα sive *inartificialia*, & probatum, Enthusiastarum revelationes & inspirationes à Scriptura Sacra damnatas & à puriore antiquitate proscriptas fuisse velut fanaritas, & nullius commatis. Adjicienda jam *argumenta* quædam ἔντεχνα, sive *artificialia*, h.e. *rationes* eidem veritati probandæ. Distingui verò possunt in *ostensiva* & *apagogica*.

II. *Ostensiva* è multis aliis ista observari possunt. 1. *Arg.* Inspirationes, revelationes, & visiones, quas jactant Enthusiastæ, non sunt divinæ. Ergo non sunt admittendæ pro regula credendorum vel faciendorum. *Anteced prob.* 1. Quia sunt contrariæ divinis, v.g. in doctrina de Messia, & ejus regno, de origine naturæ humanæ Christi, de Pædobaptismo & Anabaptismo, & aliis id genus. 2. Quia sunt contrariæ sibi invicem, & aliæ alias evertunt, quod patet ex collatione dogmatum *Muntzeri*, *Davi-*

Davidis Georgii, Iohannis Matthisii, Iohannis Bukholdi Leydensis, Hermanni Sutoris, Melchioris Hoffmanni, Adami Pastoris, Henrici Nicolai, & *Valent. VVeigelii.* Verbum Dei verò habet dogmata consona & sibi per omnia consentientia. 3. Quia *nec à priori* probari potest, quod in illis fuerit ἀπόδειξις quædam πνεύματος καὶ δυνάμεως, 1.Cor.2. 4. Nec *à posteriori* quum nec in *genere dogmatico* vel pietatem promoverint erga Deum, vel charitatem erga proximum, sed utrique potius intercesserint, nec in *genere prophetico* enuntiârint verè futura, Esa..41.22.23.

III. *Exc.* 1. Dogmata ista contraria videri divinis, non esse, & niti partim verbis Scripturæ, partim rationibus ex ea ductis, dogmata verò nostra suis opposita esse contraria divinis, adeoque non divina. 2. Spiritum sibi libertatem relinquere quædam mutandi pro diversa temporum & circumstantiarum variarum ratione: sic quædam olim populo Dei præcepta fuisse, abrogata tamen per Christum & Apostolos. 3. Spiritus mensuram diversam dari Prophetis, minorem aliquibus, majorem aliis; uni plura revelari, alii pauciora; uni sublimiora, alii inferiora; uni litteram, alteri spiritualem sensum: Sic tacendum fuisse quibusdam Prophetis, Deo aliud quid revelante aliis, 1.Cor.14.30. 4. *A priori* probari posse divinitatem suarum revelationum, eas enim fundari in promissione Dei, Deum enim promisisse Spiritum Propheticum ultimis temporibus in quosvis effundendum, Joel.2.28. 5. Miracula non magis sibi esse necessaria ad probationem sui Spiritus Prophetici, quàm *Luthero*, *Calvino* vel aliis Ecclesiæ Reformatoribus. Nec in disputatione contra Pontificios nos miracula pro nota necessaria Doctorum admittere. Immò ne Prophetas quidem multos in Veteri Testamento miraculis prophetias suas obsignasse. 6. Per *accidens* pietatem & charitatem ab aliquibus inter suos non promoveri, non vitio revelationum, sed oppositionis, quam revelationes istæ experiantur in mundo. Pietatis etiam & charitatis officia non bene, vel cognosci vel definiri. Immò revelationes suas sequentes abstinere à multis operibus carnalibus, & regnum spirituale constituere, plenioremque ejus manifestationem promovere. Quum illi qui se opponant suis revelationibus opera carnis sequantur, nec de regno Spirituali sint soliciti. 7. Multa etiam à suis verè Spiritu Prophetico prædicta fuisse, quæ nostrorũ temporum Historia cõprobarit.

IV. Sed nec istæ *Exceptiones* tanti sunt, ut ob eas vadimonium nobis deserendum sit, ut patebit ex earum ἀνασκευῇ. Ad 1.*Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, dogmata fanatica aliquorum ex illis de Messia, de ejus regno, de origine humanæ naturæ Christi, & alia id genus non esse contraria divinis. Atqui negant Jesum esse Christum, quod fecit *David Georgius*, illi sunt mendaces, 1.Ioh.2.22. adeoque non ex Deo: Sic regnum Christi carnale & Epicureum in externo splendore & delitiis consistens & ἀντίγραφον est & ἄλογον, & sapit fabulas Judaicas, quibus contradicunt inter alia loca Luc.17.20. Johan.18.36. Doctrinam fanaticorum istorum circa Pædobaptismum & Anabaptismum contrariam esse Dei verbo, infra

suo

loco, faciente Deo, demonſtrabitur. 2. Dogmata ſuis oppoſita ἀντίχαφα eſſe & contraria divinis, eſt τὸ ἐμφιβαλλόμενον, quod probandum, non ſupponendum.

V. Ad 2. *Except. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, vel *quatuor terminis*: verùm quidem, Spiritum Sanctum quædam mutata voluiſſe in *genere rituali* & aliis quibuſdam ei annexis, falſum, eum quædam mutata voluiſſe, in *genere morali*. At de iſto ſermo eſt, non de illo. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ὁμοίως, & *parium*: alia enim Chriſti & Apoſtolorum authoritas, munus aliud, à fanaticorum iſtorum munere non verò, ſed putativo, vel præſumpto.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim quæſtio eſt, an Spiritus menſura diverſa ſit, μέτρον enim illud δωρεᾶς varium fuiſſe omni ævo, & aliis plura & majora, aliis pauciora & minora indulta fuiſſe, ἀναμφίλεκτον eſt. 2. Supponitur τὸ ἐν ἀρχῇ, revelationes & inſpirationes peculiares quibuſdam hodieque dari, ſenſu fanaticorum. *Re* verò negata, negantur omnes *modi* rei. 3. Peccatur παρερμηνεία loci 1. Cor. 14. 30. & *ignoratione Elenchi*, nec enim Paulus ibi docet, contraria Prophetis eſſe reuelata à Spiritu, ſed tantùm innuit, confuſionem in chariſmatum illorum Spiritualium patefactione & uſu evitari debere, nec uni tantùm loquendum, ſed pluribus à ſpiritu inſpiratis, pro donis extraordinariis iſtorum temporum, nec unum debere impedire alium, quo minus ſuo loco & ordine etiam ea promat, quæ à Spiritu Dei ad communem ædificationem habeat. Alludit etiam ibidem Apoſtolus ad morem illum, quo ſurgebant & *ſtabant* prophetantes in Eccleſia, audientes verò *ſedebant*.

VII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, divinitatem revelationum fanaticarum probari poſſe à *priori*, aut eas fundari illa ratione in promiſsione Dei, Joel. 2. 28. Vindicias loci iſtius reſervamus ad ἀνασκευὴν, ubi oſtendemus ſermonem eſſe partim de miraculoſa Spiritus ſancti effuſione, quæ obtigit Apoſtolis in feſto Pentecoſtes, Act. 2. partim de majori lucis & cognitionis menſura, quæ debebat obtingere fidelibus in Novo Teſtamento, ſine diſtinctione gentis, ætatis, ſexûs, vel conditionis.

VIII. Ad 5. *Except. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς per *conceſsionem*, miracula nec *univerſales* eſſe notas, vel *perpetuas*, nec *neceſſarias* vel Prophetarum, vel Paſtorum extraordinaria etiam ratione ſuſcitatorum à Deo, ut vel ex ſolo Johannis Baptiſtæ exemplo conſtat, Johan. 10. 41. 2. Ἀρνητικῶς per *negationem*, de eo hic agi. Objectio verò propoſita non de miraculis agit, ſed tantùm de virtute illa ſingulari, qua Deus prædicationem ſervorum ſuorum extraordinariorum comitatus fuit, quæ ſe exeruit partim per *convictionem*, partim per *converſionem* plurimorum. *Inſt.* Ejuſmodi δύναμιν viſam fuiſſe in magno ſectatorum numero quos ad ſe enthuſiaſtæ multi traxerunt. *Reſp.* τὸ ἐν ἀρχῇ, nec enim ſimpliciter argumentum ducendum ex numero ſectatorum, aliàs enim & Theudas & Judas Galilæus fuiſſent veri prophetæ, Actor. 5. 36. 37. & Muhammedes aliique plani & im-

postores. Ἀπόδειξις verò *πνεύματος* & *δυνάμεως* ſpectatur in potente & efficaci operatione Spiritus ſuper conſcientiis, quæ & ſancta ſit & utilis, quæque non abducat à Deo, ſed adducat ad Deum, & conſcientiis veritatem inſpiret ac ſanctitatem. Qualis ἀπόδειξις haudquaquam data fuit in Sectariis fanaticorum iſtorum Prophetarum.

IX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Supponi falſum, & τὸ ἐν ἀρχῇ, vel *per accidens* tantùm pietatis & charitatis officia non fuiſſe promota per Prophetas iſtos, vel hoc imputandum eſſe oppoſitioni, quam experti fuerint in mundo, & non potius naturæ ipſius doctrinæ à Prophetis iſtis traditæ. Immò verò licentiæ, libertatis Chriſtianæ obtentu, prædicatio, ſeditionum & graſſationum excitatio, jugi Magiſtratus excuſsio, & communionis bonorum, *polygamiæ* etiam *ſimultaneæ* ſuggeſtio, aliaque id genus *per ſe* pietatis æquè ac charitatis officiis contraria fuêre. 2. Pietatis & charitatis officia à nobis vel non bene cognoſci, vel non bene definiri, ſupponitur non probatur. Immò μόρφωσις pietatis quam in fimbriis veſtium & aliis id genus oſtentavêre fanatici quidam, ſpeciem pietatis habet, virtutem ejus non item. 3. Gratis dici, vel fanaticorum iſtorum ſectatores abſtinuiſſe ab operibus carnalibus, vel regnum Spirituale ſive conſtituiſſe, ſive promoviſſe. Contrarium docent & carnificina exercita à Munzerianis, & horrenda flagitia à Monaſterienſibus olim fanaticis patrata, inſtructâ ſplendida ſpiritualis regni ſcenâ, ad merum ludibrium compoſitâ. 4. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim de *religioſorum* ſed de *religionis* genio hîc quæſtio eſt, nec de *vitiis* aut ἀτόμων vel *docentium* vel *diſcentium*, ſed de *natura* ipſius *doctrinæ* traditæ, quæ in noſtris Eccleſiis, per Dei gratiam, pura traditur & illibata. Adde, vitia quidem in Eccleſiis noſtris reperiri, ſed coerceri & reprimi, haudquaquam verò vel probari vel tolerari.

X. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, & revelationes eventuum futurorum eorumque prædictiones jactari, non probari. 2. Supponi falſam *hypotheſin*, prædictiones omnes futurorum propheticas eſſe, vel ἐκ τοῦ θείου, ſunt verò multæ etiam δαιμονόπνευστοι, multæ *naturales*, multæ *conjecturales*, multæ *caſuales*. multæ *ambiguæ* & meri cothurni, quales plurimæ inter gentiles ab oraculis & vatibus variis Diaboli emanavêre, qui in verorum etiam Prophetarum numerum referendi eſſent, ſi ex futurorum quorundam prædictione argumentum ducendum foret.

XI. II. *Argumentum oſtenſivum* eſt: Revelationes Enthuſiaſtarum impiæ ſunt & blaſphemæ. Ergo nec poſſunt nec debent eſſe norma vel credendorum vel faciendorum. *Antec. prob.* inductione aliquot dogmatum è congerie multorum aliorum: *In Schola gratiæ à mente uniri realiter duo contradictoria. ut ambo ſimul & ſemel & abſolutè vera ſint: In Principes nullo diſcrimine in perum eſſe faciendum: Pluralitatem ſimultaneam uxorum eſſe licitam: Deum æternum habere carnem: Deum ex ſe ſibi vxorem feciſſe, è qua filium procreârit. Deum externa peccata non curare: Senſum litteralem Scripturæ eſſe Anti-Chriſtianum: Noſtrum Chriſtum eſſe Anti-Chriſtum, & hominem peccati: Officium Chriſti concer-*

nere

tere solum Novum Testamentum, Mariam Virginem esse fœtidam Sambucum, Christum non esse natum ex Maria: Baptismum nostrum profanum esse: Adamiticam carnem non esse capacem remissionis peccatorum. Inter impedimenta regenerationis esse verbi divini auditionem, concionum publicarum frequentationem, & Sacramentorum usurpationem: Omnes immediatè n n vocatos esse ineptos ad ministerium: Non esse concionandum in templis: Infernum esse in cœlo & *cœlum* esse *in inferno, cœlum* etiam & *infernum unum esse: Matrimonia superioris ætatis habenda esse pro scortatione & adulterio:* Dogmata id genus Munzero, Monasteriensibus, Paracelso, Weigelio, aliisque fanaticis placuêre, ut patet ex *Sleidani, Lamberti Hortensii, Paracelsi,* & *VVeigelii* aliorumque id genus fanaticorum scriptis. Quibus accenseri possunt horrendæ *Davidis Georgij* blasphemiæ, quæ pias mentes dant in stuporem, & sine horrore recenseri non possunt. 1. *Doctrinam à Deo per Mosen, Prophetas, Apostolos & ipsum Christum traditam, esse imperfectam & inutilem ad veram felicitatem consequendam: suam perfectam & efficacem ad hominem beandum:* 2. *Se verum Christum & Messiam esse, natum non ex carne, sed ex Spiritu Sancto & Spiritu Christi Iesu, qui Spiritus Christi, carne ejus in nihilum redacta, sibi totus sit traditus.* 3. *Se salutem tribuere posse & condemnare, & se extremo judicio totum mundum judicaturum esse.* 4. *Se Christo esse majorem, ex muliere quippe in carne nato, se verò ex Spiritu sancto cœlestem Christum natum.* Quæ & alia id genus φρικτὰ μυστήρια ex portentosi istius καθάρματος blasphemiis variis à Theologis Basileensibus excerpta fuêre.

XII. *Exc.* 1. Hæc dogmata aliquorum tantum esse non omnium, suis itaque auctoribus ista imputanda esse, non aliis. 2. Non omnia ista dogmata vel impia esse vel blasphema, v.g. de Maria Virgine, de origine humanæ naturæ Christi, de baptismo nostro infantibus collato.

XIII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*: suis ista auctoribus, & solis quidem imputanda esse, nec aliis impingenda, qui easdem blasphemias vel impietates nec docent, nec excipiunt. 2. Per *negationem*, inde non constare, qualis sit enthusiasticus iste Spiritus, nimirum, illum haudquaquam ex Deo esse, sed ab hoste potius eorum qui Dei sunt & à Deo.

XIV. Ad 2. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, dogmata ista impia non esse. Aliter enim Scriptura de Maria loquitur Luc. 1. 23. & illam ut κεχαριτωμένην proponit, *cum qua Dominus* sit, quæ *benedicta* sit *inter fœminas*: Aliter etiam loquitur de origine humanæ naturæ, quâ negatâ concidit & fides & spes omnis Christianorum. Aliter etiam de baptismo nostro, quamvis infantibus sæpe collato, sentiendum esse, demonstrabitur suo loco cum plenis ad *Exceptiones* Adversariorum vindiciis.

XV. Argumentis *ostensivis* ista *apagogica* adjici possunt: 1. Per revelationes Enthusiastarum convellitur ordo Ministerii. 2. Confunduntur gradus in Ecclesia Christiana instituti. 3. Evertitur ἀσφάλεια fidei. 4. Porta aperitur quibusvis planis, impostoribus eorumque hæresibus & erroribus. 5. Deus redditur auctor ἀκαταστασίας, nec omnia fiunt in Ecclesia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1. Corinth. cap. 14. vers. 33. & 40. Ergo non possunt esse regula nec credendorum nec faciendorum. *Anteced. prob.*

1. Quia licentiam dant unicuique Ministerium, quod paucorum, & singulari ratione vocatorum est, occupandi. At nemo prædicare debet nisi qui missus sit, Roman. 10. 15. & quem Deus dedit vel Pastorem vel Doctorem, Ephes. 4. 11. 2. Quia ut Deus *Ecclesiarum* aliam vult esse *docentem*, sic etiam vult esse *discentem*, alios prædicare, alios audire, & prædicare quidem eos, quibus impositæ manus, & qui ad munus docendi vocati fuêre. Nemo enim sibi ipsi hunc bonorum arrogare debet, sed is qui vocatus est à Deo instar Aaronis, Hebr. 5. 4. 3. Quia licentiâ istâ datâ natæ fuêre olim hæreses & schismata, altaria structa fuêre contra altaria, & Ecclesia variè turbata fuit, hodieque iisdem incommodis objici potest. Sic olim per Pseudoprophetas fuit turbata Ecclesia Israelitica, per Pseudoapostolos Christiana nascens, per *Montanum* & & alios id genus fanaticos Ecclesia adolescens, per *Muhammedem* adulta magis, qui & ipse raptus & suggestiones Spiritus Columbæ specie, in aurem sibi loquentis, mentitus fuit, & sic magnam Orientis partem commentis suis occupavit ac seduxit.

XVI. *Exc.* 1. Enthusiasmis correptos, *missos*, esse à Deo, & singulari quidem ratione, adeoque audiendos, nec ab iis ordinem Ministerii convelli, sed augeri duntaxat & dilatari. Aliâs coarctari motus Spiritus S. & prærogativæ Novi Testamenti intercedi. 2. Non tantùm *Pastores* & *Doctores* à Deo ordinarios datos dici, sed & extraordinarios, *Prophetas* & quidem sub Oeconomiâ Novi Testamenti, Ephes. 4. 11. Tales itaque audiendos. 3. Non quibusvis inspirationes vel revelationes cœlestes obtingere, & *Ecclesiam discentem* semper *restare*. 4. Vocationem per *impositionem manuum* non esse vel perpetuam, vel absolutè necessariam, & distinguendam esse vocationem *ordinariam* & *extraordinariam*, ad illam impositionem manuum adhiberi, ad istam non item, & satis esse Spiritum Dei irruere in aliquem, vel verbum Dei fieri ad aliquem, quod olim contigit Prophetis. 5. Enthusiastas non sibi ipsis hunc honorem arrogare, sed vocari à Deo immediatè per istas inspirationes, instar Aaronis Hebr. 5. 4. Adeoque hoc ipsum retorqueri posse κατ' τὸ βίαιον. 6. Libertatem prophetandi distinguendam esse à licentia. Per *accidens* etiam ex optimis institutis pessima posse fluere, non *rei* ipsius *vitio*, sed *hominum* iis *abutentium*. Id verò intercedere non debere inspirationibus divinis, quæ *per se* ad bonos fines ordinentur, etiamsi per *accidens* aliò interdum convertantur. Sic ministerio ordinario etiam *per accidens* abusos fuisse & Prophetas & Sacerdotes multos. Mirum itaque non esse, hodieq; inspirationibus quosdam abuti.

XVII. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Enthusiastas à Deo missos esse. 2. Supponitur, ordinem à Deo institutum augendum esse vel dilatandum, satius servetur id quod est divinæ institutionis. Supponitur etiam augeri vel dilatari per Enthusiastas, immò convellitur is potius, & evertitur, dum non vocati eorum locum occupant, qui vocati sunt. 3. Motus Spiritus S. sic coarctari, dicitur etiam, non docetur.

XVIII. Ad

XVIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, Prophetas etiam à Deo datos dici, & quidem sub Oeconomia Novi Testamenti, Eph. 4. 11. Distinguenda verò periodus *Ecclesiæ* istius *nascentis* à periodo ejusdem *adultæ*. Sub illa locus fuit Prophetis quibusdam, extraordinariis charismatibus à Deo instructis, de quibus quandoque sermo in Scriptura Novi Testamenti: Sub ista non item; Obseruauit id apposite *Theodoretus* in hunc locum: τότε, inquit, κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ὡς πολλάκις ἔφην, προφητικῆς ἠξιωμένοι χάριτος, & Agabi Prophetæ, aliorumque qui prophetabant Antiochiæ mentionem facit. 2. Per *negationem*, Enthusiastas Prophetarum istorum nomenclatione designari. Illi habebant immediatè inspirationem divinam, isti mentiuntur, illi ab Apostolis agnoscebantur pro Prophetis à Deo datis, isti pro talibus agnosci nec debent, nec possunt, illi prophetabant conformia Scripturæ propheticæ, isti non item. Peccatur itaque *Elenchoparium*, & παρερμηνεία istius loci.

XIX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, quia non quibusvis obtingunt inspirationes & revelationes cœlestes, à quibusvis fingi non debent. 2. Supponitur *falsa hypothesis*, aliquibus adhuc hodie obtingere revelationes vel inspirationes propheticas, quod est πρῶτον ψεῦδος, quum clausa hodie sit prophetia, & nobis attendendum sit τῇ προφητείᾳ γραφῆς, 3. Κατὰ τὸ βίαιον, quia Ecclesia discens semper restat, ii qui sunt in Ecclesia discente haudquaquam se ingerere debent in munus Ecclesiæ docentis.

XX. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, vocationem per *impositionem manuum* non censeri debere necessariam ad vocationem extraordinariam, quippe quæ non necessaria erat ad munus vel Propheticum sub Veteri, vel Apostolicum sub Novo Testamento. 2. Per *negationem*, vel vocationem extraordinariam Cerdones, κωμινοσφίκας, fullones, & alios id genus habere, vel Spiritum Dei in eos irruere, vel verbum Dei prophetarum instar ad eos factum esse, quæ omnia petunt τὸ ἐν ἀρχῇ. Alia enim fuit Oeconomia Veteris, alia est Novi Testamenti, alia *Ecclesiæ* Christianæ *constituendæ*, alia *constitutæ*. Prophetæ olim verbum ad se factum, & Spiritum Dei in se irruisse docebant characteribus variis, tum Majestate revelationum, tum sanctitate dogmatum, tum luminis prophetici evidentia sese per prædictionem futurorum exerente, quales characteres haudquaquam exstant inter fanaticos istos prophetas, sed contrarij potius.

XXI. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Supponi, non probari, enthusiastas vocari à Deo instar Aaronis, quod est πρῶτον ψεῦδος. Ille immediata Dei voce ad munus sacerdotale designatus fuit; ut Christus ad τὸ τυπωθὲν, Enthusiastæ istam vocationem immediatam nec habent, nec probant, sed mentiuntur. 2. Βίαιον per βίαιον retorqueri debet, nec enim sufficit immediatam vocationem jactare, & asserere τὸ ἀμφισβητούμενον, quod docendum, non dicendum tantùm.

XXII. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Supponi denuò, enthusiastas licentiam prophetandi nō introducere. 2. Supponi, pessima illa non *per se* fluere ex istis enthusiasmis, sed *per accidens* tantùm, nō rei vitio, sed hominum duntaxat.

Atqui hâc licentiâ prophetandi datâ nemo est qui non raptum Spiritus mentiri, revelationes fingere, ordini in Ecclesia instituto obloqui, & dogmata bene constituta solicitare posit. 3. Peccatur *Elencho parium, &* παρὰ τὸ πῇ ἁπλῶς. alia enim ratio ministerii à Deo instituti omnium confessione, quale olim fuit propheticum & sacerdotale, alia ministerii nec instituti, nec probati, quale sibi arrogant Enthusiastæ.


Et hæc ad κατασκευὴν dicta sufficiant, Enthusiasmos nec admitti in Ecclesia Christiana posse, nec adhiberi debere velut normam sive credendorum, sive faciendorum. Disputationibus sequentibus subjiciemus; faciente Deo, ἀνασκευὴν argutationum præcipuarum quas Enthusiastæ ad causæ suæ defensionem adducunt.

DISPVTATIO DECIMANONA

Ἀνασκευαστική,

DE *ENTHVSIASMO.*

Thesis I.



A Ctum retrò de *Enthusiasmo* κατασκευαστικῶς, & sententia Orthodoxa adstructa *argumentis* partim *inartificialibus*, partim *artificialibus*, iisque tum *ostensiuis* tum *apagogicis*. Sequitur ἔνστασις, & examen præcipuorum fundamentorum sententiæ Enthusiastarum. Quæ pari ratione partimur in *inartificialia* & *artificialia*.

II. *Inartificialia* sunt loci varij Scripturæ sacræ qui videntur fauere nouorum istorum Prophetarum Patriarchis, eorumque tum *dogmati*, tum *praxi*. Præcipua sunt, 1. Spiritum propheticum promissum fuisse iam olim à Joele, effundendum super omnem carnem, & prophetaturos filios, & filias, seniores etiam somnia visuros, & iuuenes visuros visiones: Super servos etiam & super ancillas diebus illis effundendum Dei Spiritum, Joel. 2. 28. 29. Vel itaque propheriam istam vanam esse, vel dandum locum prophetiis, visionibus, somniis, & extraordinariis operationibus Spiritus Dei. 2. Similem prophetiam exstare Hos. 12. 11. *Loquens per ipsos Prophetas visionem multiplicabo, & per Prophetas ipsis proponam similitudinem.* 3. Miserrimum Ecclesiæ statum repræsentari per defectum Prophetarum, Psalm. 74. 9. 4. Accedere exempla ejusmodi prophetiārum extraordinariarum, etiam in Novo Testamento, Annæ Prophetissæ Luc. 2. 36. Agabi Actor. 11. 27. 18. & 21. 10. 11. Sic Actor. 13. 1. fuisse Prophetas aliquos Antiochiæ. Sic Iudam & Silam Prophetas commemorari, Act. 15. 32.

Sic

Sic aliquos alios prophetasse, Actor.19.6. Sic filias quatuor Philippi prophetissas fuisse & prophetasse, Actor.21.9. 5. Deum Prophetas instituisse in Testamento Novo, 1.Cor.12.28. Eph.4.11. 6. His Prophetis dici revelatum per Spiritum id quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum: Ergo talium prophetias spernendas non esse, minus insectandas, Ephes.3.5. 7. Prophetiam, & quidem aliquibus indultam non omnibus, disertè referri inter dona Spiritûs, 1.Corinth.12.9. æquè ac *sermonem sapientiæ, fidem, discretionem Spirituum*, & alia. Ista verò perpetua esse in Ecclesia: Ergo & illam. Nec hoc donum obtingere omnibus, sed singulariter dilectis & selectis à Patre, 1.Cor.12.27. 8. 1.Cor.14.5. Majorem illum ab Apostolo censeri qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, in conuentibus multos revelationes habuisse, & Apostolum tantùm velle, ut ædificationem adhibeantur, v.26. velle Apostolum, v.29. Prophetas loqui, & dicere, posse omnes sigillatim prophetare, v.31. Immò Paulum velle, ut ambiant fideles prophetandi donum, v.39. 9. Apocal.11. 10. duos Prophetas promitti, ut duos testes qui singularibus encomiis afficiantur, & vocentur duæ oleæ, & duo candelabra in conspectu Dei terræ posita: Qui sint prophetaturi, ex quorum ore sit proditurus ignis, & devoraturus inimicos eorum, qui habeant potestatem claudendi cœlum, &c. Et qui post mortem suam adhuc sint restituendi, & victores tandem exstitui i, ver.2. adeoque & omnes illi qui fidem illis essent habituri.

10. Sic Angelum testari, se esse fratrem Prophetarum, Apoc.22.9. Sanguinem etiam Prophetarum in Babylone inveniri, & singulari ratione ut preciosum Deo vindicari, Apoc.18.24.2. 11. & 1.Joh.5.8. *Spiritum* testificari in terra: Illum *spiritum* quicunque profitetur, Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo esse, 1.Joh.4.2. 12. Sic Paulum disertè commendare Prophetas & prophetias, 1.Thess.5.19.20. Spiritum non exstinguendum, nec prophetias pro nihilo habendas. 13. Sic Paulum meminisse illorum, qui *spiritu* loquuntur *mysteria*, 1.Cor.14.2. 14. Hos Prophetas esse *spirituales*, qui omnia dijudicent, 1.Cor.2.15. 1.Cor.14.37. Gal.6.1. Tot eximiis & prædictionibus & exemplis, & documentis de Prophetis Novi Testamenti in Scriptura S. exstantibus non tantùm iniquum, sed & impium esse, Prophetas & prophetias ac *inspirationes* priuatas simpliciter damnare & ex Ecclesia ejicere.

III. Quicquid verò obtendant *Enthusiastæ*, loca ista omnia (utut speciosè admodum à fanaticis commentis ac deliriis suarum reuelationum adstruendis adhibita) iis haudquaquam fauere ex ἀνασκευῇ & examine singulorum patebit. Ad 1. *Arg.* ex loco Joel.2.28.29. *Respond.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi* & παρερμηνείᾳ hujus loci, cuius sensus alius planè est ab illo, quem ei affingunt Enthusiastæ. Loquitur ibi Propheta de ὑπεροχῇ & prærogativa donorum Dei concedendorum sub œconomia N. Test. tum *intensiue*, quod Deus in ea sit *effusurus* lucem & gratiam suam, vers.28.&29. adeoq; eam indulturus magna copia & majore varietate donorum quàm sub Veteri, Joel.7.39. tum *extensivè*, quod Deus pluribus istud beneficium

concessurus sit, sine distinctione conditionis, sexus, ætatis. Quam prærogati 'am exponit Propheta verbis derivatis ab œconomia Testamenti Veteris, sub qua vigebant *Prophetiæ, visiones, somnia*, Deo se *immediatè* è cœlo per extraordinarias id genus revelationes tunc temporis patefaciente: Istâ phraseologiâ propheticâ itaque designatur abundantia lucis & cognitionis Dei, & profectus in ea, quæ & *quibusvis* inter gentiles obventura esset, & per *debilia instrumenta*, qualia sunt *filii, filiæ*, & per *contemptibilia*, qualia sunt servi & ancillæ, adeoque singulari quadam ratione multiplicanda ac diffundenda. Prout Prophetis in Veteri Testamento solemne est tum *officia* tum *beneficia* fidelium Novi Testamenti phrasibus id genus exprimere, quæ petuntur & ab *officiis* maximi pretii inter Judæos, & à *beneficiis* quæ populus ille carnalis maximè appetebat. Sic officia Novi Testamenti describuntur per *ascendere in domum, in montem Domini, suffitum & incensum & munus purum Deo offerre, Sabbatha celebrare, victimas mactare, accedere ad altare Domini, & alia id genus.* Sic *beneficia* sub eodem obventura fidelibus describuntur per *instaurationem Hierosolymorum, domus Dei*, per *restitutionem populi* ex *captivitate*, per *stragem hostium*, per *conversionem gladiorum in ligones, hastarum in falces*, & alia id genus. Variæ itaque ibi *antitheses* inter collationem Spiritus, veterem & strictam, & *effusionem* novam, inter Israelitas & *omnem carnem*, Act. 10. 45. inter prophetas, & *filios* ac *filias, servos & ancillas*, inter dies priores & *dies ultimos*, ἐσχάτας ἡμέρας, vel *fines seculorum*, 1. Cor. 10. 11. quo titulo designantur ימי המשיח *dies Messiæ*, post quos non erat secutura œconomia alia. *Prophetare* etiam, *visiones, somnia videre*, est Dei cognitionem singularem & supernaturalem habere, & ad alios diffundere, prout ii, quibus talia obtingebant sub Testamento Veteri, & ipsi abundabant cognitione Dei & eam diffundebant ad alios. 2. Præter sensum vaticinii istius *generalem*, habemus *specialem* ejus *applicationem* ex ore Petri ad effusionem miraculosam Spiritus S. super Apostolos, Act. 2. 16. 17. 18. Qualia *dona extraordinaria* v. g. *prophetiam* accepêre etiam *Agabus, filiæ Philippi, Ananias, Prophetæ* quidam *Antiocheni, Corinthii, visiones & somnia* Paulus Actor. 10. & 16. & Johannes in Apocalypsi. Et hoc est quod docet *Cyrillus Alexand.* Commentar. in Joelem & ostendit designari ἀμφιλαφῆ τὴν χάριν, quam Deus effuderit in discipulos suos potissimùm, quos præ aliis Spiritus Sancti dono oporteat καταγλαϊσθῆναι & velut καταχυνθῆναι *deaurari gratia*. Id verò contigisse diebus Pentecostes. Idem docet Theodoretus Comment. in hunc locum: τοῦτο δὲ, inquit, ἀκριβῶς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς πεντηκοστῆς τὸ πέρας εἴληφε. Cum his conjungit *Agabum* & *Prophetas* tum *Antiochenos* tum *Corinthios*, & *filias Philippi*. Meminit quidem *Theodoretus* in sequentibus, donum hoc ad sua usque tempora conservatum fuisse, sed hoc restringit ad meras prædictiones de futuris, illos multa e futuris & προγινώσκειν. & προλέγειν & habere καθαρὸν τῆς διανοίας τὸ ὀπτικόν. Quæ non cadunt in fanaticos istos, quibuscum nobis negotium.

IV. *Exc.* Sic complementum dari non posse integrum istius prophetiæ. Non enim de aliquibus duntaxat sermonem esse, Joel. 2. 28. 29. sed de

omni

omni carne. Hoc verò non impletum legi, Actor. 2. nec de somniis & visionibus & spiritu illo servorum & ancillarum quicquam legi. *Respond.* 1. Peccari *falsa hypothesi*, verba ista *ad litteram* de visionibus & somniis intelligenda esse, & non sensu à nobis exposito, de abundante luce & cognitione Dei diffundenda in Novo Testamento super quosvis, cujuscunque illi dignitatis sint & conditionis, seu parvi, seu magni, servi & liberi, barbari & Scythæ, ut notat *Cyrillus.* Haudquaquam itaque verba ista vexanda ad *litteram*, & *syncategorema* universale intelligendum ex mente Prophetæ, & stylo Scripturæ. 2. Κατὰ τὸ ῥητὸν, si hoc intelligendum sit *absolutè* de omnibus, etiam *ancillis* & *servis* ad litteram, nihil habebunt eximii novi Prophetæ isti præ auditoribus suis. Immò falsa hac ratione erit prophetia Ioelis, nec enim complementum istud in tali hominum genere, in cœtibus etiam fanaticorum istorum, repertum fuit. Immò Patriarchæ isti alios planè ex nutu suo pendere voluere, ne libertate quidem contradicendi illis permissa, quod ex *Monasteriensium* & *Davidis Georgii* & aliorum praxi patet.

V. Ad 2. *Argumentum* ex loco Hos. 12. 11. *Respond.* 1. Συγχωρητικῶς, per *concessionem*. Demus, sermonem esse de *tempore futuro*, nihil aliud inde sequitur, nisi Deum se posteris Ephraimitarum patefacturum per servos suos, quos describit pro stylo Testamenti Veteris *prophetarum, visionum*, & *parabolarum* mentionem injiciendo. Quid verò hoc ad Patriarchas Enthusiastarum? Deus promisit Ephraimitis Prophetas, visiones, parabolas: Ergo Enthusiasmos istos intellexit, quos jactant fanatici. Nihil verò obstat, si verba ista sumantur per *modum promissionis*, quo minus referantur ad patefactionem Dei per Christum, & Apostolos, quæ sequi debebat in Novo Testamento, majori ibi lucis & communicationis mensura indulta. 2. Ἀρνητικῶς, per *negationem*, verba enim Hebræa, non de *futuro* loquuntur, sed de *præterito*, דברתי *loquutus sum* super Prophetas, vel ad Prophetas, הרביתי *multiplicavi* visionem, respiciendo ad *ministerium* Prophetarum suorum *antecedens* istam prophetiam, quod concesserat Ephraimitis, ut patet ex collatione cap. 6. v. 5. non verò ad *ministerium* ista tempora *secuturum*. Et sanè, quum Propheta ibi σχετλιαστικῶς loquatur, & gravissimorum criminum reos peragat Ephraimitas, continent verba illa potius *inculcationem criminis*, quàm *promissionem beneficii*, & Prophetæ institutum est, invehi in pervicaciam profanorum in ista gente, qui Deum per Prophetas se alloquentem, & quidem iteratis vicibus, & extraordinaria ratione spreverint, quamvis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deus cum illis egisset, & quibusvis modis eos ad officium revocare conatus fuisset, interdum per Prophetias nudas, interdum per visiones typicas, interdum per parabolas & similitudines, nec eos docuisset tantùm, sed & perstrinxisset, frustra itaque eos innocentiam suam prætexere, & de ea gloriari, v. 9. Et sic intellexit hunc locum *Theodoretus*: ἀδίκως, inquit, τὴν δὲ τὴν ἐμπορίαν ὑπελάβετε, ἐπειδὴ ταύτας διὰ τῶν προφητῶν τὰς προῤῥήσεις δεξάμενος οὐκ ἴδετε με. Καὶ ταῦτα οὐ διὰ ῥημάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ πραγμάτων τῶν προῤῥήσεων προφέρων. Et in sequenti-

bus docet, Deum variis revelationibus usum fuisse respectu variorum Prophetarum. Quid verò hoc ad Enthusiastarum multis post seculis futurorum deliria? Et *Cyrillus* observat, Ephriamitas passos fuisse se decipi à Pseudoprophetis fingentibus ea quæ Dei sunt ἴδια τὰ λόγια καὶ προφητείαν, & non quæsivisse Deum, loquentem ad Prophetas, & ὁ ἐχόντες πνεύματα.

VI. Ad 3. *Arg.* ex loco Psal. 74.9. *Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, & *paralogismo parium*, alia enim ratio œconomiæ Veteris Testamenti, alia Novi. Psaltes de illa loquitur, non de ista. At Prophetarum missio ad illa tempora pertinuit, non ad ista. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Si Prophetarum verorum defectus signum fuit miserrimi Ecclesiæ status: Ergo & defectus Prophetarum fanaticorum, revelationes non habentium, sed mentientium. 3. Peccatur *Elencho divisionis*, nec enim tantùm ibi sermo de defectu prophetarum, sed quorumvis *signorum* præsentiæ Dei, Arcæ, Vrim, & Thummim, sacrificiorum, & ceremoniarum aliarum, quæ erant veluti signa testantia & pactum & præsentiam Dei in ista gente. At κατὰ τὸ εἶναι, alius noster status est, nec nobis desunt vel Prophetæ Dei, habemus enim firmiorem sermonem prophetarum, προφητείας χάριν, cui meritò attendimus, vel Sacramenta & *signa*, varia præsentiæ Dei, adeoque non opus extraordinariis revelationibus & apparitionibus ad præsentiam Dei nobis declarandam & obsignandam.

VII. Ad 4. *Arg.* Ductum ab exemplis variorum Prophetarum N. Test. *Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*: Alia enim ratio *Ecclesia* N. Test. *constituenda* alia *constituta*. In illa Deus Prophetas aliquot adhibitos voluit, in ista haudquaquam. At nos de ista loquimur, an in ea prophetis novis sit locus. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *paralogismo parium*, prophetas istos N. Test. commemoratos & veros fuisse, & à Spiritu Dei inspiratos, constat ex Scriptura Canonica & ex prophetiis ab illis editis: Enthusiastas verò tales esse ex Script. haudquaquam, constat, immò oppositum ex iis constat, quum nec in *genere dogmatico* se à Spiritu Sancto actos ostenderint, nec in *genere prophetico*, nec in *vita* sive *morali*, sive *civili*.

VIII. Ad 5. *Arg.* Ductum ex locis, 1. Cor. 12.28. & Eph. 4.11. *Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, confunduntur enim *gradus* ministerii *ordinarii* & *extraordinarii*, *gradus* destinati *Ecclesia constituenda*, cum gradibus destinatis *Ecclesia constituta*. Prioris generis gradus fuêre Prophetæ & Apostoli, posteriori sunt Pastores & Doctores. Et prout extraordinarii fuêre ministri in Ecclesia primitiva, sic & extraordinaria in ea fuêre χαρίσματα prophetiæ, δυνάμεων, sanationum, & doni linguarum, ut tibicinibus istis substratis fornix vel testudo Ecclesiæ Christianę feliciter coiret, quo peracto fulcra ista subducta fuêre. Cujus rei demonstratio evidens ex eo quia etsi Deus illis ipsis locis dicatur *constituisse Apostolos*, haudquaquam tamen ob id munus Apostolicum ordinarium fuit vel perpetuum magis quàm propheticum. Vnde si ex ista constitutione de qua sermo 1. Cor. 12.28. & Eph. 4.11. inferendum sit, dari hodieque prophetas, causæ nihil erit, cur non & hodie *Apostolos* dari pari ratione inde concludamus. 2. Peccatur

ὁμωνυμίᾳ

ὁμωνυμία latente in voce Prophetarum, quæ designat interdum *proprie*, sive futurorum ex divina revelatione præsagos & prænuntios, sive singularem & extraordinariam interpretandi Scripturam facultatem ex dono immediato habentes, 1.Cor.12.29.30. interdum *abusivè* inspirationes divinas ac donum interpretandi non habentes, sed mentientes, & dogmatibus novis ac falsis alios dementantes. Illi Scripturam γνησίως interpretantur, & verè, isti non interpretantur, sed vel evertunt vel pervertunt. De prioris generis & ordinis Prophetis loquitur Paulus, non de Prophetis generis & ordinis posterioris.

IX. Ad 6. *Arg.* ductum ex loco Eph.3.5. *Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, & *fallacia quatuor terminorum*, quia de iisdem Prophetis ibi Paulo sermo, de quibus sermo est 1.Cor.12.28.Eph.4. 11.Ponuntur enim illi in eodem ordine cum Apostolis, & ii intelliguntur quibus jam revelatum erat mysterium Christi, de qualibus sermo est, Act.11.27.28. 13.1.15.32.19.6. Rom.12.6. tales verò vocati fuêre *Prophetæ* variis de causis. 1. Quia instar Prophetarum veterum non *vocatione mediata* per homines, sed *immediatè* à Deo per Spiritum suum suscitati fuêre. 2. Quia instar Prophetarum non humanâ industriâ sed *divina revelatione* rerum divinarum cognitionem erant consequuti. 3. Quia instar Prophetarum veterum expositores erant & vindices velut verbi divini, & donum habebant id convenienter ad usus præsentes Ecclesiæ & explicandi & applicandi. 4. Quia instar Prophetarum veterum revelationes quædam de rebus futuris quandoque illis obtingebant. Inferiores tamen erant Prophetæ isti Apostolis, unde illis semper postponuntur, 1.Cor. 12.28.Eph.3.5.4.11. Et ἀγκειτικῶς dicitur 1.Cor.12.28. Deum posuisse πρῶτον *primùm* Apostolos, δεύτερον *deinde* Prophetas. Idem etiam ex eo colligi potest, quod Apostoli præter munus Apostolatus habebant etiam donum prophetandi, Prophetæ verò posterius tantùm, non prius.

X. Ad 7. *Arg.* ductum ex locis 1.Cor.12.9.& 29. *Resp.* 1. *Per concessionem*, Prophetiam sanè fuisse inter dona Spiritus, qualis obtigit Prophetis de quibus jam actum, eamque non omnibus obtigisse, sed aliquibus. 2. *Per negationem*, Deum voluisse ista dona esse perpetua in Ecclesia, fabrica Ecclesiæ jam aliquousque perducta, ut supra demonstratum. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, & *à dicto secundùm quid*. Prophetia sanè debet esse perpetua, nimirum partim *objectivè*, προφητεία γραφῆς, partim *subjectivè* donum eam interpretandi, sed non ob id perpetuum debet esse donum ex immediata inspiratione eam interpretandi. Quæ etiam consequentia? Prophetia debet esse perpetua in Ecclesia: Ergo inspirationes & revelationes quas jactant fanatici, sunt talis prophetia. Immò ἐκ τοῦ βιαίου, ostendi potest, tales eam non habere ob Spiritum contrarium quem habent Spiritui Apostolico, & contraria dogmata æquè ac praxin, unde patet, eos non esse singulariter dilectos & selectos à Patre. 4. Peccatur *Elencho parium*, alia enim ratio donorum ordinariorum, alia

extraordinariorum quæ commemorat ibi Apoſtolus, qualia fuêre ἐνεργήματα δυνάμεων, γένη γλωσσῶν, & προφητεία iſta, quorum alia ratio, alia *ſermonis ſapientiæ* & *fidei*: iſta enim perpetuò neceſſaria, illa non item.

XI. Ad 8. *Arg.* Ductum ex locis 1.Cor.14.5.26.28.29.3.39. *Reſp.* 1. Per *conceſsionem*, donum verè prophetandi ex inſpiratione Spiritus S. majus cenſeri ab Apoſtolo dono linguarum, quia illud majoris erat utilitatis, iſtud minoris, illud ad ædificationem erat comparatum, iſtud ad oſtentationem. Quo ipſo ἐμφατικῶς perſtringit Paulus Corinthios ad donum linguarum potius ambientes, quàm ad dona alia, quia illud videbatur admirationem movere aliis, magis quàm donum prophetandi h.e. interpretandi Scripturam. Diſcrimen iſtud docet ipſe Apoſtolus v.3. loquentem linguis non hominibus loqui, ſed *Deo* ſoli, quippe linguas omnes intelligenti, prophetantem verò loqui *hominibus* ædificationem, adhortationem, & conſolationem. Prophetia itaque meritò præfertur ab Apoſtolo, ut ὠφελιμωτέρα, ὡς ἀστηρίκτους οἰκοδομοῦσα, ὡς ῥᾳθυμοτέρους παρακαλοῦσα, καὶ διεγείρουσα, ὡς ὀλιγοψύχους παραμυθουμένη, ut habet *Theophylactus*, & egregie addidit, Paulum ubiq; id ponere majus quod eſt ὠφελιμώτερον. 2. Per *negationem*, tales Prophetantes eſſe fanaticorum Patriarchas, quales ſunt illi de quibus loquitur Paulus, qnod eſt πνεῦμα ψευδές. 3. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim nos improbamus vel donum iſtud prophetandi in Eccleſia primitiva aliquibus conceſſum, vel ejus exercitium & uſum. Vtrumque illud erat à Spiritu Dei. Quid verò hoc ad enthuſiaſmos novitiorum prophetarum, & prophetias & Apoſtolicas revelationes pro libidine vel pervertentium, vel evertentium.

XII. Ad 9. *Arg.* Ductum ex Apoc. 11. 10. *Reſp.* 1. Per *conceſsionem*, vaticinium tale exſtare. 2. Per *negationem*, id quicquam facere pro fanaticorum prophetis, vel pro enthuſiaſtis, nec enim illi *teſtes Dei* ſunt, ſed Sathanæ, quippe qui contra teſtes Dei ἀντιπίστως teſtantur, nec vel *olea*, vel *candelabra* in conſpectu Dei, nec vel vera prophetia, vel ejus ſignacula admiranda illis ulla probationis ſpecie adſcribi poſſunt quæ de teſtibus iſtis loco dicto efferuntur. Nec magis iſta applicatio locum habet, quàm illa quàm de Enocho, & Elia corpore tenus redituris fingunt Pontificii. 3. Peccatur παρβολώσει loci Apocalypſeos, quo per *duos teſtes* deſignantur pauci veritatis divinæ teſtes & aſſertores, *numero definito* poſito pro *indefinito*, qui Anti-Chriſtianiſmo invaleſcenti eſſent obloquuturi, teſtimonium Dei aſſerturi, contemptui & perſectioni obnoxii futuri, ſingulari tamen Dei veritate armandi, & poſt martyrium ſuumglorioſe in aliis ſucceſſoribus ſuis reſtituendi. Et ſanè non ῥηματικῶς iſta intelligenda eſſe, ſed συμβολικῶς & πνευματικῶς patet & ex ſerie tota, & ex v.8. de ſpirituali Sodoma & Ægypto, & ex alluſione ad Hiſtorias Moſis & Eliæ, & ad oleas ad candelabra, Zachar.4.3.11.14. *Definitum* verò *numerum* ibi poni pro *indefinito* patet partim ex conſideratione illorum quos Deus ad inſtaurationem Eccleſiæ ſuæ ſæpe adhibuit, qui bini ut plurimum fuêre, partim ex teſtium requiſitis, qui hoc numero ad minimum ad teſtimo-

nium

nium verum exiguntur, Deuter.17.6.19.15. Matth.18.16. 2.Corinth.13.1.3. vel Enthusiastæ *ad litteram* locum illum intelligendum censent, vel *ad sensum*. Neutro verò modo quicquam facit pro Enthusiastis, ut patet ex collatione & testimonii eorum, & vitæ, & doctrinæ & praxeos, & actionum & passionum, & eorum quæ mortem fanaticorum istorum excepêre.

XIII. Ad 10. *Arg.* ductum ex Apoc.22.& 18.v.24. *Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi, & paralogismo quatuor terminorum* Alio enim sensu ibi Prophetarum nomen sumitur, alio inter fanaticos, & ab iis; Prophetæ ibi sunt vel *Ecclesia docens*, sive *homines Dei*, 2.Tim.3.17. vel *Ecclesia discens*: Fideles enim in Novo Testamento *comparatè* prophetæ sunt, ob lucem majorem cognitionis ipsis concessam, Deut.31.33.34. immò sub Novo Testamento majores prophetis sunt, etiam minimi in regno cœlorum, Matth.11.11. De verorum id genus Prophetarum sanguine sermo, Apoc.18.24. non de fanaticis Enthusiastarum patriarchis, qui non missi currunt, & inspirationes divinas fingunt, non habent.

XIV. Ad 11. *Arg.* ex locis, 1.Iohan.5.15. & 1.Iohan.4.2. *Resp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci, & ὁμωνυμίᾳ in voce *Spiritus*, argumentum etiam duci *à genere ad speciem affirmative*: Spiritus dicitur testari in terra: Ergo Spiritus Enthusiastarum; πνεῦμα verò ibi est efficacia Spiritus ejusque sigillum, quo fideles & intus certi redduntur, se esse filios Dei, & foris testantur, se à Spiritu Dei agi & obsignari: Et sic Spiritus testatur *Spiritum*, hoc est, organum potens Spiritus esse veritatem, v.6.& 2.Cor.3.6. una cum *aqua* regenerationis, & *sanguine* purificationis à peccatis symbolico. Posset etiã dici, *Spiritum* de Christi Spiritu in cruce emisso, & *aquam* ac *sanguinem* ad *litteram* intelligi, de aqua & sanguine quæ è latere Christi profluxêre, & singula veritatem naturæ ejus humanæ adstruxêre, vel, per Spiritum intelligi Euangelium & v.6.& 2.Cor.3.6. h.e. ministerium Spiritus v.8.& per aquam & sanguinem, duo Nova Testamenta Sacramenti. 2. Locus 1.Iohan.4.2. retoqueri debet κατὰ τὸ βίαιον, revera enim Enhtusiastarum Spiritus non agnoscit Jesum Christum venisse in carnem nostræ similem nec retinet salutarem doctrinam de exhibitione Christi in carne, ejus modo, fine, efficacia ac fructu, adeoque non est *ex Deo*.

XV. Ad 12. *Arg.* 1.Thess.5.19.20. *Resp.* Peccari παρερμηνείᾳ istius loci, & *fallacia* ὁμωνυμίας in verbis *Spiritus* & *Prophetia*. Nec enim per *Spiritum* intelligitur Spiritus fanaticus, sed motus Spiritus Sancti in cordibus fidelium accensi, qui (instar ignis sacri olim) fovendi semper sint, ne exstinguantur, & debeant semper ἀναζωπυρεῖσθαι, 2.Timoth.1.6. Sic per prophetias non intelliguntur Enthusiasmi, sed vel *objectivè* scripta prophetica, vel *instrumentaliter* eorum explicatio & applicatio sive ex *dono singulari*, de quali prophetia sermo, 1.Corinth..12.& 14. sive ex *dono communi*, & ordinario.

XVI. Ad 13. *Arg.* ex loco 1.Cor.14.2. *Resp.* Peccari *ignoratione Elenchi*, & παρερμηνείᾳ istius loci. Nec enim quicquam aliud ibi docet Apostolus, nisi homines extraordinario dono linguarum præditos in *Ecclesia* Chri-

stiana *nascente*, dum linguis peregrinis loquuntur, æquè ἄγνωστα τὰ *incomprehensibilia* aliis loqui, ac si mera *mysteria* incognita loquerentur *in spiritu*, h.e. per illam Spiritus inspirationem: Quid verò hoc ad Enthusiastas, qui nec linguis loquuntur, nec *mysteria* Dei eloquuntur, sed τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ.

XVII. Ad 14. *Arg.* ex locis 1.Cor.2.15. & 1.Corint.14.37. Gal.6.1. *Resp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci 1.Corinth.2.15. & falsum supponi, per homines πνευματικοὺς *spirituales* intelligi Prophetas, tales verò sunt omnes illi, qui spiritu Dei aguntur, & opponuntur illis qui vocantur *animales*, qui lucem naturæ tantùm ducem sequuntur, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, Iud.19. qui non sunt capaces eorum quæ sunt Spiritus Dei, & cui sunt stultitia, tales verò omnes & mali sunt & miseri, adeoque non verè Christiani Sic *Theophylactus*, ψυχικὸν interpretatur φυσικὸν τὸν τὸ πᾶν τοῖς τῆς ψυχῆς λογισμοῖς διδόντα, καὶ μὴ νομίζοντα δεῖσθαι τῆς ἄνωθεν βοηθείας. 2. 1.Cor.14.33. *Spirituales* distinguuntur à *Prophetis*, & sunt *donis* Spiritus Sancti præditi sive *ordinariis* sive *extraordinariis*. Sic πνευματικοὶ opponuntur ὡς σαρκικοῖς & νηπίοις ἐν Χριστῷ, 1.Cor.3.1. Sic Gal.6.1. illi sunt πνευματικοὶ qui sunt vel τέλειοι, vel στερεοὶ in fide, ejusque praxi, qui stant contradistincti illis qui cadunt, vel præoccupantur delicto aliquo. Quid verò hoc etiam facit ad Enthusiastas, qui *carnales* fuêre, & carnalia duntaxat quæsivere, ut ex *Munzeriana* & *Monasteriensi* scena patet. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον: In Sacra Scriptura multæ sunt eximiæ prædictiones, exempla, & documenta de Prophetis Novi Testamenti, & Prophetæ, prophetiæ, ac inspirationes peculiares non sunt simpliciter damnandæ: Ergo Enthusiastarum alienissimorum à Prophetis Novi Testamenti somnia sunt probanda: Et quæ sequela à Prophetis extraordinariis *Ecclesiæ nascentis* ad Prophetas extraordinarios *Ecclesiæ* jam *adultæ*? Quæ etiam sequela à Prophetarum & prophetiarum nominibus *propriè* sumptis ad eadem usurpata *abusivè*. 4. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Distinguendæ enim inspirationes *privatæ*, quæ & *originaliter* & *subjectivè* tales, à talibus *subjectivè* tantùm. Illæ non damnandæ, nemo enim fidelis qui non ejusmodi inspirationes habeat: Istæ verò damnandæ, quippe quæ non à Dei Spiritu quales fuêre inspirationes Enthusiasticæ fanaticorum, quæ proinde meritò excenturiandæ ex Ecclesia Christiana.

Subjicietur ἀνασκευὴ argumentorum artificialium in sequentibus.

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMA

Ἀνασκευαστική

DE

ENTHVSIASMO.

THESIS I.



NSTITVTA retro à nobis fuit ἀνασκευὴ argumentorum *inartificialium*, quæ Enthuſiaſtæ obtendunt ſomniis ſuis. Sequitur ἀνασκευὴ argumentorum *artificialium*, quæ favere videntur Enthuſiaſmis.

II. Præcipua ſunt. 1. Vberiorem promitti gratiam & ſplendorem majorem Eccleſiæ Novi Teſtamenti, præ Veteri paſsim in ſcriptis Propheticis: Minorem verò in ea reperiri, ſi deſtituatur lumine prophetico, quo eminuerit Eccleſia Teſtamenti Veteris. 2. Neceſſarias eſſe revelationes extraordinarias erroribus ſæpe graſſantibus revincendis, animis hominum percellendis, vitiis invaleſcentibus reprimendis, & ſolandis piis ſæpe ſub cruce diu gementibus. Vt itaque præter ordinarium Sacerdotum miniſterium, extraordinarium ſæpe Prophetarum à Deo adhibitum fuit, iis de cauſis, ſic iiſdem cauſis durantibus eidem Prophetarum miniſterio adhuc locum eſſe debere. 3. Vel Prophetias ex ſe & ſuo genere incompatibiles eſſe cum Eccleſia Novi Teſtamenti, vel non: Si prius, ne in naſcente quidem Eccleſia Novi Teſtamenti debuiſſe reperiri: Si poſterius, cauſæ nihil eſſe cur abrogentur. 4. Nullibi in Novo Teſtamento prohiberi, ne inſpirationes vel revelationes extraordinariæ quandoque admittantur. Cauſam itaque non eſſe cur tanta acerbitate proſcribantur. 5. Extraordinaria multa accedere, ubi extraordinariis etiam remediis opus ſit, nec ſufficere ad iſtos caſus miniſterium ordinarium. 6. Dona Dei non adſtringi debere certo ordini, adſtringi verò & certo ordini & certis perſonis, ſi non niſi illis donum prophetandi & publicè docendi competere cenſeamus, qui gradum ſingularem in Eccleſia ſunt conſequuti. Spiritum Dei verò ſpirare quò vult & ubi vult, Johan. 3. 8. 7. Reformatos ipſos cogi fateri *vocationem extraordinariam* in Novo Teſtamento primorum Reformatorum, adeoque eam ſimpliciter damnandam non eſſe, quod verò ſuperiori ſeculo locum habuit, hoc etiam noſtro locum habere poſſe, nec cauſam eſſe cur non locum habeat. Idem diſertè teſtari Confeſsionem Eccleſiarum Gallicarum Artic. XXXI. Deum aliquos *extraordinaria vocatione* excitaſſe ad inſtauran-

dum de Novo Ecclesiam ob ruinam & desolationem ejus: extraordinariam verò vocationem conjunctam esse cum inspiratione extraordinaria. 8. Ut quædam sunt virtutes *ethicæ* quæ ordinariæ sunt, quædam *heroica*, quæ extraordinariæ: sic etiam quoddam *lumen* Spiritus *ordinarium* esse, aliud verò *extraordinarium*, nec *motus communes* Spiritus intercedere *singularibus*. 9. Scripturam esse nudam litteram & ministerium mortis & condemnationis, 2.Corinth.3.6.7. nisi accedat Spiritus S. interna inspiratio. Et hanc esse vocem Christi quam oves ipsius audiant, Joh.10.v.27.10. Jeremiam vaticinari, omnes à Deo edocendos sub œconomia Novi Testamenti. Jer.31.v.34. Et fore ut unctio nos doceat de omnibus 1.Joh.2.27. Deo verò præscribi modum quo nos doceat, si nonnisi ordinariis mediis agere censeatur. Quod itaque Scriptura non limitat, nec nobis esse limitandum. 11. Illos esse *θεοδιδάκτους antonomasticè*, quos Deus *immediatè* docet per inspirationes internas, nec hoc nomen illis propriè competere, qui per homines edocentur foris de rebus divinis. Apostolum etiam disertè docere, non futurum ut in N. Test. alius alium doceat, & Deum isti œconomiæ per homines opponere inscriptionem docendorum & faciendorum in mentes & corda, Hebr.8.10.11. 12. Eodem Spiritu Scripturas tantùm verè & bene intelligi posse quo sunt conscriptæ; Spiritum verò Scripturæ authorem fuisse extraordinarium, & illam inspirasse per motus & raptus extraordinarios, debere itaque pari ratione per motus & raptus extraordinarios intelligi. Et hos raptus indulgendos à Deo designari in Apocalypsi cap.11.19. per *fulgura & tonitrua* quæ *ex aperto Dei templo* prodeunt & in corda Prophetarum illabuntur. 13. Verbum Dei vocari medium ordinarium conversionis, institutionem etiam in scholis & per homines ordinariam, dari itaque debere media *extraordinaria* quæ illis contradistinguantur, aliàs illa media non ordinaria vocari debere sed sola. 14. *Huldricum Zwinglium* unum ex primis & præcipuis Reformatorum Doctoribus fateri, ab ignoto quodam de quo tamen nesciat, *ater an albus fuerit*, noctu & in somnio se monitum de loco Exod.12. quo probari possit verbum *Est* usurpari pro *significat*. Sin utilis & opportuna censeatur aliqua ejusmodi extraordinaria inspiratio, causæ nihil esse cur vel negetur aliis, vel damnetur in aliis. 15. Idem multis contingere quod Magis, qui ad Christum non vocati fuerint per Scripturam, nec per Ministerium ordinarium in Ecclesia institutum, sed per stellam subitò in cœlo accensam, qua compendiosius & certius ad Christum deducti fuerint quàm Judæi per Scripturam: Sic Deum stellam aliquam è cœlo accendere in cordibus suorum ad quærendum Christum qua longè certius ad eum ducantur, quam via ordinaria. 16. Pontificios etiam varias revelationes jactare factas, *Antonio*, *Benedicto*, *Brunoni*, *Dominico*, *Francisco*, illis superstrui doctrinam de Purgatorio, de Indulgentiis, de statu animarum, de Missis & de ordinibus Monasticis. Causæ itaque nihil esse cur in Prophetas alios revelationes præ se ferentes invadant. Immò ab iis doceri in frequentes ecstaseis rapi Monachos, & homi-

homines deuotos,& mira poſtmodum vaticinari. Quod cuiquam verò contigit, cuivis contingere poſſe. Sic Papæ à Pontificiis tribui immediatas reuelationes. 17. Res dubias ſæpe objici, quæ ex Scriptura & per miniſterium ordinarium expediri non poſſint, ubi os Dei ſit conſulendum extraordinaria ratione prout id fecêre Judæi olim per Ephod, Urim & Thummim. Nec Deum ſe duriorem & inclementiorem nobis præbere ſub Teſtam. Novo quàm ſe præbuit olim ſub Veteri. 18. Negari non poſſe, revelationes varias ſuperiori & noſtro ſeculo repertas de rebus futuris, quarum impletionem ipſa noſtrorum temporum experientia adeò clarè doceat, ut negari non poſsit, nec tamen ad ordinariam inſpirationem talia referri poſſe, nec ex Scriptura probari. Manum Domini itaque non debere cenſeri ita abbreuiatam, quin ſæpe hodieque ſe exerat per motus & raptus extraordinarios.

III. Argumentis iſtis ſic occurrendum cenſemus. Ad 1. Reſpondeo 1. Συγχωρητικῶς, *per conceſsionem*, majorem ſanè ſplendorem Eccleſiæ Novi Teſtamenti promitti præ Veteri, tum *intenſiuè* ratione majoris lucis & cognitionis Dei, tum *extenſiuè*, ratione amplioris ſphæræ ad quam diffundenda erat iſta lux. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, lumen Propheticum, quale jactant Enthuſiaſtæ, eſſe inter dona illa promiſſa Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quod ſupponitur non probatur; Nec quicquam cauſæ eſſe, cur ſplendor promiſſus iſti Eccleſiæ magis referatur ad lumen propheticum extraordinarium indultum in Teſtamento Veteri, quàm ad apparitiones extraordinarias Dei, ad demiſſionem ignis cœleſtis ſuper ſacrificia, vel ad alia id genus. 3. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia major ſplendor promittitur Eccleſiæ Novi Teſtamenti præ Veteri, quo ad majorem cognitionem Dei indulgendam per media ordinaria, per verbum Evangelicum, & per exhibitionem corporis & viuæ imaginis umbrarum veterum, haudquaquam ibi opus amplius eſt revelationibus extraordinariis.

IV. Ad 2. *Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, iiſdem malis eadem ſemper opponi remedia, quod falſum: Satis opponantur alia, modò illa ſint ſufficientia. Abundè verò proviſum & erroribus revincendis, & vitiis reprimendis, & animis piorum ſolandis verbo Legis & Evangelii, & miniſterio ordinario in Eccleſia Novi Teſtamenti inſtituto. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἰσάδων ab œconomia Vet. Teſtamenti ad œconomiam Novi. Aliâs eâdem operâ lampades tabernaculi denuò accendendæ forent, & inſtauranda pariter veteris gubernationis Eccleſiaſticæ forma. Prophetarum extraordinariorum miniſterio ibi locus fuit, ut illi vaticinia ederent de Meſsiæ adventu, ejus perſona, officio & beneficiis. Illis omnibus in plenitudine temporis clariſsimè exhibitis, prophetiis novis amplius opus non eſt. Veteres conferri poſſunt & debent cum complemento quod habemus in Scriptis Evangelicis & Apoſtolicis. Παραινετικοὶ, & ἐπανορθωτικοί, & παρακλητικοὶ Prophetarum ſermones cæteroquin nobis hodieque adhuc ſunt ad manum, quos attendere & poſſumus & debemus. 2.Pet.1.19. Eos etiam vertere debemus in uſus noſtros pro ratione tempo-

rum, locorum & occaſionum. *Inſt.* Ut Chriſto adfuêre olim Prophetæ Moſes & Elias in monte, Matth. 17. Sic & hodie adeſſe debent in Eccleſia Teſtamenti Novi. *Reſp.* 1. Καθὰ τὸ εἶναι, quia Prophetæ Teſtamenti Veteris Chriſto adfuêre, illis hærendum in Eccleſia Novi Teſtamenti, non aliis. 2. Peccatur *Elencho non cauſæ*. Nec enim ea cauſa fuit apparitionis Moſis & Eliæ in monte cum Chriſto, quaſi Novi Prophetæ poſt Chriſtum expectandi forent, ſed ut oſtenderetur conſenſus Chriſti cum Moſe & Prophetis, ὑπεροχὴ Chriſti præ Moſe & Prophetis, hunc ſolum eſſe finem Legis & Prophetarum, ad quem & lex pædagogus fuit, & cujus prænuntii fuêre Prophetæ: Apoſtolis etiam Moſis longanimitatem conjungendam eſſe cum zelo Eliæ, & teſtimonium Chriſto perhiberi à vivis & mortuis.

V. Ad 3. *Reſp.* 1. Peccari vel *Elencho à dicto ſecundùm quid*, vel ὁμωνυμίᾳ in voce Prophetarum. Diſtinguendi Prophetæ veri & falſi, fatidici & fanatici, ἀπόστολοι & αὐτοκέλευστοι, *miſſi & ultrò currentes.* Illi haudquaquam incompatibiles ſunt cum Eccleſia Novi Teſtamenti, qualesque fuêre Prophetæ, quos hodieque habemus, & quorum ſcriptis utimur in Eccleſia Chriſtiana ad ἀσφάλειαν fidei noſtræ. Iſtis nec locus fuit in Veteri Teſtamento, nec eſſe debet in Novo. 2. Peccatur *Elencho conſequentiæ, & parium*, alia enim ratio Eccleſiæ Chriſtianæ naſcentis, alia adultæ, alia confirmandæ, alia confirmatæ. Multis in illa locus fuit quibus in hac non eſt. Aliàs Apoſtoli etiam cum extraordinaria authoritate & poteſtate hodieque ſunt excitandi, & miracula eadem exhibenda, quæ olim in naſcente Eccleſia Chriſtiana exhibita fuêre.

VI. Ad 4. *Reſp.* 1. Falſum ſumi; immò Pſeudoprophetas cavendos Chriſtus disertè monet; Matth. 7. 15. 16. & 24. 23. &c. quales ut in Eccleſia naſcente ſurrexêre; 2. Pet. 2. 1. & 1. Joh. 4. 1. Apoc. 2. 20. ſic ſequioribus ſeculis etiam exſtitêre, hodieque exſtant. *Inſt.* Tales ſe venditaſſe pro Chriſto. Hoc non facere illos qui revelationes hodie obtendant. *Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, uno verò ordine proſcripto eadem analogia proſcribuntur etiam alii ejuſdem generis. 2. Ἀρνητικῶς; capite enim 7. Matth. v. 15. 16. in *genere* omnes prohibentur, qui tales. Nec minus de fanaticis id genus quales ſe hodie pro Prophetis jactant, idem dici poteſt, quod de iis olim ſurrexêre. 3. Immò quidam ſe pro Chriſto venditavêre, ut *David Georgius*, & impoſtores alii. Satis etiam, Chriſti vel perſonam, vel officium vel dogmata à talibus vellicari, quod eſt indirectè negare Chriſtum, & ſe illi præponere.

VII. Ad 5. *Reſp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Ordinarii Miniſterii bene conſtituti uſum non ſufficere omni tempore in genere *medii* ejuſmodi *externi*; quippe cui accedit neceſſaria gratiæ ἐπιχορηγία pro re nata, in filiis Dei in genere *medii interni*.

VIII. Ad 6. *Reſp.* 1. Supponi, non probari, dona Dei à nobis *certo ordini* adſtringi. Immò χαρίσματα Dei liberrima fatemur. Id verò eſt *in quæſtione*, an fanatici iſti Prophetæ χαρίσματα id genus habeant, quæ jactant.

2. Peccatur *ἑτεροζητήσει*, alia enim ratio *χαρισμάτων* privatorum, alia muneris publici in Ecclesia constituti, ad quod nemo sponte se ingerere debet, nisi vocatus, Hebr. 5. vers. 4. 1. Alia etiam ratio *doni prophetandi*, hoc est Scripturas interpretandi sensu Prophetarum, alia *doni prophetandi*, hoc est, Enthusiasmorum & inspirationum aliarum id genus fanaticarum. 3. Peccatur *παρερμηνείᾳ* verborum Joh. 4. 8. quorum sensus tantùm est, similem Dei potentiam se exercere in renovatione hominis regeniti per Spiritum Dei, qualis se exerit in commotione aëris per ventum, *rem* utrobique patere, *modum* latere. 4. Peccatur etiam *falsa suppositione*, *certo tempori* à nobis adstringi donum Propheticum. Sequimur verò nos duntaxat Scripturam docentem Mosi & Prophetis hærendum, nec revelationi à Deo factæ quicquam addendum esse, Apoc. 22. 18. quod directè de Apocalypsi Johannis dictum, *per analogiam* latius extendi potest. Nec vel nimirum, vel novum, Deum certis temporibus quædam circumscribere, & nos ex Dei præscripto.

IX. Ad 7. *Resp.* 1. Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*, nos cogi fateri, vocationem primorum Reformatorum fuisse extraordinariam, uel *Elencho à dicto secundùm quid.* Aliud enim est loqui de *vocatione* eorum, aliud de ejus *exercitio*. Illa ordinaria fuit, illud certo modo ordinarium non erat, *ratione* nimirum *ordinis destituti*, & tunc recepti in Ecclesia Romana, etsi ordinarium dici posset ratione *ordinis* à Christo *instituti*. Quùm verò ordinis hujus à Domino sanciti potius habenda sit ratio, quàm corrupti ab hominibus, hactenus etiam exercitium istud ordinarium vocari potest. Retinuêre itaque primi Reformatores in munere sibi non *ab* Ecclesia Romana, sed *per eam* à Domino collato, id quod *divinæ* erat *institutionis*, ut Deo secundùm verbum ipsius servirent in Ecclesia: Reliquêre verò quod *corruptionis* erat *humanæ*, & addittamentorum Pontificiorum. Quis verò negârit, divinæ institutionis esse, errores grassantes contra Dei verbum in Ecclesia detegere? Ab Ecclesia non hæretica tantùm, sed etiam pertinaci & tyrannica veritatis persecutrice secedere, & ex Babylone exire, Deoque secundùm verbum ipsius in cœtu id unicè admittente servire ex ipsius præscripto? 2. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ὅμοιον*, & *parium*, eandem nostrorum temporum rationem esse, quæ fuit temporum quibus primi Reformatores vixêre. Illi in *Ecclesia corrupta* surrexêre, isti surgunt in *instaurata*: illi errores expulêre, isti eos invehunt. 3. Aliud est, *extraordinaria ratione*, h. e. gratia & inspiratione extraordinaria excitari ad muneris ordinarii secundùm ordinem à Christo institutum administrationem, quo ad actus repugnantes ordini recepto, sed corrupto; aliud, excitari ad munus extraordinarium quale est propheticum sub Testamento Novo. 4. Falsum, vocationem extraordinariam semper conjunctam esse cum inspiratione extraordinaria, si vocatio sumatur *objectivè* pro munere, verum, si sumatur *formaliter*. At à vocatione extraordinaria sic *formaliter* sumpta ad vocationem *objectivè* extraordinariam non valet consequentia. Potest enim Deus extraordinariè inspirare singulare lumen, gratiam,

zelum iis qui ordinarias vocationes funguntur in Ecclesia, vocatio verò fanaticorum *objectivè* extraordinaria ab iis censetur, non *formaliter* tantùm.

X. Ad 8. *Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς per concessionem*, dari hodieque sæpe præter motus ordinarios Spiritus etiam extraordinarios in filiis Dei, & lumen tale. 2. *Ἀρνητικῶς* per *negationem*, tales motus esse raptus Enthusiastarum, quippe qui contrarii sunt declarationi Spiritus in verbo scripto. At Spiritus Dei non est *ita & non* 2.Cor.1.18. Sive verò motus Spiritus ordinarii sint, sive extraordinarii, semper sibi constant.

XI. Ad 9. *Resp.* 1. Peccari *παρερμηνείᾳ* loci 1.Cor.3.6.7. nec enim ibi sermo de Scriptura, sed de ministerio legis comparato cum ministerio Evangelii, & de *ministerio* legis *externo* separato à *gratia interna*. Hactenus sanè ministerium illud erat *litera* tantùm *imperantis*, non *operantis*, nec Spiritus Sancti gratiam sibi conjunctam habebat instar ministerii Evangelici quod *jubet* & *jurat* simul, & *imperativum* est ac *operativum* conjunctim obsequii exacti. Hinc erat *ministerium mortis* non suo vitio, sed hominum, imperans obsequium perfectum sub interminatione maledictionis, meri exactoris instar, quod non poterat non sequi mors in iis qui destituebantur Spiritu vivificante. 2. Peccatur *falsa suppositione*, quasi internam Spiritus collationem rejectam velimus à lectione Scripturæ externa, immò eam conjunctam volumus, sed Spiritus divini, non humani, veri, non putativi, cujus inspiratio harmoniam parit inter *veritatem objectivam & subjectivam*. 3. Peccatur *παρερμηνείᾳ* loci, Joh.10.27. agitur enim ibi de voce Christi in Evangelio sonante, non in Enthusiasmis fanaticorum qui contrarii sunt isti voci Christi. Et quia Christiani veram Christi vocem audiunt, *Κατὰ τὸ βίαιον* fictam enthusiastarum haudquaquam audire debent.

XII. Ad 10. *Resp.* 1. Peccatur *παρερμηνείᾳ* loci Jer.31.34. *& ignoratione Elenchi*. Scopus Jeremiæ fuit, ostendere prærogativam œconomiæ Novi Testamenti præ Veteri, Deum majorem longè & *illuminationis* & *regenerationis* gratiam largiturum sub illa, quàm largitus fuit sub ista. Quod beneficium commune est filiis Dei sub Novo Testamento, non peculiare his vel illis Enthusiastis. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον* hoc retorquendum. Si omnes à Deo sunt edocendi sub N. Fœdere: Ergo agitur de beneficio communi: si omnes etiam à Deo sunt edocendi: Ergo non opus erit Enthusiastis inspirationes suas fanaticas nobis obtrudentibus. *Inst.* Sic etiam tolletur ministerium Ecclesiasticum. *Resp.* Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἐναντίον*, & *paralogismo oppositorum*, nec enim opponenda sunt, sed componenda *institutio* Dei *interna*, & *ministerium externum*, ministerium nimirum institutum à Deo, non introductum præter Dei institutionem ab hominibus. Nec enim vel finis opponi debet mediis, vel promissa Dei ipsius præceptis, vel causæ primæ virtus usui instrumentorum per quæ illa se exerit. 3. Phrasis etiam Prophetę non intelligẽda *ἁπλῶς*, sed *συγκριτικῶς*, non *absolutè*, sed *comparatè*, non quod fideles in V. Testam. etiam non fuerint edocti à Deo, sed quod minor illis lux obtigerit, minor revelationis gradus. 4. Peccatur

παρερ.

παρερμηνείᾳ loci 1. Joh. 11. 27. quo ostenditur duntaxat gratia collata fidelibus sub Novo Testamento Spiritus imprimentis cordibus illorum veritatem Evangelii, quæ vocatur *unctio* symbolicè, quia ut olim unctione & certæ personæ Deo consecrabantur, & instruebantur simul à Deo donis necessariis ad munus illis commissum; sic & collatio gratiæ, & gratia collata fideles Deo consecrat, & lumen internum illis affundit necessarium veritati Evangelicæ perspiciendæ æquè ac admittendæ.

XIII. Ad 11. *Resp.* 1. *Per concessionem* illos, esse θεοδιδάκτους quos Deus *immediatè* docet. 2. *Per negationem*, vel Enthusiastas esse θεοδιδάκτους per inspirationes internas, quod est τὸ ἐν ἀρχῇ, vel illos tantùm esse θεοδιδάκτους quos Deus *immediatè* docet, imò & multi qui per homines edocentur sunt θεοδίδακτοι, in quorum animis Deus *verbum internum* producit præter *externum* quod audiunt ab hominibus, unicè quippe necessarium ad salutarem istius auditionem. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον: argumentum enim ducitur *à genere ad speciem* affirmativè: Scriptura promittit filios Dei fore θεοδιδάκτους: Ergo promittit eos immediatè tantùm per inspirationes internas edocendos. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quum ista promissio sit communis filiis Dei sub N. Test. non debet restringi ad patriarchas enthusiastarum, nec opus aliis erit illorum enthusiasmis, quia ut illi, sic & alii satis edocebuntur de rebus divinis à Deo per inspirationes internas. 4. Peccatur παρερμηνείᾳ loci Jeremię ab Apostolo citati Heb. 8. 10. 11. ut ostensum Th. XII. & *Elencho à dicto secundùm quid*: nec enim id dictum *simpliciter* ab Apostolo, sed *comparatè*, tantam lucis abundantiam à Deo indulgeri sub N. Testamento, ut minus opus sit institutione humanâ, vel ut non opus sit anxia ista per legales ceremonias & typos informatione. Adde, peccari *Elencho divisionis*, qua enim in re non opus habent filii Dei, ut alii doceant alios, nimirum *ad cognoscendum Dominum*, ut addit Spiritus Sanctus quippe qui tam illustribus testimoniis se patefecit sub œconomia Novi Testamenti, ut absque institutione orali hoc principium filii Dei & intelligant & altè impressum gerant animis suis. Et ut *beneficia* quæ promittuntur fidelibus Novi Testamenti ita describuntur in isto fœdere, quasi ante nullo modo fuerint indulta iis qui vixêre sub œconomia veteris, v.g. remissio peccatorum & inscriptio legis in corda (quum tamen filiis Dei illa etiam indulta fuerint sub veteri, quamvis dispari gradu & mensura, adeoque id *secundùm quid* sit intelligendum;) Sic pari ratione *officia* sub veteri usitata removentur in Novo non *absolutè*, sed *comparatè*, & *secundùm quid* tantùm.

XIV. Ad 12. *Resp.* 1. *Per concessionem*, eodem Spiritu Scripturam intelligendam esse quo conscripta est, & extraordinario motu illam dictatam fuisse sanctis Dei viris. 2. *Per negationem*, *eâdem specie* motus opus esse ad veram Scripturæ intelligentiam: satis enim ab eodem Spiritu nos edoceri, & de eadem veritate, quamvis non eodem modo: Aliâs enim opus foret omnes omninò Christianos esse Prophetas, & ἀναμαρτήτους, & infallibiles in doctrina. 3. Peccatur παρερμηνείᾳ loci Apocal. 11. 19. & *ignoratione*

Elenchi. Præterquam enim quod argumentum ducitur ex loco parabolico & figurato, *fulgura* illa & *tonitrua* designant horrenda signa iræ divinæ effundenda in impios sub tempus extremi judicij, prout *fulgura* & *tonitrua*, c.4.5. ostendunt signa Majestatis Christi sedentis in throno, quæ exerit sæpe in terra. Quid verò hoc ad raptus Enthusiastarum? Et *apertio templi* de qua sermo Apocal.11.19. nihil aliud ostendit quàm gloriosam patefactionem status felicis Ecclesiæ triumphantis, cujus gloria jam latet, patebit verò aliquando. Et ut arca erat symbolum & præsentiæ Dei, & Christi Servatoris populo Judaico, sic certè utriusque gloria se exeret, quamvis ad tempus, instar arcæ fœderis, in sanctuario cœlesti velut conclusa fuerit.

XV. Ad 13. *Resp.* Per *concessionem*, dari media extraordinaria ad conuersionem. Id verò ἀναγκαῖον. 2. *Per negationem*, inter ista esse raptus Enthusiastarum. Media verò extraordinaria contradistincta ordinariis fuêre, v.g. patefactiones Dei miraculosæ, vocatio immediata Abrahami, vocatio miraculosa Pauli, gratia latroni facta in cruce, & alia id genus. Media extraordinaria hodieque adhibentur quandoque à Deo, in conuersione infidelium per flagella illis inflicta, per bona piorum exempla, per mala suorum Doctorum, per imposturas & flagitia quæ ab illis committi vident, & alia id genus. Sic Martyrum patientia & constantia multos ut medium extraordinarium Christo lucrifecit.

XVI. Ad 14. *Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, omnes inspirationes extraordinarios à nobis damnari. At nemo verè pius est, qui tales non persentiscat sæpe in corde suo. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον *& parium.* Bona fuit suggestio extraordinaria loci Exod.12. quæ obtigit Zuinglio in somno: Ergo inspirationes, quas jactant enthusiastæ, sunt vel bonæ vel licitæ. Ratio disparitatis est, quia nec novum dogma Zuinglio suggestum fuit, sed probatio dogmatis jam ab ipso traditi & propugnati ex Scriptura, nec aliquid extra Scripturam, sed ipsa Scriptura. Enthusiastæ verò & nova dogmata tradunt, & extra Scripturam sibi credi volunt. Somnium istud Zuinglij θεόπεμπτον fuisse patet & ex *occasione*, & ex *materia suggesta*, & ex sancta eius applicatione ad dogma verissimum adstruendum. Nec *Zuinglius* proverbiali quam adhibet locutione *spiritum* sibi apparuisse testatur, minus ambiguus hæsit, an spiritus bonus vel malus sibi apparuisset, sed tantùm ignotum objectum designat, prout in somniis ignota sæpe objecta dormientibus exhibentur. Nec in extraordinariis patefactionibus personæ semper notæ fuêre. Jacobus non agnoscit illum cum quo luctatur, Genes.32. nec Josua agnoscit illum qui sibi apparet, Jos.5. Eliphaz hæret in apparitione simili, Job.4.16. Et Paulus in ecstasin raptus nescit utrum id factum sit in corpore, an extra corpus, 2.Corinth.12.3. Unde per meram æruginem affingitur Zvvinglio, illum autorem expositionis verborum S. Cœnæ quam sequutus fuerit, agnovisse Diabolum, quum & jam ante somnium istud sententiam suam publicè propugnasset, & de uno loco Exod.12. se monitum testetur, & eadem

dem verba de *Scriba* cum quo ipsi negotium Tiguri erat, adhibeat, quæ de monitore in somnio sibi apparente adhibuit.

XVII. Ad 15. *Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim negatur extraordinaria ratione aliquos interdum ad Christum & eius cognitionem adduci. Tantùm negatur, enthusiastarum raptus ad Christum & eius cognitionem ducere. 2. Peccatur *Elencho oppositorum*, nec enim inspirationes internæ opponendæ sunt Scripturæ S. & institutioni quæ ex ea habetur, sed componendæ cum ea.

XVIII. Ad 16. *Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, revelationes istas Pontificiorum alicuius commatis esse: Immò ut illæ vel confictæ sunt, vel sublestæ fidei, vel diabolica potius ludibria quàm diuinæ reuelationes, sic revelationibus aliis id genus haudquaquam fidem facere possunt. 2. Revelationes Pontifici tributæ πονηροῦ πνεύματος sunt, æquè ac ea quæ affinguntur tutelaribus Ecclesiæ Romanæ Diis.

XIX. Ad 17. *Resp.* 1. *Per concessionem*, & dubia sæpe dari, & in dubiis os Dei esse consulendum. 2. Per *negationem*, ea expediri non posse, consultatione instituta ex Dei verbo, & adhibito ministerio ordinario. 3. *Peccatur Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον *& parium.* Alia enim ratio œconomiæ Veteris Testamenti, alia œconomiæ Novi. Nec *modus* communicationis Dei in utraque idem vel fuit, vel esse debuit. Nec magis extraordinariæ id genus consultationes vel patefactiones ingeri possunt quàm varia alia, quæ spectant ad Tabernaculum vetus. 4. Peccatur *falsa suppositione*, conditionem nostram ob id esse pejorem quàm Patrum sub Testamento Veteri, vel Deum se præbuisse nobis duriorem, immò oppositum verum, ob abundantiam & lucis *objectiva* & *subjectiva*, quæ nobis indulta est sub Testamento Novo.

XX. Ad 18. *Resp.* 1. Per *concessionem*, quasdam futurorum eventuum prædictiones & superiori seculo & nostro repertas fuisse. 2. Per *negationem*, quasvis quæ jactantur esse θεοπνεύστους, immò pleræque ex illis vel gratis ex postfacto confictæ fuêre, vel à malo Spiritu suggestæ, vel ex meris conjecturis deductæ, vel humana sagacitate ex causarum secundarum contemplatione erutæ, vel ambiguè & conceptæ & expressæ fuêre, vel & authorum & nostri respectu casu tantùm aliquam cum eventibus aliquibus conformitatem habent. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, dantur inspirationes quædam extraordinariæ circa res *indifferentes*; Ergo circa *dogmatica*. Dantur quædam inspirationes quoad eventus aliquos futuros: Ergo probandi sunt raptus Enthusiastarum. Negantiua raptus isti: Ergo abbreviata censetur manus Domini, quæ omnia ficulnea, & minus quàm topica sunt. Et hæc ad κατασκευὴν & ἀνασκευὴν argumenti de *Enthusiasmo* annotata sufficiant.


DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA

Κατασκευαστικὴ,

DE

CONSEQVENTIIS.

THESIS I.



EXCVSSO Diſputationibus ſuperioribus argumento de *Enthuſiaſmo*, & pertractatis controuerſiis aliis, quæ nobis intercedunt cum Anabaptiſtis circa *materiam* Scripturæ, progredimur, ex Methodi noſtræ inſtituto, ad diſquiſitionem controuerſiarum quæ nobis intercedunt cum illis circa *formam* Scripturæ. Quæſtionem enim, an diuerſa doctrinæ fidei ſubſtantia in V. & N. Teſtamento tradatur, elucidatam dedimus in pertractatione controuerſiæ primæ de abrogatione Teſtamenti Veteris, an id hodieq; fidei & vitæ noſtræ regula cenſeri debeat, vel non.

II. *Prima* verò *controuerſia* quæ ſuper *forma* Scripturæ S. nobis cum Anabaptiſtis diſceptanda venit, ut patet ex Diſputationes 1. Theſi xxxi. eſt de *forma interna*, ſive *ſenſu Scripturæ*, an is tantùm pro genuino admittendus ſit, qui totidem litteris & ſyllabis expreſſus eſt, an verò etiam ille, qui *per conſequentias* & illationem unius ex alio educitur? Prius affirmant Anabaptiſtæ, negant poſterius. Orthodoxi prius negant, affirmant poſterius. Unde *ſtatus controuerſiæ* emergit; An probationes *per conſequentias* ex Scriptura inſtitutæ ſint ſolidæ, & verus Scripturæ ſenſus?

III. Controverſiæ iſtius pertractationem ad *tria* capita revocamus. 1. Ad *expoſitionem terminorum*. 2. Ad *κατασκευὴν Sententiæ veræ*. 3. Ad *ἀνασκευὴν falſæ*. Utramque iſtam ſubdividimus in propoſitionem *argumentorum inartificialium & artificialium*, adjectis argumentorum orthodoxorum *vindiciis* neceſſariis, ne quid ad plenam materiæ iſtius probationem deſit. Hac verò Diſputat. aggredimur 1. *Expoſitionem terminorum*, 2. Primum probationis ſententiæ veræ genus ductum ex *argumentis inartificialibus*.

IV. Ad *expoſitionem terminorum* quod attinet, quædam ſunt obſeruanda in anteceſſum *ad ſubjectum*, quædam *ad prædicatum*. Ad *ſubjectum*, 1. *Conſequentias* vel ſpectari *materialiter*, hoc eſt, *dogmata* per conſequentias educta; vel *formaliter*, hoc eſt, *connexionem* ipſam terminorum, prout *Auguſtinus* diſtinguit eximiè libro II. de Doctrina Chriſtiana, cap. xxxi. inter *veritatem connexionum* & inter *veritatem ſententiarum*. 2. Conſequentias alias *virtualiter* in Scriptura contineri, alias non, alias *innatas* eſſe *Scripturæ*, alias *illatas* in *Scripturam*, alias *eductas* ex Scriptura, alias *invectas* in Scripturam.

3. In

3. In probatione *per consequentias*, aliud esse, spectare *connexionem majoris & minoris extremi*, aliud, *connexionem medii cum alterutro extremorum*, aliud, spectare *conclusionem*, quæ probatur, aliud, *argumentum*, quo probatur. Ad *Prædicatum.* 1. Solidam probationem, talem censeri vel *in se*, vel in ordine *ad hominem*, vel quæ sufficit *ad decisionem formalem* argumenti controversi, vel quæ sufficit ad *decisionem* ejus *eventualem*, quarum illa in *evictione rei* sita est, ista in *convictione hominis.* Illa semper habetur in argumentatione recta per consequentias, ista non item. Illa necessariò dari debet, non ista. 2. Sensus Scripturæ Sacræ est, vel *adæquatus*, vel *inadæquatus*, vel *immediatus*, vel *mediatus*, vel ductus ex *intentione dicentis*, & ex *natura dicti* conjunctim, vel ex *natura dicti* tantùm, vel spectatus à *causa efficiente* Scripturæ & à *causa* ejus *instrumentali* simul, vel ab alterutra tantùm. Probationes deductæ per legitimam consequentiam interdum exhibent *sensum inadæquatum*, interdum *adæquatum*, interdum *immediatum*, interdum *mediatum*, interdum sensum fluentem ex *intentione dicentis* directa in loco aliquo, interdum sensum fluentem ex *natura dicti*, interdum sensum spectatum à *causa* & *efficiente* & *instrumentali* Scripturæ simul, interdum sensum spectatum ab alterutra tantùm.

V. Præmissa ista terminorum expositione, *Argumenta inartificialia*, sententiæ veræ probandæ proponimus. 1. Ex *Scriptura.* 2. Ex *Antiquitate probata.* Ex *Scriptura* 1. *Argumentum* ducimus ex Matth. 11. v. 23. *Vt impletur quod dictum per Prophetas, fore, ut Nazarenus vocaretur.* Dictum est per Prophetas, Iesum Christum vocandum Nazarenum, nec tamen id αὐτολεξεὶ totidem syllabis in Scriptura reperitur: sed *per consequentias* tantùm ex iis eruitur. Ergo quædam sunt dicta à Scriptoribus sacris, adeoque ut talia recipienda, quamvis non totidem syllabis & litteris ab illis sint expressa. *Antecedens* patet ex loco allegato. *Consequentia* etiam evidens est.

VI. *Exc.* 1. *In genere*, alias esse illationes & consequentias, quæ in Scriptura ipsa reperiuntur expressæ à Scriptoribus divinis, alias, nostras; illas divinas esse & certas, nostras non item. 2. *In specie* non dici hoc *scriptum* esse à Prophetis sed ῥηθὲν *dictum* tantùm. Non itaque ex iis quæ à Prophetis scripta, sed ex iis quæ ab illis dicta fuêre, id petitum esse, à Matthæo. 3. *Prophetarum* nomen latius patere, nec tantùm ad eos pertinere, quorum scripta exstent in Bibliis, sed etiam ad eos qui ab illis Prophetis edocti mentem eorum perfectam habuêre, & divino quodam lumine perfusi dignoscere potuêre, quæ ex scriptis Prophetarum sequerentur vel non. 4. Non certum aliquem Prophetam *definitè* designari à Matthæo, apud quem id reperiatur, sed *indefinitè* dici, hoc dictum fuisse à Prophetis. 5. Potuisse etiam intercidere scripta quædam Prophetarum, in quibus hoc ipsum fuerit expressum. Doctores etiam Reformatos quosdam fateri, libros aliquos sacros vel technis hostium veritatis, vel temporum infelicitate, & hominum incuria nobis interversos periisse.

VII. Tanti verò non sunt exceptiones istæ, ut ob eas vadimonium nobis sit deserendum. Ad 1. *Exc. Respond.* 1. Συγχωρητικῶς, *per concessionem.*

Scriptorum divinorum divinam esse auctoritatem, adeoque illationes eorum αὐτοπίστους, nostram auctoritatem haudquaquam talem esse, nec illationes etiam. 2. *Ἀρνητικῶς. per negationem*, illationes nostras certas esse non posse, quia non sunt αὐτόπιστοι vel αὐτοδίδακτοι instar illationum quæ reperiuntur in scriptis Canonicis. Satis est, nostras verè niti verbo Dei, ut *fundamento*, & in illis *virtualiter* contineri, erui verò à ratione, ut *ab instrumento*. Nec verò illationum nostrarum vis petenda ab *auctoritate inferentis*, sed *à fundamento & ratione illationis*. 3. Peccatur *falsa suppositione*, hanc consequentiam à Matthæo inferri *auctoritativè* & non *ratiocinativè*. At ejus auctoritas nec agnita fuit ab innumeris, nec si opposita fuisset à Matthæo illis ad quos scribit, opus fuisset ista Prophetarum allegatione & *consequentia* ex iis educta, sed nuda assertione, Messiam debuisse vocari Nazarenum. 4. Illationes & consequentiæ distinguendæ, quædam enim, ut supra notatum, sunt ἔμφυτοι vel *insita* Scripturæ & *virtualiter* in ea contentæ, quædam verò sunt παρείσακτοι, & in eam *infartæ*, vel ex ea detorta deductæ; illas locum duntaxat habere volumus, istas non item.

VIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, in *genere* aliud esse, *dictum* esse, aliud, *scriptum* esse, & *formale* utrobique diversum sæpe designari. 2. *Per negationem*, vel *universale* esse; & à sacris Scriptoribus aliis differentiam illam semper observari, inter *dictum esse*, & *scriptum esse*, vel sigillatim hoc observari à Matthæo. Contrarium patet exemplis crebris. v. g. Mat. II. 15. & 17. dicitur dictum per Oseam & Jeremiam, quod tamen ab utroque scriptum fuit. Adde exempla gemina Matthæi, XIII. 14. 35. XV. 7. XXI. 4. 3. Peccatur *Elencho non causæ*, Nec enim ideò talia dicta perhibentur à Prophetis, quasi non scripto fuissent consignata ab iisdem, & ore tantùm prolata, sed quia Prophetiæ primò *oretenus* proponi solebant, antequam scripto conciperentur.

IX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Prophetarum nomen interdum *latius* sumi. 2. *Per negationem*, à Prophetis edoctos Prophetas vocatos fuisse in Testamento V. sed *filios* tantùm *Prophetarum*. 3. Precariò etiã dictum, talium Prophetarum dicta hîc à Matthæo citari, qui tantùm fuerint edocti à Prophetis θεοδιδάκτοις, quamvis illi ipsi tales non essent. Præterquam enim quod hoc ipsum sine probatione asseritur, oppositum patet ex collatione locorum omnium aliorum Novi Testamenti, ubi quando citantur dicta à Prophetis, intelliguntur tantùm Prophetæ illi, qui fuêre θεοδίδακτοι, & quorum scripta constituunt Canonem Testam. V.

X. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim quæstio, an citatio Matthæi ex uno Prophetæ alicujus loco ducta sit, an verò ex pluribus. Satis; citationem illam αὐτολεξεὶ ne in pluribus quidem Prophetarum locis haberi, & tamen citata à Matthæo verè dicta & scripta esse à Prophetis. 2. Causa, cur Matthæus *indefinitè* locutus fuerit, non *definitè*, est, quod ex pluribus Prophetarum locis consequentiam istam eduxerit, qualia sunt, Gen. 49. 26. Deut. 23. 26. Jud. 13. 5. Esa. 11. 1. & 60. 21. & Zach. 6. 12.

XI. Ad 4. *Exc. Resp.* Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, exstitisse olim scripta ejusmodi Prophetica, in quibus αὐτολεξεὶ hoc ipsum fuerit repertum, quod à Matthæo citatur, quæ interciderint sequioribus temporibus. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐπόμενον, Assertio enim ista & *particularis* est quorundam duntaxat, & haudquaquam necessaria. 3. Peccatur *fallacia* ὁμωνυμίας: Libri sacri enim vel *antonomastice* illi duntaxat sunt, qui sunt scripti à Scriptorib. θεοπνεύστοις, & *quà talibus*, vel qui scripti quidem fuêre ab illis, *qui tales* fuêre, sed non *quà tales* fuêre, prout scripta illorum qui Principibus sunt ab Epistolis vel secretis, & tabellionum distingui solent, nec omnia ab illis profecta ejusdem sunt vel dignitatis vel auctoritatis. *Prioris generis* libros aliquos nobis interversos negamus, *posterioris*, concedimus. Ne enim prioris generis scripta perirent, intercessit & Providentia Dei, & utilitas Ecclesiæ, & finis Scripturæ istius dictatæ à Deo. Nec tale quid dissimulatum fuisset à Christo vel Apostolis in Testamento Novo.

XII. II. *Argumentum* ducimus ex Matth. 22.31.32. ubi Christus inquit: *De resurrectione verò mortuorum, non legistis, quod vobis dictum est à Deo, dicente: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi. Non est autem Deus Deus mortuorum, sed viventium*: Vel solide probavit Christus resurrectionem mortuorum ex verbis illis Scripturæ, vel non. *Si prius*: datur illatio solida & argumentatio certa *per consequentias* ex Scriptura: *Si posterius*, nec probatio Christi certa fuit, nec firma, quod summè blasphemum. Idque tantò magis, quod non tantùm turbæ *super* ista Christi *doctrina* perculsæ fuêre, v. 33. sed & os occlusum Sadducæis, v. 34. Quibus alioquin proclive fuisset excipere, hoc argumentum certum non esse, nec enim αὐτολεξεὶ quicquam de resurrectione mortuorum verbis illis doceri, sed hoc per meras consequentias inde educi.

XIII. *Exc.* 1. Christi auctoritatem fuisse infallibilem, adeoque & argumentationem *per consequentiam* ab illo structam, talem, quæ vim suam habeat à suo auctore, non à natura ipsius dicti. Probationem etiam illam involutam esse, nec concludere *directè* id quod probandum. 2. Christum etiam ex *dictis* argumentari, non ex *scriptis*. 3. Non omnia Christi facta esse ad imitationem trahenda, nec id nobis licere, quod ipsi: Aliàs etiam jejunium quadragesimale Christi esse imitandum, & alia id genus. 4. Neminem ante Christum sic argumentatum, vel credidisse probationem resurrectionis mortuorum inesse verbis illis. Novitatem istam probationis causam fuisse stuporis plebis. Medium hujus argumenti obscurissimum esse: *Excipi* etiam potuisse ob *verbi substantialis* absentiam, Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi Deum, scilicet *fuisse*, dum in vivis essent, haudquaquam verò *esse*. Hoc etiam argumentum probare quidem immortalitatem animæ, sed non resurrectionem corporum.

XIV. *Exceptiones* istæ nullius commatis sunt, nec infirmæ tantùm, verùm etiam ex parte impiæ. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, & auctoritatem Christi esse infallibilem & *consequentias* ab eo deductas tales. 2. *Per negationem*, illas vim suam habuisse apud Sadducæos ab *auctoritate*

dicentis, & non à *natura dictorum*. Si enim hoc verum esset, quî Christus illa ipsa probatione vel illatione obstruxisset os hostium suorum, qui auctoritatem ipsius nec agnoscebant, nec suspiciebant? Opus itaque erat, verbis à Christo allegatis inesse vim hoc ipsum quod probare satagebat, probandi. 3. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, si Christo constitutum fuisset *authoritativè* hîc agere cum Sadducæis, & non *ratiocinativè*, & suam illis auctoritatem opponere, non Scripturæ, ad probationem argumenti negati à Sadducæis? 4. Τὸ ἐν ἀρχῇ, probationem illam involutam esse, & non *directè* concludere id quod erat probandum. Immò, hoc est, Christo vel ignorantiam impingere, vel μεθοδείαν. Utrumque verò blasphemum. Supponitur etiam, *indirectas* probationes omnes infirmas esse. Immò κατὰ τὸ βέλτιον, si *indirecta* etiam *probatio* solida esse posset, magis solida esse poterit *probatio directa*.

XV. *Inst.* Illationem propositam à Christo eo ipso quia ab ipso proposita fuit transiisse in verbum Dei, adeoque debuisse credi, quum omne Christi verbum sit verbum Dei, adeoque objectum fidei nostræ. *Respond.* Peccari *Elencho à dicto secundùm quid.* Fatemur illationem istam quoad nos transiisse in verbum Dei, quà à Christo profecta fuit, & objectum fidei reddita *de jure*. Falsum verò, eam pro tali habitam à Sadducæis Christi hostibus, (quibus resurrectionem mortuorum probatam cupiebat) *de facto*, quà talem. Immò illa ab iis admissa non quà à Christo profecta fuit, & authoritatem ab ipso habuit, sed quà habuit fundamentum in dicto Mosis allegato à Christo, & quà ut talis ab illis agnita fuit. Idem etiam ex eo patet, quod populus perculsus dicitur non *super persona* sed *super doctrina* Christi. Habita itaque fuit ratio non *dicentis*, sed *dicti*. Immò ipsi Scribæ, Luc.20.33. fateri coguntur, Christum *bene loquutum fuisse*, utique habita etiam *ratione dicti* non *dicentis*, quod patet ex verbis unius ex illis, Διδάσκαλε καλῶς εἶπας; *Magister bene dixisti.*

XVI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho oppositorum*, Christus argumentatur ex dictis: Ergo non ex Scriptis: Supra verò demonstratum, ista promiscuè à Matthæo sumi. 2. Supponitur falsum, dictum illud citatum à Christo, non fuisse scriptum. Extat verò αὐτολεξεί, Exod.3.6. Immò nisi scriptum fuisset, non dictum tantùm, quî Christus inquit οὐκ ἀνέγνωτε, *non legistis?* Dictum itaque prius à Deo, scripto postmodum fuit consignatum à Mose.

XVII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Per *concessionem*, non omnia Christi facta ad imitationem trahenda esse, qualia sunt facta Christi vel θεϊκὰ vel θεανδρικά, quæ soli Christo propria sunt, & *admirationis* duntaxat objectum, non *imitationis*: Ἐξαίρετον hic, nec eadem nec similia nobis licere. 2. *Per negationem*, tale esse factum illud Christi, nec vel *objectum imitationis* nostræ esse, vel nobis propositum ad imitationem. Oppositum suo loco domonstrabitur ex Ioh.5.39. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *paralogismo parium*. Alia enim ratio jejujunii quadragesimalis, & ἀσιτίας illius totalis Christi per quadraginta dies & noctes, quæ fuit opus θεϊκόν, & extraordinarium,

ad

ad Mosis & Eliæ jejunia comparatum, & ad idem tempus exporrectum, quo olim Ezechiel peccata populi ferre jussus fuit, Ezech.4.6. & quo Niniveritis, pœnitendi spatium datum fuit, Ionæ.3.4.

XVIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem.* Demus neminem ante Christum sic argumentatum, vel credidisse istam vim inesse verbis Christi. Quid inde? An ob id Christus minus solidè argumentatus fuit? An veritas probationis Christi pendet ab exemplo, vel autoritate humana? Peccatur itaque *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. 2. *Per negationem*, geminam enim argumentationem legimus, Habacuci 1.12. *An non tu à principio, Domine, Deus sanctitatis meæ? Non moriemur.* Quod argumentum Prophetæ simili nititur fundamento. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, novitatem istius probationis in causa fuisse stuporis vel admirationis plebis. At novitas sola nec laudem quidem meretur, minus admirationem. Immò populus attonitus fuit ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ *super doctrina ejus.* Adde, Scribas fateri, Christum *bene dixisse*, Luc.20.39. soliditatem itaque probationis Christi & agnovêre & laudavêre, non novitatem.

XIX. 4. Peccatur ibidem *falsissima suppositione*, non constare de *medio* hujus argumenti, & illud obscurissimum esse. Quid verò aliud hoc, quàm Christum vel insipientiæ arguere, vel sophisticationis, qui ejusmodi probationis genere uti voluerit, quod obscurissimum fuerit? At tale in vitio est, nec nodum vel stringere potest κατασκευῇ, vel solvere in ἀνασκευῇ. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Scribæ statim cum applausu fatentur, Christum *bene dixisse*, hoc argumentum illis non visum fuit obscurissimum. Quod etiam tale est, haudquaquam sufficit ad ἔλεγχον, revincendis veritatis hostibus, adeoque Christus non sufficienter retudisset Sadducæorum impietatem ita argumentando, quod blasphemum est. Et σαφήνεια non inter infimas demonstrationis bene institutæ laudes est. 6. Posito etiam, non concesso, argumentum illud obscurum fuisse Judæis, obscuritatis illius causa non accersi debuisset à defectu *objecti*, sed à defectu *subjecti*, h.e. Iudæorum. Vt enim datur causa obscuritatis interdum in *re* probanda, interdum in *medio* probationis, sic datur etiam sæpe in *subjecto*, quod probationem excipit. 7. Immò vel Sadducæi tenebantur isti probationi subscribere, & eam probare, vel non: si prius, obscurissima non erat: si posterius, haudquaquam Dominus sufficienter eos revicit. Et sanè *Thomas* meritò dicit super 4. Dist.43. Art.1. Qu.1.2. *Christum argumentatum esse, & probasse efficacissimè & subtilissimè resurrectionem per hæc verba.*

XX. 8. *Medium* istius argumentationis Christi non nisi illis obscurum est qui vel *naturam fœderis divini*, vel *argumentationem à toto ad partes* sub eo contentas non capiunt. Sive etiam *ex hypothesi* illorum quibuscum Christo hîc negotium est, exponatur, sive ex *natura dicti*, sive utraque expositio ut plenior conjungatur, illatio & solida est & evidens. 1. *Ex natura fœderis* argumentum Christi procedit: Quorum Deus se Deum profitetur, illi non possunt perpetuò manere in morte. At Deus se profitetur Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Ergo illi non possunt perpetuò manere

in morte. *Ratio consequentiæ* in propositione majore pendet tum ex eo, quod Deus est Deus *viventium*, tum à vi phraseos istius, *Esse Deum alicujus*, quippe quæ non tantùm designat *actum potentiæ* h. e. conservationem & probationem, verùm etiam *actum gratiæ*, communicationem nimirum perennem tum gratiæ, tum gloriæ. At qui manent perpetuò in morte istorum beneficiorum capaces esse non possunt. *Inst.* Sunt talium capaces quoad animam, etsi non resurgat corpus. *Resp.* Peccari *falsa hypothesi*, vel fœdus Dei cum animabus tantùm fœderatorum esse contractum, vel Deum se hîc profiteri Deum animarum duntaxat Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Atqui ipsa ὑφιστάμενα & supposita vel personæ Patriarcharum sunt objectum fœderis divini & horum se Deus Deum esse testatur. Hinc fœdus Dei in corporibus Patriarcharum etiam apparuit tum *quoad signum*, circumcisionem nimirum, tum quoad *rem signatam*, nimirum sanctificationem eorundem. Quod argumentum eo firmius procedit, quia Deus etiam jam post mortem istorum Patriarcharum verba illa protulit, & se etiam illo tempore Deum eorum esse professus fuit.

XXI. *Inst.* Sic sequeretur, Patriarchas non debuisse esse obnoxios morti, nec corpus eorum dissolutioni in terram, quum Christus dicat, Deum non esse Deum mortuorum. *Resp.* 1. Peccari *homonymiâ* in voce *mortuorum*, vel *elencho à dicto secundùm quid.* Mortui enim intelligi possunt, vel *absolutè* tales, qui non tantùm transituri sunt per mortem, sed & in morte mansuri sunt, vel tales *secundùm quid*, qui quidem transituri sunt per mortem, non tamen in ea relinquendi. De posteriori verò *mortuorum* genere Christum non loqui, patet ex eo, quia Abraham, Isaac, & Jacob de quibus Deus loquitur, Exod. 3. 6. jam tales erant, mortui nimirum corpore tenus. Necessariò itaque id intelligendum de mortuis *prioris generis.* 2. Adde, Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, satis enim, mortem illam non fuisse signum vel maledictionis, vel odii Dei, respectu Patriarcharum, vel exclusionis eorum à fœdere, sed aditum potius ad vitam & veram fruitionem bonorum fœdere promissorum. Sufficit itaque, mortem illorum fuisse temporariam, non æternam, & dissolutionem corporum haudquaquam debuisse esse perpetuam, sed excipiendam restitutione in integrum. Immò, mortuis etiam, quibus destinata vita, jam vitam adscribi, & illos *viventes* censeri coram Deo patet ex Marc. 5. 39. & Luc. 20. 38.

XXII. Eadem etiam Christi probatio nititur axiomate communi, *Posito toto, ponuntur partes necessariæ ad totius constitutionem.* Si itaque Deus est Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi. Ergo Deus est & animarum & corporum illorum, vel Deus est illorum consideratorum, & secundùm animas & secundùm corpora.

XXIII. Et quamvis ista illatio ex *natura dictorum* à Christo & solida sit, & plena, ei tamen addi potest alia *ex hypothesi* Sadducæorum. Negabant illi immortalitatem animarum, & eam ob causam negabât doctrinam de resurrectione mortuorum. Probatur verò illa verbis Christi: Quum enim Deus se Deum Patriarcharum jam mortuorum profiteatur; necessariò

illi

illi non secundùm totum sui exstincti erant. Hoc principio probato resultabat resurrectionis necessitas: Patriarchæ isti vivunt secundùm animam: Ergo corpora illorum beneficia sunt resurrectura quum non parti illorum fœderalia sint destinata, sed suppositis vel personis integris. Uno itaque errore Sadducæorum destructo, & asserta immortalitate animæ, destruebatur etiam alter illi superstructus, & asserebatur veritas altera de resurrectione mortuorum.

XXIV. Jejunium quin etiam est cavillum, *verbum substantiale* non reperiri apud Mosen, adeoque *excipi* potuisse, Deum non indicare se *esse*, sed *fuisse* Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi, quandiu nimirum illi in vivis fuêre, nec necessariò intelligi affectum æternum. At hoc 1. Est ignorare naturam Idiomatis Hebræi, & ellipseis crebras *verborum substantivorum*, omissorum quidem, subintelligendorum tamen. 2. Adde, *verbum substantivum* indicativum temporis præsentis hîc implicitè designari *pronomine* præposito. 2. Blasphemè hîc supponitur, illationem Christi nec solidam fuisse, nec convictivam: Atqui vel solidè ita potuit excipi, vel non; Si prius, parum solidè Christus probavit probandum, quod horrendum: Si posterius, frustrà ista exceptio proponitur. Sic vel ignoratur vel pervertitur natura fœderis, & dignitas ac constantia beneficiorum fœderalium, contrà quàm docet Scriptura, Jerem.31. Hebr.8. Quorum verò Deus est Deus, quoad *gratiam* fœderalem *internam*, illorum nunquam desinit esse Deus, nec dilectio Dei quæ *actus immanens* est, vel inconstans esse potest, vel morte fœderatis interverti.

DISPVTATIO XXII.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

Thesis I.



ARgumentis duobus *inartificialibus* pro sententia orthodoxa Disputatione superiore allatis; Probationes *per consequentias* legitimas ex Scriptura institutas, solidas esse, & verum Scripturæ sensum, addimus adhuc alia quædam ejusdem *generis*, adstruendæ veritati.

II. III. *Argumentum* ducitur ex Matth.22.vers.29. *Erratis, non scientes Scripturas.* Si argumentatio per falsas consequentias ex Scriptura, & neglectus argumentationis per veras consequentias non tantum dicitur causa erroris, sed ignoratio etiam Scripturæ utique probationes per bonas

consequentias ex Scriptura ductæ erunt & utiles & solidæ. Verum prius Ergo & posterius. *Majoris Consequentia* evidens est. 1. Quia illa media sunt vitiia, per quæ & ab errore præservamur, & Scripturas intelligimus. 2. Quia nisi Scriptura *virtualiter* argumenta varia in se contineret quæ ex ea *per consequentias* eruenda forent, haudquaquam illi nescirent Scripturas, qui ea ex iis non eruerent. Nec enim is rem ignorare dici potest, qui ignorat ea quæ sub re aliqua non continentur, vel ad eam non pertinent. *Minor propositio* apertè habetur in textu, causa enim una erroris Sadducæorum allegatur à Christo, ignoratio Scripturæ, non sanè quoad *literam* vel *textum formalem*, sed quoad *sensum*. 1. Quod ex lege de Leviratu conclusionem falsam elicerent per malam consequentiam. 2. Quod ex locis variis Scripturæ, quæ docent κατ' ἰσοδυναμίαν & resurrectionem mortuorum & statum beatorum in vita futura, quod *non nubent, nec uxores accipient*, &c. veram conclusionem per bonam consequentiam non eruerent. Damnat itaque eadem opera Dominus, & *abusum* argumentationis *per consequentias*, & commendat ejus *usum*, adeoque si vel δυνάμει male argumentari ex Scripturis, vel negligere argumentationem ex Scripturis sit nescire Scripturas, utique bene argumentari ex iis, erit eas scire.

III. *Exc.* 1. Christum damnare Sadducæos, quod rejicerent scripta omnia sacra præter Mosen, & sic nescirent Scripturas. 2. Κατὰ τὸ ἀντίον hoc posse retorqueri, si enim causa erroris Sadducæorum fuit, quod fallerentur argumentando *per consequentias*, & ex lege de Leviratu educendo falsam conclusionem, ejusmodi argumentationes & probationes esse & periculosas & fallaces. 3. Ignorationem ejusmodi Scripturæ perstringi, quæ esset in vitio. At vitio verti non posse, si non eruantur per consequentias ex Scripturis ea quæ sæpè latent & ad id opus esse & principiis rationis & philosophia humana & aliis id genus, quæ nec communia sunt omnibus, & errori obnoxia. 4. Oppositorum non semper oppositas esse rationes, nec si albedo sit causa cur aliquid videri possit, ob id nigredinem ei oppositam causam esse, cur aliquid nequeat videri. Vel si causa divitiarum sint dignitates & munera splendida, talium privationem causam esse paupertatis.

IV. Ista verò haudquaquam intercedunt argumentationi à nobis propositæ. Ad 1. *Exc. Resp* 1. *Per negationem*, constat e demonstrativè, Sadducæos rejecisse omnem Scripturam prętter libros Mosaicos. Quanvis enim multi Auctores & veteres & recentes hoc tradant, vix tamen credibile, Judaicam gentem superstitiosissimam circa litteram & corticem Scripturæ Sacræ non tantùm toleraturam fuisse Sectam hominum, qui opinionem adeò apertè impiam, & in Codicem Sacrum injuriam foverent, verùm etiam eos habituram pro Doctoribus, qui in gente sua eminente. Et quanvis per תורה שבעל פה & traditiones ἀγράφους παραδόσεις multas Scripturis adderent obseruationes non præceptas in iis, & hic quidam essent [illegible] præ aliis: vix tamen credibile, passuros fuisse Judæos maxi-

maximam partem Scripturæ Sacræ impunè rejici à Secta integra, & quidem alicujus nominis. Quibus etiam hoc ſcelus à Phariſæis non impactum, ſed aliud potius nomen קראים, *Lectionariorum* tributum. Quod ſanè illis haudquaquam tribui potuiſſet, ſi maximam lectionis ſacræ partem è medio ſuſtuliſſent. Adde, nec vel Chriſtum unquam hoc Sadducæis impegiſſe, quanvis quaſvis corruptelas Legis graviſsimè perſtringeret, Matth.5. verſ.15.16. & 23. vel Apoſtolos quicquam tale illis exprobraſſe, quod haudquaquam diſsimulaturi fuiſſent. Et quanvis Evangeliſtæ errores Sadducæorum diligenter notent, de hoc tamen altum apud illos ſilentium eſt. *Inſt.* Id ſequitur ex eo quod Chriſtus tantùm ex Moſe argumentum ad probationem reſurrectionis mortuorum iis objicit, adeoque ex principio tali quod ſolum admittebant, quum alioquin clariora ipſi deeſſe non potuiſſent ex ſcriptis Propheticis. *Reſp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον & *non causæ.* Cauſa enim, cur Chriſtus iſto probationis genere uti maluerit quàm alio, in mero ipſius beneplacito & arbitrio quærenda eſt. Adde, argumentum illud à *natura fœderis divini* cum Patriarchis initi ductum & *per ſe* validiſsimum fuiſſe, petitum quippe à fundamento ſpei, & gloriationis Judæorum, & *ad hominem* tale, quia immortalitatem animarum adſtruebat, & ſubruebat fundamentum erroris Sadducæorum, nec *rem* tantùm, ſed & *cauſam* ejus probabat.

V. 2. *Per conceſsionem*, demus, Sadducæos omnia ſcripta rejeciſſe præter Moſen, haudquaquam tamen ſequeretur, Chriſtum hoc in loco hunc errorem eorum perſtrinxiſſe. Immò, ſi hoc in iis perſtrictum voluiſſet, haudquaquam ſanè id generaliori loquutione, ſed apertis potius verbis præſtitiſſet. Peccatur itaque *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Adde, ἐπεξήγησιν verborum Chriſti haberi in ſequentibus, & Chriſtum oſtendere, quas Scripturas neſciverint Sadducæi, illas ipſas nimirum, quas illis impingit, & ex quibus verba illa educit: *Ego ſum Deus Abrahami*, &c. Quum verò quoad literam illas Scripturas haudquaquam ignorarint, ſequitur, eos verum earum ſenſum per argumentationem & conſequentias ex iis eruendum haudquaquam ſciviſſe, & hoc ipſum in illis perſtringi. Nihil ergo clarius, quàm illarum Scripturarum ignorantiam iis impingi, quas illis neſcientibus ingerit Dominus illo ipſo loco, ut eorum errori mederetur. Vnde peccatur aperta παρερμηνεία verborum Chriſti.

VI. Ad 2. *Except. Reſpond.* Peccari denuò *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον in iſta retorſione, nec enim ſequitur, ſi falſa argumentatio *per conſequentias* malas meritò perſtringatur, nec inſtitui debeat, veram argumentationem per conſequentias bonas vel perſtringi à Domino, vel rejici debere. Et aliud eſt, argumentationem *per conſequentias falſas* inſtitutam damnare, aliud damnare argumentationem *per conſequentias*. Nec ſi mala allegatio *textus formalis* S. Scripturæ meritò damnetur, allegatio *textus formalis* bene inſtituta damnari debet. *Abuſum* itaque Chriſtus perſtringit, *uſum* verò non tollit. 2. Immò *uſum* argumentationis id genus ipſe Chriſtus diſertè verbis ſequentibus commendat, dum eos ex loco Moſis, *Ego ſum Deus*

VV

Abrahami, Isaaci, & Iacobi, vult colligere, futuram aliquando resurrectionem mortuorum. 3. Peccatur *Elencho ex particularibus*, & *paralogismo accidentis*: Si aliquando erretur in argumentationibus id genus: Ergo semper in iis erratur, vel; Ergo illæ sunt periculosæ & fallaces. Atqui erratur etiam sæpe in allegatione *textuum formalium* Scripturæ: Erratur sæpe in actu visionis circa hoc vel illud objectum, haudquaquam tamen sequitur vel allegationem *textuum formalium*, vel apprehensionem objecti alicujus per visum esse periculosam & fallacem. Nec *per se* error nascitur ex ejusmodi illatione, sed *per accidens* tantùm.

VII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, ejusmodi ignorationem perstringi à Christo, quæ esset in vitio. 2. *Per negationem*, talem non esse quæ nascitur ex neglectu argumentationis & collectionis justæ & necessariæ ex Scriptura. 3. Peccatur *Elencho ex particularibus*. Nec enim in vitio, quod quævis quæ latent in Scriptura non eruantur ex ea, sed quod ea quæ patere debent, ex ea non educantur, quale erat hoc argumentum ductum à natura fœderis divini, de quo tantopere gloriari solebant Judæi. 4. Peccatur *paralogismo plurium interrogationum* vel *parium*, dum plura conjunguntur, velut paria, quæ tamen non sunt paria. Alia verò ratio *principiorum rationis*, alia *Philosophia* humanæ, illa enim omnibus communia sunt, ista haudquaquam. 5. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Philosophia humana, & usus principiorum rationis errori obnoxia sunt: Ergo adhiberi nec debent nec possunt. Atqui & visus errori obnoxius est, & auditus, & usus rationis in civili conversatione, & in contractibus. An & ideò adhiberi non debebunt? An *abusus* talium tollet eorum *usum*, vel vitium actus ipsum actum? Quî verò alia adhibenda sint, & quî errori obviam iri debeat in usu principiorum rationis & Philosophiæ humanæ, ostendetur, faciente Deo, in ἀνασκευῇ argumentorum sententiæ oppositæ.

VIII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peccari *falsa suppositione*, oppositorum oppositas à nobis rationes per omnia statui: Atqui ut opposita est oppositorum ratio secundùm id secundùm quod sunt opposita, h. e. secundùm eorum *rationem formalem*, sic & eadem eorum ratio est secundum id secundùm quod conveniunt sive *ratione generis*, sive *ratione subjecti*. 2. Peccatur *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον in allatis exemplis, quorum quippe alia prorsus ratio est. Nec etiam sola albedo causa est cur aliquid videri possit, nec visionis *objectum adæquatum* est hic vel ille color in specie, sed quivis color, quævis lux. Sic itaque argumentum ducendum foret: Si coloris positio vel colorati potius aut lucidi, facit ut objectum videri possit: Ergo negatio coloris, vel colorati aut lucidi facit ut objectum aliquod videri nequeat. Sic nec mera divitiarum causa sunt dignitates vel munera, nec *per se* ex illis sequuntur divitiæ, nec semper, & aliæ dari possunt causæ intercedentes paupertati, verbi gratia, hæreditates, lucra, dona, & alia id genus compendia.

IX. IV. *Argumentum* ducitur ex locis Luc. 24. 25. 26. 27. *O amentes*

& tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita introire in gloriam suam. Et exorsus à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso scripta erant. Et vers. 44. 45. 46. 47. *Dixitque eis: Hi sunt sermones, quos loquutus sum vobis, quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis & Psalmis, de me. Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas: Et dixit eis: ita Scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere à mortuis tertio die.* Si Christus reprehendit Discipulos, quod non eruerent argumenta ex Scriptura, nec agnoscerent quæ de se in iis scripta essent, & ea velit ex scriptis inferri quæ αὐτολεξεὶ, in iis non exstabant, utique argumentationes vel probationes *per consequentias* eductæ possunt esse & licitæ & solidæ, & verus Scripturæ sensus.. Verum prius. Ergo & posterius. *Majoris consequentia* evidens, nec enim aliàs justæ reprehensioni locus, si argumentationes id genus illicitæ forent, nec id scriptum dici potest, quod non totidem litteris & syllabis in Scriptura est expressum. *Minor* patet ex locis allegatis.

X. *Exc.* 1. Aliam Christi rationem esse & argumentationum ab illo propositarum, aliam nostram, & probationum nostrarum. Nisi eandem nobis vel auctoritatem tributam velimus, vel infallibilitatem. 2. Expresse illa haberi in Scripturis ob quæ Christus discipulos suos reprehendit, prædictiones nimirum de passionibus, morte, & resurrectione Messiæ. Illa verò quæ nos probamus ex Scriptura, ita in ea non haberi. 3. Discipulos etiam illos peculiari ratione & instructos fuisse *externè* à Christo, & illuminatos *internè*, adeoque rationem certam tenere potuisse, quî hæc vel illa ex Scripturis essent eruenda; Eadem vel privilegia vel media nobis haudquaquam communia esse: Ideò illos reprehendi, non quod non argumentarentur *per consequentias* ex Scripturis, sed ideò tantùm quod non recolerent animo *sermones, quos Christus illis* erat *loquutus*, quum adhuc esset cum illis. Ista verò ad nos non pertinere, nec nobis tribui posse.

XI. Sed nec hæ Exceptiones boni commatis sunt. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, & *negationem*, sensu supra Disputatione XXI. Thesi XIV. expresso. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Aliud enim, eandem cum Christo vel auctoritatem vel infallibilitatem nobis adscribere, aliud, facultatem argumentandi per consequentias nobis vindicare. Illud nemini licere potest sine sacrilegio: Hoc verò non tantùm nobis licere, sed etiam ex officio incumbere patet ex increpatione Christi instituta apud Discipulos ob ejus neglectum.

XII. Ad 2. *Exc. Resp* 1. Peccari *falsa hypothesi*, expressè, hoc est, αὐτολεξεὶ haberi in Scriptura & sine illatione per consequentias vel passiones Messiæ, vel mortem vel resurrectionem, minus Jesu Nazareno talia competere 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, probationes nostras super articulis controversis in Scripturis non haberi, & solidè ex iis non erui, quod docendum, non dicendum tantùm.

VV 2

XIII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Discipulos illos peculiari ratione, hoc est, peculiari modo docendi instructos fuisse præ nobis, quatenus nimirum orali Christi institutione gavisi fuêre; falsum verò, vel alia dogmata illis proposita fuisse, vel alias rationes probandi, & peccatur vel *falsa suppositione*, vel *Elencho à dicto secundùm quid*. 2. Supponitur precariò, non tantùm peculiarem rationem nobis ignotam à Christo Discipulis *externè* ostensam, sed etiam *internè* inspiratam, quî hæc vel illa ex Scripturis essent eruenda. Adeoque priuilegia id genus finguntur sine fundamento. Immò si inspiratio extraordinaria id genus obtigisset Discipulis istis, haudquaquam illi adeò graviter impegissent, sed justæ Christi reprehensioni, conveniente illatione ex Scripturis instituta, prævertissent.

XIV. Ad 1 *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, quod ideò tantùm fuerint à Christo reprehensi, quod non recolerent animo *sermones* quos illis erat loquutus. immò *duplex* reprehensionis Christi *fundamentum* est; *Vnum*, quod non crederent omnibus *quæ loquuti erant Prophetæ*. vers. 25. Cui errori medetur Dominus I. *Externè* interpretando illis in omnibus Scripturis, quæ de se scripta erant in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis. II. *Internè* aperiendo eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. *Alterum* verò reprehensionis fundamẽtum erat, quod non meminissent *sermonum*, quos illis loquutus erat quum adhuc esset cum illis. 2. Peccatur *Elencho oppositorum*, & παρὰ τὸ ἐναντίον, nec enim sermones quos Christus loquutus fuit Discipulis suis opponendi sunt vel dictis Legis & Prophetarum, vel argumentationibus ductis ex iis *per consequentias*. Quia ipsi illi sermones partim erant dicta Legis & Prophetarum, partim eorum ad se applicatio per argumentationes institutas secundùm usum principiorum rationis & consequentias.

XV. 5. *Argumentum* ducitur ex Joh. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis habere vitam æternam & illæ sunt quæ testantur de me.* Si Scripturæ sint scrutandæ & si illæ nobis testari debent de Jesu Nazareno, sequitur argumentationes ex illis instituendas esse per legitimas consequentias. Verum prius: Ergo etiam posterius. Majoris consequentia patet 1. Ex vi verbi ἐρευνᾶν quod non est simpliciter ζητεῖν, ut habet *Hesychius*, nec tantùm ἰχνεύειν vel ἐξιχνεύειν vestigare, ut habet *Pharorinus*, sed ut idem notat, est quærere aliquid cum mora aliqua & cura singulari, & respondet τῷ חפר, & τῷ חקר Hebræorum, quod est ἀναζητεῖν, ἐξερευνάζειν. Sic idem *Pharorinus*, id ducit παρὰ τὸ ἐρῶ, hoc est, τὸ ἐρωτῶ καὶ τῇ εὐνῇ ὃ σημαίνει τὴν διερεύνησιν, ὁ γὰρ ἐρευνῶν, inquit, ἐπιπολὺ ἐρωτᾷ ἀνδιερευνᾷ. Posset etiam duci ἀπὸ τῆς ἔρας καὶ τῆς εὐνῆς, quod sit quasi indagatio cubilis vel viscerum terræ, & designet operam sedulam quam vel *metallarii* in terræ visceribus perscrutandis ad metalla eruenda ponunt, vel canes singulari sagacitate è latebris eruendo prædam latentem. Quæ Etymologia minus coacta videtur alia, quam habent *Eustathius* & *Etymologicum*.

logicum Magnum, quod ſit ἐκ τοῦ ἐρέω τὸ ζητῶ πλεονασμῷ τοῦ υ καὶ ν. Eodem verò
ſenſu, de ſeria nimirum & ſedula inquiſitione ſumitur verbum ἐρευνᾶν,
Johann. 7. verſ. 52. & 1.Petri 1. verſ. 10. ubi verbo ἐξεζήτησαν additur
verbum ἐξηρεύνησαν, quod ταυτόλογον foret, niſi ſingularem quandam in-
dagationem deſignaret. Sic 1.Corinth. 2. verſ. 20. dicitur τὸ πνεῦμα
ἐρευνᾶν τὰ βάθη etiam τοῦ θεοῦ, non perſcrutatione deſignante vel præ-
ſupponente *ignorantiam*, ſed oſtendente *exactam cognitionem*, ejuſque com-
municationem in ordine ad fideles. Eandem ſignificationem habet
verbum ἐρευνᾶν Roman. 8. verſ. 27. & Apocalyp. 2. verſ. 23. ubi veſtiga-
tionem & cognitionem exactam deſignat. Sic *Syrus* Interpres hîc ha-
bet verbum בצא quod eſt rimari rem, eam profundè explorare. Hinc
in *Ithpahel* מתבצא apud Syrum reſpondet τῷ ἐλέγχεται, 1.Corinth. 14.
verſ. 24. Sic *Maximus* per τὸ ἐρευνᾶν benè intelligit τὴν ἐπιμελῆ καὶ ἀκριβῆ
τῶν κεκρυμμένων ζήτησιν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν καὶ τῶν ἀδήλων φανέρωσιν. Verba
Chryſoſtomi in hunc locum ſunt eximia, qui notat, Chriſtum non re-
mittere Judæos ad ſimplicem ἀνάγνωσιν Scripturarum, ἀλλ' εἰς ἔρευναν ἀ-
κριβῆ καὶ κατεσκευασμένην, οὐ γὰρ εἶπεν, ἀναγινώσκετε τὰς γραφάς, ἀλλ' ἐρευνᾶτε τὰς
γραφάς. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πολλῆς ἐδεῖτο τῆς ἐπιμελείας, διὰ τοῦτο καὶ
διασκάπτειν αὐτοὺς μετὰ ἀκριβείας κελεύει νῦν, ἵνα τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα δυνηθῶσιν
εὑρεῖν. οὐ γὰρ ἐξ ἐπιπολῆς εἴρητο, οὐδὲ ὑπὲρ τὴν ἐπιφάνειαν ἔρριπτο, ἀλλ' ὥσπερ τις θη-
σαυρὸς ἐν πολλῷ τῷ βάθει κατέκειτο. ὁ δὲ κάτω κείμενα ζητῶν, ἂν μὴ μετ' ἀκριβείας
ζητῇ καὶ πόνου, οὐδέποτε δυνήσεται εὑρεῖν τὸ ζητούμενον. Ubi verò indagatio &
inquiſitio ſedula locum habet, ibi datur illatio unius ex alio, vel appli-
catio unius ad aliud, quæ dari nequit ſine conſequentiis. 2. *Ex at-
tributo* ſequente, quî enim Scripturæ Moſis & Prophetarum poterant
teſtari Judæis de Jeſu Nazareno, niſi per illationem & applicationem
inſtitutam adhibitis principii rationis & conſequentiis. 3. Immò quî
Judæi poterant exiſtimare, ſe habere in Scripturis vitam æternam, niſi
per illationem & *conſequentias*.

XVI. *Exc.* 1. τὸ ἐρευνᾶτε non deſignare ἔγκλισιν προςτακτικὴν modum im-
perativum, ſed *δεικτικὴν modum indicativum*, non deſignativum *officii*, ſed *pra-
xeos* Judæorum quid illi facerent. Non imperati itaque Judæis ſcruta-
tionem Scripturæ, adeoque nec illationem vel argumentationem *per con-
ſequentias*. 2. Chriſtum Judæos perſtringere ſuper δοκήσει ſua, quod vide-
rentur ſibi ex Scriptura habere vitam æternam. 3. Scripturas de Chri-
ſto teſtari, credendum fuiſſe ob iſtam Chriſti aſſertionem, quæ ſufficere
debuerit Judæis, prout eos increpat alibi, quod teſtimonium ſuum non
reciperent, Johan. 3. 11. quum tamen Teſtimonium ſuum verum ſit, quod
ipſe ſibi perhibeat, Iohan. 8. 14. Cui addit teſtimonium majus opera
nimirum ſua, Iohan. 5. 30. 4. Scrutationem etiam Scripturarum non
neceſſariò inferre illationem *per conſequentias*, ſed diligentem textus &
verborum inſpectionem, ut verus Scripturæ ſenſus inde eruatur.

XVII. Sed nec iſta magis nos feriunt, vel expoſitioni noſtræ inter-
cedunt, magis quàm ea quæ à nobis ſupra confutata fuêre. Ad 1. *Except.*

Resp. 1. *Per negationem:* Petitur enim τὸ ἐν ἀρχῇ, & oppositum à nobis demonstratum in superioribus, ostensumque revera verbum illud non sumi debere in *modo indicativo*, sed esse ἔγκλισιν προστακτικὴν *modum imperativum*, quod 1. *Syrus* Interpres docet, qui habet τὸ בצו *scrutamini* in eadem ἐγκλίσει. 2. Ratio ducta ex *scopo* vult enim Christus Iudæos eò adducere, ut testimonium à Scriptura de se perhibitum, & se ex eo agnoscerent. Nec designatur tam *praxis* Iudæorum quàm *officium*. 3. Id etiam ex eo patet, quia illi non solebant ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς, *scrutari Scripturas*, sed obiter duntaxat eas legere, & hærere literæ vel cortici Scripturarum, haudquaquam verò seriò inquirere in earum applicationem, adeoque nec formare illationes ex consequentiis legitimis. 2. *Per concessionem*, demus intelligi ibi verbum ἐρευνᾶτε in *modo indicandi*, eo ipso, quo id non improbatur à Christo, sed potius probatur, & ex eo argumentum à Christo ducitur, eo ipso nobis idem incumbit ex officio.

XVIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Precariò & sine fundamento supponi, δοκεῖν illam à Christo perstringi, quum enim Scripturæ tradant *viam* ad vitam, vel *legalem* per *justitiam inhærentem*, vel *Euangelicam*, per *justitiam imputatam*, qui poterat vitio verti Iudæis, quod in Scripturis quærerent ea quæ in illis revera exstabant. Sic sanè Christus non tam Iudæos perstrinxisset, quàm auctorem Scripturæ; quod absurdum. 2. Peccatur etiam *Elencho à dicto secundùm quid.* Aliud enim est, improbare simpliciter, quod in Scripturis quæreretur vita; aliud, id ipsum improbare *secundùm quid*, quod alio modo quæreretur, quàm debebat quæri. Hoc posterius multis Iudæis impingi meritò poterat, prius non item, multis enim ex iis videbatur in parte Scripturæ, hoc est, Lege strictè considerata vita quærenda esse, aut per observationem ceremoniarum legalium, aut per observationem legis moralis, velut sibi possibilem quoad *perfectionem & partium & graduum* exactam in Lege.

XIX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Scripturas de Christo testari, credendum fuisse ob istam Christi assertionem & Iudæis illis, & nobis. 2. *Per negationem*, id tantùm ea de causa, ut credendum, à Christo proponi. Immò ideò à Christo ut credendum proponitur, quia revera ita se res habebat. Et sanè Iudæos Christus id ibi non credere jubet, ob *suam auctoritatem*, quippe quam non agnoscebant, sed ob *rei veritatem*, quia res ita se habebat. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον sufficere debuit testimonium illud Iudæis eo quod Christus id proposuit: Ergo potuit sufficere, vel actu suffecit, quum de auctoritate Christi probanda ageretur apud homines pervicaces, qui eam non in dubium tantùm vocabant, sed etiam negabant, & qui melius revinci non poterant nisi per scrutationem sedulam Scripturæ. 4. ἐξαγώνιον & ἀπροσδιόνυσον, testimonium Christi de se verum fuisse, quanvis pro tali non haberetur à Iudæis, ut patet ex versu 31. ἐξαγώνιον etiam, Christum testimonium aliud habuisse, opera nimirum sua. Sed peccatur *Elencho oppositorum*, nec enim testimonium operum oppo-

opponendum Scripturæ, vel ſenſui ex ea *per conſequentias* eruendo, ſed cum eo componendum & conjungendum.

XX. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem.* Scrutationem Scripturæ etiam exigere diligentem textus & verborum inſpectionem. 2. *Per negationem,* illam hoc ſolum exigere, exigit verò etiam συγκρίνειν & collationem locorum cum locis, & illationes varias quæ non dantur ſine ratiocinatione *per conſequentiam.* 3. Immò κατὰ τὸ ῥητὸν, quum verus Scripturæ ſenſus eruendus ſit, ille verò erui nequeat, ſine ejuſmodi illatione & ratiocinatione per conſequentias, utique illa adhiberi debet, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISPUTATIO XXIII.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQUENTIIS.

Thesis I.



ARgumentis inartificialibus retrò à nobis propoſitis pro legitimo ratiocinationum *per conſequentias,* non ut per *fundamenta,* ſed ut per *inſtrumenta* probationum, ex Scriptura uſu, addimus adhuc ſequentia.

II. 6. *Argumentum* ducitur ex Actor. 17. 2. 3. Ubi Paulus dicitur diſſeruiſſe cum Theſſalonicenſibus Judæis, *explicans, & ob oculos ponens, oportuiſſe Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & hunc eſſe Chriſtum* nempe *Ieſum.* Et verſ. 11. *Berœenſes dicuntur quotidie ſcrutati Scripturas, an hæc* (quæ nimirum ex Paulo audiverant) *ita ſe haberent.* Si Paulus uſus fuit ratiocinatione crebra *per conſequentias* in probando Euangelio, & Berœenſes laudantur ob eundem modum procedendi in eo excipiendo, licet hodieque ita uti Scriptura, & id tum ſolidè fieri, tum verus Scripturæ ſenſus hac ratione inveſtigari poteſt. Verum prius. Ergo etiam poſterius. Nec oſcitanter prætereundum in textu Græco, Apoſtolo Paulo tribui τὸ διανοίγειν & παρατιθέναι, & quidem ἀπὸ τῶν γραφῶν, iſta enim ſine interpunctione legenda. Ubi *Syrus* Interpres non tantùm utitur verbo מפשק quod ſignificat *interpretari, exponere,* ſed & μαζὺ מחוא quod *participium* non tantùm eſt δεῖξαι, ſed etiam ἀποδεῖξαι. Hinc per abſtractum מחויתא reddit idem Interpres ἀπόδειξιν. Et ſanè τὸ παρατιθέναι eſt παραβάλλειν & συγκρίνειν & παρεικάζειν, ut habet *Varinus Phavorinus*, hoc eſt, rem aliquam cum alia proponere & conferre. Eodem ſenſu verſu 11. de Berœenſibus dicitur quod ἀνέκρινον τὰς γραφὰς, hoc eſt, διέρευνων, κατὰ

ἀκριβείας τὰς γραφάς, ut habet *Chrysostomus*, vel ζητούντων, ut habet *Oecumenius*, διερχόμενοι τοῖς τῶν παλαιῶν λόγοις συνᾴδοντα τὰ περὶ τῆς ἐν σαρκὶ οἰκονομίας πράγματα, ut ibidem addit. Quod sine *consequentiarum* usu fieri haudquaquam poterat.

III. *Exc.* 1. Pauli exemplum malè à nobis ad imitationem trahi, nec enim idem nobis licere quod homini in tertium cœlum rapto, & Apostolo, & immediatè à Deo inspirato. Immò illum ipsum processum Pauli contradictione multorum exceptum fuisse, nec eos fuisse persuasos hac ratione de veritate Euangelica. Multò minus ratiocinationibus nostris *per consequentias* aliquem persuaderi posse. 2. Τὸ διανοίγειν & παρατιθέναι non significare necessariò illationes per consequentias, sed expositiones locorum Propheticorum Testamenti veteris. 3. Berœensibus omnibus hoc promiscuè non tribui, sed εὐγενεστέροις inter illos, qui nobilitate generis, morum probitate & animi virtute ac pietate excellerent, adeoque singulariter à Dei Spiritu agerentur. 4. Berœenses jam credidisse ante istud scrutinium, dicuntur enim prius *recepisse sermonem. cum omni alacritate*, & additur demum, illos *quotidie scrutatos Scripturas, an hæc ita se haberent*. 5. Si illationes & ratiocinationes *per consequentias* intelligerentur, sequeretur, Berœenses judicium sibi vindicasse in Paulum, & se eo superiores censuisse. Immò si sic licuisset judicare de viva Pauli voce, licuisset illis de ea dubitare, adeoque pari ratione nihil quicquam causæ esset, cur non hodieque liceret nobis dubitare de Epistolis Pauli, an sint veræ, & verbo Dei conformes, quum istæ non magis sint verbum Dei, quàm id quod viva voce traditum à Paulo jam olim fuit.

IV. Nequicquam verò ista omnia obtenduntur veritati. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Exemplum istud Pauli malè ad imitationem trahi 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *paralogismo ex particularibus*, nos eadem planè in omnibus nobis licere velle, quæ licuêre Paulo. Satis, in aliquibus eadem nobis liceant. Distinguenda itaque ea quæ à Paulo facta, ratione *vocationis* vel *auctoritatis extraordinariæ*, ut *ab Apostolo*, ut ab homine in tertium cœlum rapto, & *immediatè à Deo inspirato*, & ea quæ ab eo facta vel ut à Discipulo Christi, vel ut *à Doctore Euangelij*, ratione *vocationis ordinariæ*. Illa haudquaquam nobis licent, ista verò licent. Vti verò principiis rationis, & argumentari *per consequentias* ad *posteriorem classem* pertinet, non ad *priorem*. 3. Peccatur *falsa suppositione*, Paulum ab illis quibus cum agit, habitum fuisse pro Doctore θεοπνεύστῳ adeoque αὐτοπίστῳ. quod falsum, & precariò supponitur. Immò ex ea quam Paulus expertus est contradictione, patet, Paulum *ratiocinativè* processisse, non *authoritativè* respectu sui. Nec si sic processisset, opus fuisset, ipsum διανοῖξαι & παρατιθέναι ἀπὸ τῶν γραφῶν, sed suffecisset simplex Apostoli assertio. 4. Peccatur denuò *falsa hypothesi*, istum modum procedendi à Paulo observatum, nullo cum fructu ab eo adhibitum fuisse. Atqui oppositum docet Lucas vers. 3. & ostendit *aliquos persuasos* fuisse & *se adjunxisse Paulo*, & quidem *ingentem Græcorum multitudinem*. 5. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, si contradictionem

nem multorum expertus fuerit Paulus ratiocinatione ista usus ex Scripturis, ergo illas sine fructu adhiberi, quum & ipsa textuum formalium propositio contradictione multorum sæpe excipiatur, nec tamen ob id modus iste procedendi improbari debeat. Immò ipsa Dei oracula è Prophetarum & Christi ipsius ore profecta, ita excepta sæpe ab hominibus pervicacibus fuêre, nec tamen ob id vel isti instructionis modo, vel eorum qui eum adhibuêre sive auctoritati sive dignitati quicquam derogari debet. *Suadere* sive per *textus formales*, sive per *ratiocinationes ex consequentiis* institutas hominum est, *persuadere*, Dei solius.

V. Ad 2. *Exc Resp.* 1. *Per concessionem* τὸ διανοίγειν & παρατίθεσθαι designare etiam posse expositiones locorum Propheticorum sive *verbales*, sive *reales*. 2. *Per negationem* vel illas dari sine usu principiorum rationis, vel *solas* ejusmodi expositiones à Paulo hìc adhibitas vel adhibitas *præcipuè*. Immò patet ex iis quæ Apôstolus apertione & collatione ista probata voluit, (nimirum quod & Jesus Nazarenus esset Christus, & quod illum oporteret pati & resurgere ex mortuis) neutrum ab illo fieri potuisse sine argumentatione *per consequentias*. 3. Adde, Berœenses introduci à Luca Scripturas ἀνακρίνοντας, adeoque conferentes Scripturas cum Scripturis, & Pauli prædicationem cum iis, quod fieri non poterat sine ratiocinatione per consequentias. *Hesychio* ἀνακρινόμενος est ἐξεταζόμενος. *Varino Phavorino* ἀνακρίνειν est ἐξετάζειν, ἀναπυνθάνεσθαι, ἐρωτᾷν, ἐλέγχειν, βασανίζειν. Addit, ἀνακρίνειν, esse τὸ πραχθὲν ἐξετάζειν εἰ ὀρθῶς ἢ κακῶς ἐπράχθη.

VI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Per negationem. Dici enim posset *prædicatum* istud εὐγενέστεροι intelligi *politicè*, prout intelligitur alibi, ubicunque occurrit in toto Novo Testamento, de hominibus nimirum vel *nobilitate generis, vel dignitate* alioquin præcellentibus, ut patet ex collatione locorum, Luc.19.21. 1.Corinth.1. vers.26. Prout id ipsum hic sumit interpres *Arabs*, qui *nobiliores genere* designat, prout, & τὸ גדורי reddunt LXX. εὐγενεῖς *politicè*, hoc est, δυνάσται. Sic iisdem גדולים sunt οἱ μεγιστᾶνες. Sic *Varino* εὐγενεῖς sunt οἱ ἐκ πατέρων ἐπιφανεῖς καὶ τοῦ γένους, εὐπατρίδαι dicti Atticis. Fatetur quidem ibidem *Varinus*, vocem istam etiam transferri ad *animum & sermonem*, prior tamen significatio prima est, quæ *patriæ & generis* dignitatem designat. Sic εὐγένειαν ibidem vocat δόξαν ἐκ προγόνων καὶ τὴν καλλίω γενεάν. 2. *Per concessionem*, demus prædicatum istud sumi *ethicè* de εὐγενείᾳ animi, & εὐγενεστέρους hic esse γενναιοτέρους ἐπιεικεστέρους, adeoque designare homines majori virtute præditos, quæ significatio hic magis accommoda videtur, tum quia non conferuntur vel incolæ Berœenses simpliciter inter se, vel cum Thessalonicensibus, sed Judæi Berœenses cum Thessalonicensibus, inter quos utrinque quidam erant magis εὐγενεῖς *politicè*, quidam minus, etsi à prima stirpe essent ex eodem sanguine, tum quia opponuntur illis Iudæis Thessalonicensibus qui vocantur ἀπειθοῦντες, & describuntur, ut turbulenti & seditiosi, tum quia statim sequitur velut signum istius εὐγενείας, quod *receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas.* Quæ

ipsa tamen εὐγένεια & *secundùm rem* & *secundùm gradum* erat à Spiritu Dei, ἐνέργεια quædam regenerationis in talibus operante potius quàm aliis, adeoque à mera Dei gratia discernente hos ab aliis. Peccatur tamen *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Isti Berœenses animi virtute & morum probitate excellebant præ aliis, adeoque illis licebat ἀνακρίνειν τὰς γραφὰς, *dijudicare Scripturas* & ex mutua earum collatione argumenta ducere: Ergo aliis id ipsum non licet. Officia enim id genus communia Dei filiis omnibus ex æquo incumbunt. Quamvis enim alii aliis hoc felicius præstare possint, qui majori ἀγχινοίᾳ instructi sunt, majori etiam virtute prædìti præ aliis, nemo tamen est, qui cum reverentia debita in lectionem Sacræ Scripturæ incumbendo, non ratiocinari possit ex ea, & unum ex alio colligere. Distinguendum itaque τὸ ἐν. & τὸ ἶον. 3. Peccatur etiam *Elencho non causa*, nec enim ideò illi dicuntur *scrutari Scripturas* quod εὐγενέστεροι fuerint aliis, sed quia *receperunt sermonem cum omni alacritate* quæ ipsa receptio erat causa εὐγενείας majoris in his quàm in aliis. 4. Idem potest retorqueri κατὰ τὸ βίαιον: Si hominibus majori virtute præditis licet argumentari *per consequentias*: Ergo & Doctoribus verbi & viris piis ac probis id licet, qui vel revera sunt εὐγενεῖς *positivè*, vel εὐγενέστεροι aliis *comparativè*, vel tales esse ex canone charitatis præsumuntur.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, demus Berœenses ante istud scrutinium credidisse, & *recepisse sermonem cum omni alacritate*, sufficit, in Ecclesia piis & fidelibus indulgeantur argumentationes ex Scriptura. Nec enim idem licere volumus hominibus vel profanis, vel ignaris, qui Scriptura tractanda sit & carentibus planè Spiritu illo, quo illæ conscriptæ fuère. 2. *Per negationem*, receptionem sermonis & fidem antecessisse scrutationem Scripturæ, in Berœensibus. Atqui scrutinium Scripturæ *medium* fuit & *instrumentum* quo isti Pauli sermones illis persuasi fuère, quum eos viderent conformes Mosi & Prophetis. Patet id evidentissimè ex ἀκολουθίᾳ verborum Lucæ. Si enim tales credidère prius sermones Pauli, revera habuère eos pro divinis, adeoque non potuère dubitare, an à Paulo dicta ita se haberent, prout Scripturarum vaticinia docebant. Adde, disertè subjici demum v. 12. *Multos ex iis credidisse.* Exceptio itaque sermonis μετὰ πάσης προθυμίας & scrutatio Scripturæ media fuère fidei illis ingenerandæ.

VIII. Ad 5. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho* ὁμωνυμίας Aliud enim est, *judicium* αὐτοκρατορικὸν. vel κανονικὸν, *judicium authoritativum*, vel *regulativum*, vel *decisivum*, aliud δοκιμαστικὸν & διακριτικὸν *judicium explorativum* & *discretivum*, ac *applicativum*: Illud superioris tantùm est, istud inferioris etiam. Illud *auctoritatis* est vel *potestatis*, istud *facultatis* Illud Berœenses sibi non vindicarunt in Paulum, sed istud. Tale verò omnibus in Ecclesia non tantùm permissum, verùm etiam imperatum. Debent enim omnes explorare Spiritus an ex Deo sint, nec temerè quovis vento doctrinæ circumagi. Vult enim Deus omnem λατρείαν nostram esse λογικὴν, & verbum suum unam esse regulam credendorum & faciendorum. Illationes & ratiocinationes

nes *per consequentias*, posterius judicium inferunt, non prius. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Nec enim qui posteriore isto judicio utuntur, superiores censeri debent aliis. Aliâs Christus tale scrutinium & judicium imperando Judæis, illos se superiores constituisset, dum vult illos ex Mose & Prophetis de se & operibus suis judicium facere. Idem judicium Discipulis Iohannis de se permittit, Matth. XI. 3. Peccatur *Elencho parum*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον: Si licuit Judæis Berœensibus dubitare de dictis à Paulo, nondum conversis ad Christianismum, nec de authoritate Pauli apostolica persuasis: Ergo idem hodieque nobis licet, qui & Christiani sumus & novimus, Apostolum istum fuisse θεόπνευστον, adeoque ut à Spiritu Dei actum scripsisse quæ scripsit.

IX. VII. *Argumentum* ducitur ex Actor. 18. 24. & 28. ubi Judæus quidam Alexandrinus nomine Apollos dicitur fuisse *potens in Scripturis*, & *magna contentione Judæos redarguisse publicè, ostendens per Scripturas Iesum esse Christum illum*: Si Apollos laudatur, quod ratiocinatione per consequentias instituta usus fuerit in probando Euangelio ex Scripturis, tum id & solidè fieri potest, & per argumentationes id genus verus Scripturæ sensus erui potest. Verum prius: Ergo & posterius. *Majoris consequentia* evidens. Si enim nullæ probationes vim habent, nisi quæ αὐτολεξεὶ è Scriptura totidem verbis ducuntur, haudquaquam solidè Apollos ita poterat argumentari., vel Iudæis ejusmodi argumentationibus demonstrare, quod illis demonstratum volebat, vel laudem eo nomine mereri. *Minor* patet ex textu, & emphaticum admodum est verbum διακατελέγχειν, hoc est, *Elenchis* vel argumentationibus convincebat Iudæos, Iesum esse Christum, & quidem per ἀποδείξεις tales, quibus non haberent quod solidè opponerent.

X. *Exc.* 1. Hoc licuisse Apollo, quippe qui fuerit *potens in Scripturis*, non tantùm *edoctus in via Domini* & *fervens Spiritu*, sed & cui *exquisitius* expôsita fuerat *via Dei*, adeoque cui & externa media & interna singulari ratione ad hoc suppetebant: Idem verò promiscuè non licere, quum paucis ista donorum Dei mensura obtingat. 2. Verba διακατελέγχειν & ἐπιδεῖξαι non esse vexanda, nec *Philosophicè* intelligenda, vel exigenda ad *terminos artis*, διακατελέγχειν enim idem esse quod הוכיח Hebræum, & denotare *increpationem* potius, quàm *convictionem* per argumenta. 3. Non opus fuisse ratiocinatione *per consequentias*, ut ostenderet Paulus Judæis, vel esse Messiam, vel Messiam esse *Iesum*, h. e. Salvatorem, id enim αὐτολεξεὶ haberi in Scripturis. 4. Divinam virtutem, & extraordinariam quidem fuisse in Apollo, quod Judæos pervicaces potuerit convincere. Illud verò donum haudquaquam commune esse.

XI. Ad 1. *Except. Respond.* 1. *Per concessionem*, non omnibus promiscuè id genus argumentationes licere, sed iis qui *edocti* sunt *in via Domini*, & qui profecêre in Schola ejus, qui *sensus* habent *exercitatos* in Scriptura. Tales verò quovis tempore in Ecclesia reperiuntur. Supponitur falsum, quasi profanis & rudibus planè licentiam ex Scripturis pro arbitrio ra-

tiocinandi, & quidvis ex iis inferendi concessam velimus. 2. *Κατὰ τὸ ἴσον.* Quia id & Apollo licuit, & aliis qui donis Dei egregiis instructi fuêre: Ergo solidè dantur probationes id genus ex Scriptura & illæ repræsentant genuinum ejus sensum. Nisi enim probationes illæ & consequentiæ *virtualiter* essent in Scriptura à nemine inde erui possent, quibuscunque donis instructus foret. 3. Supponitur, non probatur, eandem donorum *mensuram* exigi in omnibus iis qui aliquid ex Scriptura probatum volunt. Satis est in iis esse *δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ*, quamvis in iis non sit idem *μέτρον δωρεᾶς.*

XII. Ad. 2. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, verba illa non esse vexanda præter mentem Spiritus Sancti. 2. *Per negationem*, vel illa nudam & meram interpretationem designare, vel ea vexari, si dicamus, Apollo illationibus & argumentationibus per *consequentias* revicisse Judæos. Id enim disertè notat *τὸ ἐλέγχειν* & composita *ἐξελέγχειν*, *διελέγχειν* & alia id genus. Idem patet tum ex *prædicato*, quod illi adscribitur, quod fuerit *potens in Scripturis*, tum ex *effectu*, quia convicit Judæos, & quidem pervicaces, Jesum esse Christum id verò nudæ increpationes haudquaquam præstare poterant, quæ conviciis potius exceptæ fuissent, vel contemptu & risu ab hominibus profanis. Præpositio enim *διὰ* ostendit, Apollo ea in re egisse adversus hostes Euangelii, & præjudicatas eorum de Messia opiniones.

XIII. Ad 3. *Exc. Respond.* Supponi falsum, scopum Apollo fuisse ut ostenderet Judæis esse Messiam, vel Messiam esse *Iesum*, hoc est, *Salvatorem*, utrumque enim in confesso erat apud Judæos omnes, nec opus ulla apud ipsos habebat demonstratione. Hoc verò erat *τὸ ἀμφισβητούμενον* an Jesus Nazarenus esset iste Messias, vel Christus, quod negabant Judæi, affirmabat & demonstrabat Apollos. Id verò haudquaquam demonstrari poterat sine ratiocinatione *per consequentias*, & sine argumentatione ex *exemplis* Messiæ ducta, ut nec sine illorum applicatione ad Jesum Nazarenum, revera in eo reperiri characteres omnes à Mose & Prophetis de Messia repræsentatos, adeoque illum solum esse Christum illum ab iis prædictum.

XIV. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, divinam & extraordinariam virtutem fuisse in Apollo, nec talem tantùm in illo fuisse, sed & se exseruisse in Judæis, quibus cum ipsi res erat, non tantùm ad aliquorum ex iis *convictionem*, sed etiam ad aliorum *conversionem*. 2. *Per negationem* non licere argumentari ex Scriptura, nisi illis qui alios revera convincunt. At sic id nec Prophetis licuisset, nec Christo, nec Apostolis, qui sæpe haudquaquam convicêre illos, quibus cum ipsis res erat. Satis verò est, argumenta ad convictionem sufficientia proponi, quamvis effectus ille haudquaquam consequatur. Et aliud longe convincere aliquem *effectivè*, vel *eventualiter*, aut *consequenter*, aliud id facere *virtualiter* vel *formaliter*, vel *antecedenter*. Prius haudquaquam necessarium, posterius verò & necessarium est, & ab omnibus illis præstatur qui ex Scriptura ratiocinantur

nantur & argumentantur per veras consequentias, prout id fieri debet.

XV. VIII. *Argumentum* ducitur ex collatione aliquot locorum, Act. 20.21. ubi Paulus testatur, *se non subterfugisse quicquam* eorum quæ *conducerent* Ephesiis, quominus ea illis annuntiaret, & *attestatum esse Iudæis simul & Græcis conversionem ad Deum & fidem, quæ est in Dominum nostrum Iesum Christum.* Sic vers. 27.28. testatur se *non subterfugisse quominus annuntiaret* Ephesiis *omne Dei consilium.* Et tamen Actor. 26.12. docet, se *sua testificatione nihil dixisse extra ea quæ Prophetæ & Moses futura prædixerunt:* Nempe, *Christum fuisse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annuntiaturum huic populo & gentibus:* Si Paulus nihil docuit *extra ea* quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt, & tamen & Iesum Nazarenum docuit esse Messiam, & omne consilium Dei conducens, de ejus *persona, officio, beneficiis, objecto & modo* ea *applicandi* exposuit, sequitur. 1. Ista omnia in Mose & Prophetis *virtualiter* contineri. 2. Paulum per varias *consequentias* ista omnia ex Mose & Prophetis docuisse. Verum prius: Ergo & posterius. *Majoris consequentia* patet. *Minor* evidens est secundùm utrumque membrum ex verbis Pauli.

XVI. *Exc.* 1. Non nobis licere, quod Paulo Apostolo & Scriptori θεοπνεύστῳ. 2. Paulum non ex *scriptis* Mosis & Prophetarum, sed ex *dictis* ista omnia hausisse, adeoque supponi ea ex scriptis eorum per illationes & consequentias educta fuisse. 3. Paulum etiam non loqui *de scriptis*, sed *de dictis*, vel prædicatis *à se.* 4. Paulum hoc tantùm voluisse, se consona & convenientia cum Mose & Prophetis docuisse, nihil verò *contrà* eos. Ideò etiam Paulum ita loquutum, ut os obstrueret illis, qui eum cum Mose & Prophetis commissum volebant. 5. Restringi à Paulo tradita ex Mose & Prophetis ad Christi passionem & resurectionem, ut & ad vocationem gentium. Ista verò clarè in Mose & Prophetis haberi, alia multa non item.

XVII. Ad 1. *Exc. Resp.* Ad hoc jam supra *Thesi* IV. responsum esse, ubi ostensum, quæ & quî nobis liceant, quæ licuêre Paulo, & quibuscum egerit Paulus ista proponendo.

XVIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Paulum hîc intelligere dicta & non scripta Mosis & Prophetarum. Atqui dicta ab illis non poterant amplius præsentia esse Paulo nisi ex scriptis ipsorum, nec vel Ephesiis vel aliis nota, quibus cum ipsi res erat, nisi scripta. Et vel hoc admittendum, vel gratis supponendum, talia à Mose & Prophetis alibi de Christo oretenus tradita, & ad illa usque tempora per traditionem oralem conservata, & ad Iudæos ac gentiles perlata, esse, quæ totidem sunt ἀμαρτυροπιστία, immò falsa & asserta sine fundamento. 2. Notum, passim ex N. Testam. illa ut *dicta* Mosis & Prophetarum referri, quæ *scripta* ab iisdem fuêre, prout id demonstratum à nobis Disput. XXI. Thesi VIII.

XIX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per negationem*, supponitur enim gratis, Paulum alia prædicatione orali tradidisse, alia scripto, quod falsum. 2. *Per concessionem*, demus à Paulo *dicta* hîc intelligi, dentur nobis in Mosis & Prophetarum scriptis αὐτολεξεὶ præcepta de fide in Christum Iesum, & prædi-

ctiones de ejus morte, resurrectione, & prædicatione ab eo instituenda inter Judæos & Gentiles.

XX. Ad 4. *Except. Respond.* 1. Peccari aperta παρ᾽ ἀλλοίωσιν verborum Pauli. Nec enim illi profitetur tantùm, se nihil *contra* Mosem & Propheta; docuisse, sed consona duntaxat illis. Docet potius, se nihil docuisse de Christo ἀλλ᾽ ἐκτὸς *extra* ea quæ Moses & Prophetæ prædixêre futura, adeoque se applicuisse tantùm characteres Messiæ & prædictiones de eo instituti is ab illis ad Jesum Nazarenum, & sic se eadem cum illis docuisse. Aliud sanè, nihil *contra* doctrinam alicujus docere, aliud nihil *extra* eam docere. Illud enim *strictius* est. istud *latius*; illud *diversa* non excludit, sed *adversa* tantùm; istud non *adversa* tantùm, sed *diversa* etiam. Sic v.g. qui Euclidis elementa docet, *diversa* docet ab Hippocratis aphorismis, non *adversa* iis, sic qui Acroamaticos Aristotelis libros docet, non *adversa* docet Codici & Digestis, diversa tamen. 2. Eo ipso κατὰ τὸ βίαιον, quia Paulus volebat illis os obstructum qui ipsum cum Mose & Prophetis commissum volebant, imposuit illis necessitatem ratiocinandi ex Scripturis, *per consequentias*. & conferendi tradita à Paulo cum traditis à Mose & Prophetis prædictiones de Messia & earum applicationem.

XXI. Ad 5. *Except. Respond.* 1. *Per negationem*, intellecta locis illis à Paulo tantùm restringi ad passionem & resurrectionem Iesu Christi, & vocationem gentium. Atqui Paulus de *omni Dei consilio* faciente ad Ephesiorum salutem loquitur disertè, Actor.xx. 27. Immò sic non purgasset nec vindicasset doctrinam suam à suspicione novitatis, cujus insimulabatur ab hostibus suis, nisi ostendisset totam suam doctrinam in Mose & Prophetis contineri, & se prædicta ab illis in Christo & sub ejus œconomia impleta docere. 2. *Per concessionem*, demus, Apostolum se cohibuisse intra illa tantùm, ostendatur nobis αὐτολεξεὶ ex Mose & Prophetis sine illatione *per consequentias*, Jesum Nazarenum moriturum, resurrecturum, & vocaturum gentes. Hoc ipsum itaque retorqueri potest κατὰ τὸ βίαιον.

DISPVTATIO XXIV.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

Thesis I.



Quamvis octo *argumenta inartificialia* Disputationibus superioribus allata sufficere possent adstruendæ thesi orthodoxæ de legitimo ratiocinationum ex Scriptura *per consequentias* usu, aliquas tamen

tamen adhuc auctarii vicem superioribus adjiciemus, & ab *exceptionibus* Adversariorum vindicabimus.

II. IX. *Argumentum*, nostrum multis in compendium contractis, ducitur à praxi Pauli, qui Roman.11.17. probat justitiam Dei in Euangelio manifestatam ex Habac.11.4. quamvis αὐτολεξεὶ ibidem non extet. Sic probat Roman.3.10. &c. reatum universalem Judæorum & Græcorum, omnes esse sub peccato ex Psalm.14.3. & 53.3. quum tamen ibidem id totidem syllabis haudquaquam tradatur. Sic Rom.3. 21.22. justitiam Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt, docet comprobatam esse testimonio Legis ac Prophetarum, qualem probationem κατὰ γράμμα ibidem haudquaquam reperimus. Sic Rom.4.3. probat Paulus Abrahamum ex operibus non fuisse justificatum ex Genes.15.6. eo quod ibi dicatur, credidisse Deo, & hoc ei ad justitiam fuisse imputatum, quod Paulus infert per ratiocinationem, vers.4. & 5. Sic non opera, sed fidem imputari ad justitiam probat ex Psalm.32.3. quod ibidem τῷ χαρακτῆρι duntaxat habetur, & non nisi *per consequentias* erui potest. Sic probat Rom.9.11.12. *Propositum Dei*, quod est *secundùm electionem*, non esse ex operibus, sed ex vocante, ex Gen.25.13. & Malach.1. vers.1.2. quod dictum sit, *major serviet minori, Iacob dilexi, Esavum verò odio habui*, quæ nonnisi per ratiocinationes per consequentias, ut *per instrumenta* ex locis illis, ut *ex fundamentis* erui possunt. Sic electionem non esse *nec volentis nec currentis, sed miserentis Dei* probat ex Exod.9.8. Sic justitiam ex fide ejusque fructus probat ex Deut.30.12. & 14. & fidem in Christum Jesum ex Esa.28.26. Probationes id genus creberrimæ occurrunt, c.11.2.3.4.5.8.9.10.26. Sic præconium Christi *per Scripturas Propheticas* declaratum dicit Apostolus Rom. 16.26. Sic 1.Corinth.6.16. Scortationem proscriptam probat ex Genes.2. 24. Sic 1.Corinth.9.8.9. stipendia Ministris verbi deberi probat ex Deut. 15.4. ubi αὐτολεξεὶ tantùm sermo de bobus. Sic Patres eadem Sacramenta substantia tenus, & quoad res signatas juxta nobiscum habuisse probat, 1.Corinth.10. ex locis Exod.13.21. & 14.22. & 16.18. & 17.6. Num.9.18. & 20.10. & 21.16. Sic 1.Corinth.10.26.28. libertatem Christianam circa cibos probat ex Psal.24.1. Sic 1.Corinth.15.3. docet se tradidisse, Christum mortuum esse pro peccatis nostris secundùm Scripturas ex Esa.53.5. & aliis id genus locis, quæ nihil quoad litteram habent de Jesu Nazareno. Sic Gal.4.21.22.23.24. dicit Paulus, scriptum esse Abrahamum duos filios habuisse, quod αὐτολεξεὶ scriptum non reperitur. Sic ibidem duo fœdera per duas matres figurata fuisse, docet Gen.16.13. & 21.1. & docet talia non admittentes, legem non audire, vers.21. Plurima id genus ex Epistolis Apostoli conquiri possunt, vel imprimis ex Epistola ad Hebræos, ubi cap. 1.5. Paulus præstantiam Christi supra Angelos probat ex Psalm.2.7. & ex 2.Sam.7.14. & ex Psalm.97.7. & ex collatione Psalm.104. vers.5. & 45.7. ex ex Psalm.110.1. Idem genus probationis occurrit Hebr.2.6. ex Psalm. 8.5. & Hebr.2. 12.13. ex Psalm.20.13. & 18.3. Esa.8.18. ubi multiplici per consequentias ratiocinatione opus. Sic Hebr.4.5. introitum credentium

in requiem probat ex Psal. 95. 11. & Deut. 5. 14. Sic typum Melchisedeci exequitur Heb. 7. 1. 2. &c. eodem probationis genere ex Gen. 14. v. 18. Sic sacerdotium Christi probat Hebr. 7. 17. ex Psalm. 9. 4. Sic sacerdotes exemplari & umbræ rerum cœlestium deserviisse probat Hebr. 8. 5. ex Exod. 25. 40. Sic Hebr. 8. v. 13. ex Jer. 31. 31. 32. conclusionem *per consequentias* educit Paulus, Prophetam, dum novum fœdus indicit, antiquasse prius. Sic Hebr. 9. 23. per consequentiam illationem struit Paulus ex Exod. 24. 8. Sic Heb. 10. 5. Christi sacrificium probat ex Psal. 40. 7. Sic unica oblatione Christum consecrasse in perpetuum eos qui sanctificantur probat Paulus Heb. 10. 15. 16. &c. ex Jer. 31. 33. &c. & docet Spiritum S. hoc nobis testificari, quod haudquaquam sine consequentiarum usu ex verbis Prophetæ educi potest. Sic totum caput 11. ad Hebræos ejusque relatio ad antecedentem Pauli doctrinam alia ratione explicari nequeunt. Talis etiam est Heb. 12. 5. applicatio doctrinæ generalis ex Prov. 3. v. 21. Gemina habentur Hebr. 13. 5. 6. ex Jos. 1. 5. & Psal. 118. 6. & Heb. 13. 10. 11. 12. ex Levit. 4. 11. & 6. 30. & 16. 27. & v. 13. 14. 15. ex Mich. 2. 10. Hos. 16. 3. Ex istis omnibus inter se collatis tale emergit argumentum generale. Si Paulus passim probationes educit per consequentias ex Scriptura, utique non licita tantùm sed & laudabilis est ratiocinatio & probatio similis. Verum prius. Ergo etiam posterius. *Consequentia* per se patet, quum non tantùm ipse Apostolus nobis præeat creberrimo isto Scripturæ usu & applicatione, verùm etiam expressè jubeat *ut simus imitatores ipsius* pro *ut ipse* etiam se *Christi* imitatorem fuisse testatur 1. Cor. 11. 1. *Antecedens* patet ex allegatis. Quibus adhuc alia ex aliis Epistolis addi possent, ut & ex scriptis aliis Apostolicis.

III. *Exc.* 1. Pauli aliam, aliam nostri rationem esse, illum θεόπνευστον fuisse, adeoque illationes ipsius αὐτοπίστους. Idem verò nobis haudquaquam competere. Immò idem sibi adscribere, esse se æquare Paulo Apostolo. Id verò sine insigni & errore & fastu fieri non posse. Paulum in initio Epistolarum suarum præmittere auctoritatem muneris sui Apostolici, à qua omnia metienda sint. 2. Paulum nusquam docere, idem nobis esse faciendum suo exemplo. Gratis itaque & sine fundamento id fieri. 3. Paulum velle nos esse imitatorés sui, sed in eo *quod per omnia omnibus placeat, nec quærat suam ipsius utilitatem, sed multorum ut serventur*, 1. Cor. 10. 33. Id verò non magis esse extendendum ad argumentationes ex Scriptura *per consequentias* quàm ad convitium quod dixit Pontifici Judaico, ad votum ab eo emissum & exsolutum, & ad diversam ejus praxin circa ceremonias legales, ad raptum ejus in tertium cœlum, ad imperium quod in Philemonem sibi jure competere profitetur, & ad alia id genus Pauli facta. 4. Consequentias multas ex allegatis mera Pauli auctoritate niti, alioquin multa excipi posse tum *quoad citationem*, tum *quoad applicationem* citatorum. Nec enim *quoad illam* verba omnia Scripturæ Testamenti veteris servari, sed quædam *demi*, quædam *addi*, quædam *mutari*. Nec *quoad istam*, eundem scopum utrobique sæpe reperiri. Sic v. g. in allega-

allegatione loci Habac.2.4.1. *Quoad citationem*, alia exstare apud Habacucum, alia apud Paulum. *Affixum* prætermissum esse à Paulo, & Prophetam loqui de vita *in fide*, Paulum de vita *ex fide* consequenda. 2. *Quoad applicationem*, Prophetam loqui de *fide legali*, h.e. integritate & constantia in obseruatione Legis: Paulum de *fide Euangelica*, sive de fiducia in Christum Seruatorem. Sic Prophetam loqui vel *de vita externa* in Babylone tutò exigenda, vel *de vita*, hoc est, *liberatione* populi ex captiuitate, non per fugam vel externam, vel internam, hoc est, apostasiam consequenda, sed per constantiam & integritatem in Dei cultu. Paulum tamen hæc applicare ad vitam æternam per fiduciam in Christum consequendam. Immò *fidem* illam posse ad Deum referri, populum nimirum victurum in captivitate Babylonica per constantiam & fidelitatem Dei in servandis promissis suis, si legatur באמונתי quod legerunt LXX. Interpretes, qui id vertunt ἐκ πίστεώς μου, ex *fide mea*. Id verò intelligi posse vel *objectivè* de fidelitate Dei in exequendis promissis suis, vel *subjectivè* de persuasione, quam habebant Judæi de constantia & fidelitate Dei in eorum impletione. Sic citata ex Psal.14. & 53. non de gentibus dici, sed tantùm de Judæis. Respexisse etiam Psalten ad certas personas, & certa facta particularia. Ex particulari verò vix solidè universalem educi conclusionem. Gemina id genus ad loca varia alia objici posse. 5. Agi de usu consequentiarum *ad probationem* articulorum fidei, non verò de illarum usu *ad illustrationem* & *amplificationem* & *exaggerationem* alibi probatorum. Sic verò Scripturam adhiberi à Paulo locis aliquot citatis. 6. Consequentias Pauli crebras, quas educit ex Scriptura Testamenti veteris ad quævis argumenta probanda nobis sufficere debere, & facere ne sit opus aliis consequentiis, quum jam sufficienter omnia necessaria à Paulo eruta fuerint & apertè declarata. 7. Vel probationes nostras per consequentias *infallibiles* esse, vel *fallibiles*. Si *infallibiles*, nos nobis auctoritatem arrogare, quæ nobis non competat: Si *fallibiles*, nihil nos certò vel necessariò per argumentationes id genus aliis probare posse. 8. Consequentias à Paulo adhibitas & illationes ex iis jam partem facere Scripturæ Canonicæ, nec amplius consequentias esse, sed literam Scripturæ. Tales verò probationes nostras per consequentias à nobis institutas non esse. 9. Si idem nobis liceret quod Paulo, jam nullum futurum discrimen inter probationes per consequentias à Paulo structas, & nostras, inter auctoritatem divinam & humanam. 10. Sic portam aperiri quibusvis hæreticis & hæresibus, facilè enim futurum spiritui hæretico, per consequentias hoc vel illud ex Scriptura probare. Hac ratione certitudinem fidei nostræ convelli, & fundamentum ejus subverti. 11. Sic licitum etiam nobis fore *ex allegoriis* argumentari, eo quod Apostolus ad Galat.4. id facit, adeoque *Theologiam symbolicam* fore *argumentatiuam* contra quam statuamus. *Origeni* verò id jam olim vitio versum fuisse, & vitio verti Scholasticis à Reformatis. 12. Modum istum procedendi, quòd adeò solicitè pugnemus pro usu consequentiarum, ostendere, probationes solidas nobis *ex litera*

Scripturæ deesse. Id verò non esse argumentum bonæ causæ, sed malæ, nec fiduciæ, sed diffidentiæ. Si enim litera Scripturæ dogmatibus nostris probandis sufficeret, nos haudquaquam ad probationes anxias & ambiguas per consequentias confugituros.

IV. Nequicquam verò ista omnia obtenduntur veritati. Patebit ex solutionibus istarum exceptionum, aberrari ἀπὸ βάσεως. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ: Paulum in talibus *authoritativè* procedere, & non *ratiocinativè*. Oppositum in superioribus demonstratum. 2. Peccatur etiam *falsa suppositione*. Illos omnes quibuscum Paulo res erat auctoritatem ejus θεόπνευστον agnovisse. At multi ex illis vel hostes erant Pauli, vel obtrectatores, vel saltem minus de Apostoli auctoritate persuasi, quibus cum agit per ἀποδείξεις ἐλέγχου. 3. Retorquetur hoc ipsum κατὰ τὸ βέλτιον: Si enim Paulus auctoritate muneris sui Apostolici duntaxat niteretur, haudquaquam opus fuisset ulla citatione locorum Scripturæ Testamenti veteris, ut nec ratiocinationibus variis ex illis deductis. Suffecissent enim simplices Pauli assertiones Auditoribus ipsius persuadendis. 4. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἁπλῶς, & *à dicto secundùm quid*. Nec enim illo probationis genere uti, quo Paulus utitur, est, se æquare Paulo, sed imitari Paulum, & ab ipso discere & explicationem & applicationem convenientem Scripturarum. Hoc esset se æquare Paulo, se θεόπνευστον & αὐτόπιστον instar Pauli statuere, & eandem sibi cum Paulo auctoritatem arrogare, quod haudquaquam fit in usu ratiocinationum per consequentias. 5. *Per concessionem*, & Paulum auctoritatem sui muneris præmittere in initio Epistolarum suarum, & omnia inde metienda esse, quæ à Paulo proponuntur, h.e. excipienda velut θεόπνευστα, adeoque αὐτόπιστα. 6. *Per negationem*, ob id sequi, consequentiarum usum illis illicitum esse, qui eandem cum Paulo auctoritatem non habent. Hoc tantùm sequitur, consequentias Pauli esse αὐτοπίστους, θεοπνεύστους quippe, nostras non item, sed exigendas ad consequentias Pauli, & ad earum fundamenta, adeoque excipiendas, si iis sint conformes, sin minus, rejiciendas.

V. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsâ suppositione*, vel *Elencho à dicto secundùm quid*. Aliud enim est, aliquid à Paulo doceri ῥητῶς, vel κατὰ γράμμα *litteraliter*, totidem syllabis, aliud doceri πραγματικῶς vel κατὰ πρᾶγμα *realiter*, priori modo id Paulum non docere, verum, posteriori, falsum. Aliud enim, docere *ore*, aliud *scripto*, aliud, *opere*. 2. Immò κατὰ τὸ βέλτιον: Paulus hoc docet etiam scripto, dum Scripturarum non tantùm lectionem, verùm etiam applicationem commendat 2.Tim.3.16.

VI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Paulum in eo Christianos velle esse imitatores sui, tum quoad sanctam συγκατάβασιν circa adiaphoram quam circa illa & alia id genus adhibuit, tum quoad scopum cœlestem quem sibi proposuit. 2. *Per negationem*. istam imitationem sui, quam Paulus proponit, ad hæc restringendam esse. Immò sic multæ aliæ Pauli virtutes haudquaquam imitatione nobis exprimendæ forent, quod absurdum. 3. Peccatur *elencho partium*, & πλεονασμῷ in exemplis allatis, quippe quæ

quæ vel facta singularia sunt & *μοναδικὰ*, vel à Paulo profecta, qua Apostolo & extraordinaria auctoritate instructo, vel alius ordinis & temporis fuêre, vel non *à Paulo*, sed *circa Paulum* gesta. 1. Convitium Pontifici dictum non tam convitium fuit, quàm justa *ἐπίπληξις* vel *ἐπιτίμησις*, nec tam à Paulo excusatur quàm ostenditur. Cum à se nec habitum nec consideratum velut legitimum Pontificem. Nec sanè pro tali haberi potuit ab Apostolo, Christo jamdudum exhibito in carne, & Pontifice illo se Christi & Evangelii hostem profitente. 2. Praxis Pauli, quoad ceremonias, illorum temporum fuit, ubi ceremoniæ etsi non *necessariæ*, *liberæ* tamen adhuc fuêre *observationis*, donec templo Hierosolymitano destructo, & synagoga sepulta cepêre esse *mortifera*. Prout *triplex* earum *periodus* necessariò observanda; quarum *prima* fuit *necessitatis*, secunda *indifferentiæ*, tertia *abstinentiæ*. 3. Ad raptum in tertium cœlum Paulus se habuit *παθητικῶς*, *ὀργανικῶς* non item. Hoc itaque non factum *à Paulo*, sed *circa Paulum*. 4. Auctoritas Pauli in Philemonem pro fundamento habuit tum munus Apostolicum, tum beneficia spiritualia à Paulo in Philemonem collata.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peti *τὸ ἐν ἀρχῇ*, consequentias Pauli mera ejus auctoritate niti. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Aliud enim est *de jure* multa excipi posse, aliud *de facto*. Aliud, exceptiones opponere justas & solidas; aliud, speciosas, sed vanas: Si prioris generis exceptiones Pauli consequentiis opponi possint, cadit ejus *αὐθεντία*: sin posterioris, non major oppositionis illius quàm ipsarum exceptionum vis, vel pondus esse potest. 3. Peccatur *falsâ suppositione*, Scriptores sacros in citationibus locorum Testamenti veteris se adstrinxisse *ad sonum*, quod falsum, satis, se adstrinxerint *ad sensum*. Quæ distinctio *Tertulliani* est lib. 1. contra Judæos cap. 9. probantis, posteriori hoc modo nomen Emanuelis Christo convenire. *Omissiones* itaque *additiones* & *mutationes* innoxiæ sunt, quæ Paulo impinguntur, ut quæ à substantia citatorum non recedunt. 4. Supponitur etiam, non probatur, vel in citatione vel in applicatione ulla ratione à Paulo ullibi peccatum, vel scopum aut detortum aut inversum præter mentem Spiritus S. Nec id probant exempla allata.

VIII. Ad *objecta* contra locum Habacuci 2. 4. à Paulo citatum Rom. 1. 17. *Resp.* 1. *Per concessionem*, dari variationem aliquam in verbis à Paulo citatis. 2. *Per negationem*, illam variationem ulla ratione corrumpere sensum Prophetæ. Quamvis enim *suffixum* vel *affixum* à Paulo fuerit prætermissum, necessariò tamen subintelligendum est, nec enim magis *aliena fide*, quàm *aliena vita* aliquis vivere potest. Fortè etiam id ideò factum, ut constet fidem de qua Paulo sermo, etsi *subjectivè* sit in homine, *originaliter* tamen non esse ab homine. Nec majoris commatis est, differentia ista *in fide* vivere, & *ex fide* vivere. Præterquam enim quod Apostolus in eo sequutus fuit LXX. Interpretes latitudo בּ *servilis* apud Hebræos nota est, quæ modò designat *causam* quamvis, modò *instrumentum*, modò alia varia, & promiscuè vertitur per *ἐν*, *διὰ*, *ἐκ*. Adde, fidelem non tantùm viuere *διὰ πίστεως per fidem*, considerata *subjectiuè*, & *organicè*, sed etiam

ἐκ πίστεως *ex fide*, conſiderata *objectivè* quatenus ἡ πίστις deſignat τὸ πιστευτόν, quod fides *quâ credimus* amplexatur, ut *objectum* ſuum. Æquipollentia etiam Paulo ſunt vivere διὰ πίστεως & ἐκ πίστεως. 3. Dato per συγχώρησιν voluntariam, non conceſſo, אמונה apud Prophetam deſignare *fidem legalem* h.e. integritatem & conſtantiam in obſervatione Legis, illam etiam exigi à Propheta, haudquaquam tamen ſequeretur, vel illam *ſolam* intelligi, vel intelligi ut cauſam vitæ promiſſæ. Nota enim latitudo vocis אמונה quæ ut interdum per ἀλήθεια & ἀληθινὰ & δικαιοσύνη vertitur à LXX. Interpretibus, ſic deſignat in ſua latitudine quidvis, quod πίστεως nomine cenſeri poteſt. Sic נאמן concretum eſt non tantùm δίκαιος vel ἀληθὴς, ſed etiam πιστός. Hinc Hebræorum filii *fidem* vel *Religionem* quâ quis Deum colit, vocant אמונה prout in Symbolo ſuo *fidem* ſuam dividunt in 4. capita, inter quæ etiam eſt *adventus Redemptoris*, quem exſpectant. Sic אמונות illis ſunt *articuli fidei*, & Symbolum ſuum auſpicantur his verbis אני מאמין באמונה שלימה *ego credo fide perfecta*. Fides verò, quæ eſt ἀλήθεια vel ἀληθινὸς, *integritas legalis*, & conſiſtit in contractib. & commerciis, ab illis vocatur ſæpe אמנה, quamvis & fidem alteram ita etiam quandoque vocent. 4. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, אמונה deſignare *virtutem legalem* apud Prophetam, ſive integritatem vitæ. Rationes invictæ in contrarium ſuppetunt. 1. Quia fides legalis non poteſt eſſe vel cauſa vel fundamentum liberationum Dei, tum quia debita eſt, tum quia imperfecta eſt, juſtus ergo non poteſt per illam vivere. 2. Adde Deum nolle fundamentum fiduciæ ſuæ ab hominibus in ſeipſis collocari 3. Nulla ſic potuiſſet ſolida Judæis oboriri conſolatio, quippe qui gravium ſibi peccatorum omnes erant conſcii, & norant multimodis ſe deflexiſſe ab illa integritate quam præſtâre debuerunt. 4. Idem probat ἀλληλουχία verborum Prophetæ qui opponit homines *humiles*, adeoque in Deo ſolo fiduciam ſuam reponentes, *ſuperbis*. v.4. Spem ſuam collocantibus in ſeipſis vel confidentibus in locis munitis & abſconditis, ad quæ ſe *ſubducere* ſatagebant. 5. Adde, promiſſionem de Meſſia ejuſque adventu immediatè præcedere v.3. 6. Idem invictè patet ex allegatione Apoſtoli Hebr. 11. 38. ubi eadem verba cum adventu Meſſiæ conjunguntur. 7. Adde τὸ יחיה *Vivet*, in promiſſionibus Dei *antonomaſticè* & potiſſimùm deſignare vitam æternam, ut patet ex collatione Levit. 18.5. & Luc. 10.28. 8. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid. & oppoſitorum.* Propheta loquitur de vita vel liberatione externa: Ergo non de æterna. At falſum, cum de ea loqui *excluſivè* vel *adæquatè*. Immò quid frequentius Prophetis quàm corporalia & ſpiritualia beneficia iiſdem verbis deſignare, typos & τὰ τυπωθέντα. Immò Deus per illos ad iſta volebat manuductum & erectum populum ſuum. Et ut Redemptores vel liberatores externi typi Chriſti fuêre, v.g. Joſue & Cyrus, ſic & redemptiones vel liberationes externæ redemptionis & liberationis ſpiritualis. Adde, plurimos pios etiam in captivitate Babylonica exſtinctos intercidiſſe, qui *vitæ* illius h.e. liberationis externæ haudquaquam fuêre participes, adeoq; fides Dei vacillaſſet, & pii multi exſpectatione ſua promiſſionem haudquaquam conſe-

consequuti fuissent, nisi Deus spirituale beneficium designasset per Prophetam. *Componenda* itaque sunt ista beneficia, non *opponenda*. 9. Peccatur itidem *Elencho oppositorum*, & παρὰ τὸ ἐναντίον, nec enim opposita sunt, vivere per *fiduciam suam* in Messiam, & viuere per *fidelitatem Dei*, per illam ut per *causam organicam* apprehendentem objectum suum, per istam, ut per *causam conferentem* præmium fidei & adimplentem promissa sua, inter quæ potissimum erat promissum de Semine benedicto, & de hominib. in id credentibus seruandis. 10. Adde, gratis supponi apud Prophetam legi באמונתי *in fide mea*, cum *affixo primæ*, sed באמונתו *in fide ejus* cum *affixo tertiæ personæ*. Nec codices Hebræi ex LXX. versione corrigendi, sed ista ex illis. Summa itaque verborum Prophetæ eò redit, pios in populo Dei, in solis Dei promissis & eorum impletione per Messiam recumbentes, non obstante calamitate suâ, & hostium violentia, victuros, nec quicquam intercessurum, quominus vel in media Babylone servarentur, vel vitam æternam consequerentur, quam nulla hostium violentia illis posset ire ereptum.

IX. Ad *objecta* contra loca ex Psalm. 14. & 53. à Paulo citata. *Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον ea retorquenda, vel enim *solidè* opponuntur vel non: Si prius, objectiones istæ vanæ sunt & inanes: Si posterius, Paulo opponuntur, non nobis, & à Paulo peccatum vel *in citatione*, vel *in applicatione*. Utrumque verò impium & blasphemum. 2. *Per concessionem*, de solis Judæis hæc dici, *per appropriationem* specialem *secundùm intentionem dicentis*, falsum verò ea *adæquatè* & *exclusivè* de iis dici, *secundùm naturam dictorum*, vel etiam *secundùm intentionem* dicentem *inspirantis*. Et sanè plura sæpe designata fuère *à causa principali*, quàm *à causa organica*. 3. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἐναντίον, & *oppositorum*. De Judæis talia dicta. Ergo non de gentibus. Immò κατὰ τὸ βίαιον hoc ipsum retorqueri potest, & argumentum *à minori ad majus* duci. Quia ipse populus Dei adeò graviter perstringitur, & reus peragitur, coràm ipsius tribunali, adeoque dejicitur ab omni fiducia operum suorum. Ergo multò magis gentilibus vera Dei cognitione destitutis, tale quid impingi debet. Utut itaque increpationes istæ directè ad gentiles non pertineant ex *intentione scribentis*, pertinent tamen *ex natura rei scripta*, & *ex intentione Dei* eam *inspirantis*. 4. Supponitur etiam non probatur, non licere *hypothesin* extendere *ad thesin*, & idem omnibus applicare, quod de Judæis dictum, idque tantò magis quod tempore Davidis & Ezechiæ talia commemorentur à psalte, sub quibus Regibus pietas magis floruit inter Judæos. Si ergo corruptissimi fuère illo tempore Iudæi, quo vigebat Dei cultus, & spiritus propheticus in medio eorum, quid jucandum de gentibus, veri Dei cognitione destitutis? 5. Adde, gratis supponi, non probari, verba illa tantùm de Judæis à psalte dici. Id verò gratis dicitur. Immò vniuersalia sunt, & de omnib. ex æquo dicuntur. Præterquam quod id quod ex *occasione particulari* quandoq; dicitur, reipsâ tamen & sensu ad omnes pertinere potest, ut crebræ prophetarum ἐπιπλήξεις & Apostolorum νουθεσίαι. Idé patet ex collatione locorum.

Esa. 6.9. Matth. 13.14. Marc. 4.12. Luc. 8.v.10. Johan. 12.40. Actor. 28.26.

6. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Argumentatio à particulari ad vniuersale sanè non procedit in *prædicatis particularibus* & *accidentalibus*, procedit verò in *prædicatis essentialibus* & *vniuersalibus*, quæ sunt ἰπτακά ἐν subjectis suis. Adde, ex particularium omnium sub vniuersali contentorum inductione conuenienter instituta collectionem inferri posse uniuersalem.

X. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, quædam à Paulo adhiberi *ad illustrationem, amplificationem, exaggerationem*: satis, ne ista quidem sine consequentiis adhiberi posse. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, quia aliquot tantùm locis id fit, & alia ac pleraque quidem adhibentur à Paulo *ad probationem* articulorum fidei; à nobis etiam loca similia ita adhiberi possunt.

XI. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον. Quia Paulus consequentias crebras ex Scriptura Testamenti veteris eruit, haudquaquam id illicitum. 2. Peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid.* Consequentiæ Pauli cum aliis similibus sufficere possunt & debent, ut *fundamenta credendorum*, sed non ut *instrumenta applicationis*. Immò illæ Pauli consequentiæ sine consequentiis aliis ad varias Hæreses post Pauli tempora natas confutandas applicari nequeunt.

XII. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, probationes nostras per consequentias *fallibiles* esse, & sic distingui ab iis, quæ θεοπνεύστως adeoque αὐτοπίστως à Scriptoribus Canonicis profectæ fuêre. 2. *Per negationem*, si non sint *infallibiles*, nihil certò vel necessariò per id genus probationes probari posse. Satis enim, probationes quæ *fallibiles* sunt *potentiâ*, tales *actu* non esse. Sic fallibilis est sensus visus & tactus, nec tamen quæ per visum & tactum à nobis cognoscuntur, & probantur, ob id incerta sunt. Aliud enim, *fallere posse*: aliud, *actu fallere, & semper*. Nec ista fallibilitatis potentia necessariò conjuncta cum actu. Immò caveri potest, ne exeat in actum adhibitis mediis necessariis. Sic homines non tantùm capaces sunt multorum vitiorum, sed & proclives ad ea, v. g. ad mendacia, Ps. 116.2. nec tamen ob id sequitur eos actu semper in ea incidere. Sic homines fallibiles sunt in contractibus, ut & in commerciis, & omnia acta eorum in societate ciuili; nec tamen ob id fides iis derogatur, vel rejiciuntur eorum testimonia ad probationes. Immò in legendis *verbis formalibus* Scripturæ homo fallibilis est, nec ob id inferendum necessariò, eum falli in eorum lectione. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, aliud enim, aliquid certò & necessario probare, aliud *virtualiter* vel *formaliter*, aliud *effectivè*, vel *euentualiter*: Illud necessarium, istud non item.

XIII. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, consequentias à Paulo adhibitas, & illationes ex iis jam partem facere Scripturæ Canonicæ, nec nostras ejusdem auctoritatis & dignitatis esse. 2. *Per negationem*, ob id consequentias nostras illicitas esse, quod non sint ejusdem vel auctoritatis vel dignitatis, nec faciant partem Scripturæ Canonicæ. Aliàs etiam probationes ex verbis formalibus Scripturæ ductæ illicitæ forent. 3. Peccatur

Elencho

Elencho oppositorum, & *à dicto secundùm quid.* *Consequentiæ* enim Pauli, & *consequentiæ* sunt, & tamen *litera* Scripturæ, *litera* nimirum Scripturæ Novi Testamenti, & *consequentiæ*, ex litera Testamenti veteris ductæ.

XIV. Ad 9. *Exc. Resp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, si liceat nobis probationibus per consequentias uti, nullum futurum discrimen inter probationes à Paulo structas, & nostras: Nec enim quæ conveniunt *in re*, conveniunt necessariò etiam *in modo rei* & *gradu rei*. An si licet nobis preces concipere ad Deum, preces nostræ ejusdem vel dignitatis vel auctoritatis sunt cum precibus Christi? An, si licet nobis in opere Domini servire in Ecclesia: ob id labores nostri exæquantur laboribus Pauli?

XV. Ad 10. *Exc. Resp.* Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ συμβεβηκὸς, & παρὰ τὸ ἑπόμενον, aliud enim est, portam aperire hæreticis & hæresibus *per se*, probationibus per consequētias ex Scriptura admissis, aliud, id fieri *per accidens*: Aliud id fieri *ex rei natura* & *usu*, aliud *ex rei abusu*: Aliud, fieri *vitio rei*, aliud *vitio hominum*. At sic optima quæq; in abusum trahi possunt, nec docenda fuerat Paulo vel doctrina justificationis, vel prædestinationis, eo quod vitiosæ ex utraq; educerentur consequentiæ ab hominibus protervis, Rom.6. & 9. & 11. Quot vitiosæ consequentiæ jam olim eductæ ex prædicationibus Prophetarum, & Christi ac Apostolorum? An ob id illæ intermittendæ fuere? 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, facile esse Spiritui hæretico *per consequentias* hoc vel illud ex Scriptura solidè probare. Aliud verò, aliquid ex Scriptura probare; aliud, aliquid solidè ex ea probare. Prius facilè fieri potest, posterius non item. Immò eadem facilitate consequentiæ malè nexæ ex Scriptura destrui possunt, quâ strui. 3. Peccatur *falsa suppositione*, sic vel certitudinem fidei nostræ convelli, vel fundamentum eius subverti. Immò κατὰ τὸ εἶναι, utrumq; fit, si tollatur usus necessarius consequentiarum, nec enim sine earum usu nobis constare potest, vel nobis esse propositam Scripturam, vel nobis credendum esse in Christum.

XVI. Ad 11. *Exc. Resp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, si liceat nobis probationes per consequentias struere ex Scriptura, ob id licere nobis *ex allegoriis* argumentari. Nec necessarium in eo genere id nobis licere quod licuit Paulo. Satis, nobis licere consequentias nectere ex locis aliis. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, alia enim ratio allegoriarum in Scriptura declaratarum, alia earum quæ in ea declarata non sunt, ex illis etiam argumentari licet, ex istis non item. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ἀλληγορομανία & luxuries nimia in allegoriis ex quibusvis locis educendis perstricta fuit in *Origene* jam olim, perstringitur etiam à nobis in Scholasticis: Ergo vel non licet uti probationibus per consequentias ex Scriptura ductis, vel non licet argumentari ex allegoriis in Scriptura declaratis. Illud verò vitiosum, istud non item. Sic ex allegoria Pauli de duabus conjugibus Abrahami argumentari non liceret, nec *ex formali* parabolarum multarum à Christo declaratarum, quod absurdum.

XVII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Falsum supponi, ex mera litera Scripturæ probationes duci, sine ullo consequentiarum usu. 2. Peccatur *paralogismo*

non poteſt eſſe utilis ad doctrinam, &c. Ergo illarum uſus non tantùm legitimus eſt, ſed etiam neceſſarius. *Majoris* conſequentia patet, quia aliàs concidit finis Scripturæ S. datæ, & Chriſtianis intervertuntur beneficia quæ ex ea & per eam habere poſſunt. *Minor* evidens eſt ex locis allegatis.

III. *Exc.* 1. Diſtinguenda eſſe neceſſaria ad *formandam praxin* ab iis quæ neceſſaria ad *fundandam fidem* Chriſtianam: Apoſtolum de priori genere loqui 2.Timot.3.16. Rom.15.4. 1.Cor.10.2. non de poſteriori. Illationes *practicas* poſſe eſſe legitimas, *theoricas* non item. 2. Apoſtolum loqui de *homine Dei* qualis fuit Timotheus, qui habeat *ſenſus exercitatos* in Scriptura ad diſcretionem boni & mali, Heb.5.14. Aliam verò illius, aliam quorumvis promiſcuè rationem eſſe: Nec magis ſequi, id licere aliis, quod Timotheo vel homini ſimili Apoſtolico licuit, quàm licere aliis eandem auctoritatem ſibi uſurpare, quam habuit Timotheus in Eccleſia Epheſina & *ſervare ſeipſum* & alios, 1.Tim.4.16. 3. Timotheum habuiſſe ſingulare donum datum ipſi *per Prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii*, 1.Tim.4.14. Idem ergò malè extendi ad alios. 4. Sufficere lectionem textus ſacri, & probationes ductas ex *verbis formalibus* Scripturæ Sacræ ad noſtram doctrinam. Apoſtolum enim non tantùm in loco 2.Tim.3.16. *Scripturæ* notanter meminiſſe, ſed etiam in duobus reliquis ea deſignare, quæ *ante ſcripta* ſunt. Illis itaque hærendum eſſe. *Conſequentias* verò vel ratiocinationes per eas ductas, ſcriptas non eſſe, nec partem facere iſtius Scripturæ. 5. Non tantùm *poſitivè* ad Scripturas nos locis illis remitti, ſed etiam alibi prohiberi, *ne declinemus vel ad dextram vel ad ſiniſtram*, vel ne quicquam addamus ſcriptis. 6. Illa quæ ſcripta ſunt vel *perfecta* eſſe & ſic ratiocinationibus per conſequentias opus non eſſe, vel ſi perfecta non ſint, concidere perfectionem Scripturæ quam urgeant Reformati contra Pontificios. 7. Paulum Rom.15.4. urgere conſolationem Scripturarum, non ratiocinationem humanarum ex Scripturis ductarum. 8. Apoſtolum Scripturas ita commendando nihil aliud velle, quàm ut Timotheus *ſit intentus lectioni*, 1.Tim.4.13. 9. Immò Paulum ejuſmodi ratiocinationes humanas planè proſcribere & vocare *vaniloquentiam*, 1.Tim. 1.6. & perſtringere eos qui volunt eſſe *legis Doctores quum non intelligant ea quæ loquuntur, nec ea de quibus aſſeverant*: Et diſertè ſubjicere, *bonam eſſe legem ſi quis ea legitimè utatur*, non ex arbitrio, & ſecundùm ratiocinia carnis. Paulum etiam diſertè docere, 1.Tim.6.3.4. *Si quis diverſam doceat doctrinam, neque accedat ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, illum inflatum eſſe, nihil ſcientem, ſed inſanientem circa quæſtiones ac pugnas de verbis, ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentia, ſuſpiciones malæ.* Et has eſſe *oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ*, 1.Tim.6.10. quas Timotheus debeat *averſari*. 10. Paulum hortari Timotheum, *ut teneat expreſſam formam ſanorum ſermonum, quos à ſe audiverit*, 2.Tim.1.13. Et hoc ſufficere. Sic *quæ audiverit à ſe inter multos teſtes, ea committenda eſſe fidis hominibus*, 2.Tim.2.2. *In iſtis, quæ didicerat, Timotheum debuiſſe monere*, quæ ipſi *concredita* fuerint, *ut qui ſciat à quo didicerit*, 2.Tim.3.14. 11. Paulum ibidem profiteri, *ſacras literas* poſſe Timotheum *ſapientem reddere ad ſalutem*. Nihil

aliud verò requiri à nobis, & hæc nobis posse sufficere, neque opus esse consequentiis, ut sapientes reddamur ad salutem. 12. Apostolum disertè velle, *ut ratiocinationes evertantur* , & *omnis sublimitas quæ se extollit adversus cognitionem Dei , & ut in captivitatem redigatur omnis cogitatio ad obediendum Christo* , 2.Corinth.10.4.5. adeoque proscribere argumentationes *per consequentias*.

IV. Exceptionum istarum momenta expendenda, & ostendendum, eas nec nervum incidere argumentationi nostræ, nec patrocinari causæ adversariæ. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *κατὰ τὸ βέλτιον* : *indirectè*, 1. Si *illationes practicæ* pertinentes ad *formandam praxin* Christianam sint legitimæ : Ergo quædam illationes ex scriptura *per consequentias* structæ, legitimæ sunt, & usus ratiocinationum id genus simpliciter damnari non debet. 11. Si *illationes practicæ* possint duci ex Sciptura, quid causæ erit, cur non & *Theoricæ* pari ratione ex ea duci possint? Etsi propter *fallibilitatem* nostri intellectus istæ proscribantur à fanaticis, cur non & illæ pariter proscribantur ex eodem fundamento? Nec enim minus errori obnoxius est intellectus noster in uno quàm in altero. 2. Peccatur *falsa suppositione* & *παρερμηνείᾳ* loci 2.Tim.3.16. Nec enim Apostolus duntaxat Scripturam utilem profitetur *ad correctionem.*, & *disciplinam in justitia*, sed etiam *ad doctrinam & redargutionem*, immò istos usus præmittit. Et sanè usus illi & *ad institutionem in veritate*, adeoque ad *fundandam fidem* pertinent; & ad necessarias ejus *vindicias* à contradicentibus. Hinc illi falluntur, qui *τὸ ἐλέγχειν* ut הוכיח Hebræorum & *ἔλεγχον* תוכחה tantùm ad vitam & mores referunt, quum distinguatur hic usus disertè ab usu ad *ἐπανόρθωσιν*, & quum Paulus inter requisita Ministri verbi ponat disertè, illum debere esse *δυνατὸν καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, Tit.1.9. quod sine legitimo *consequentiarum* usu fieri nequit, & pertinet ad controversias super fide exortas.

V. Ad 2: *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem* : Apostolum loqui *de homine Dei*, disertè, & per *hominem Dei* intelligi Doctores verbi ministerio sacro admotos, phrasi ab Hebræis usurpata, à quibus Prophetæ vocabantur *ἄνθρωποι τοῦ θεοῦ*. Sic Moses vocatur Psal.90.1. איש האלהים *vir Dei*, & Elias 2. Reg.1.9.10.11.12.13. quod reddit *Targum* נביא דיי *Propheta Iehova*. Eodem titulo insignit Apostolus Timotheum 1.Tim.6.11. 2. *Per negationem*, inde sequi consequentiarum usum esse illegitimum. Immò si *viris Dei* in sacro munere constitutis liceat consequentiis uti, utique earum usus improbari simpliciter non debet. Adeoque distinguendi erunt hac ratione *viri Dei*, Doctores verbi à promiscua plebe nec istis idem jus erit in cathedram sacram, quod illis est, adeoque non confundendi erunt ordines docentium & discentium, quod fit inter Anabaptistas sæpe. 3. Peccatur *falsa suppositione, exclusivè* ista dici *de homine Dei*, vel *adæquatè* de Doctoribus verbi. Immò ut illi *antonomasticè* debent esse *homines Dei* præ aliis, sic & omnes *Christiani* tales esse debent, *διδακτοὶ* quippe *τοῦ θεοῦ* Joh.6.45. id est, *ὑπὸ τοῦ θεοῦ θεοδίδακτοι*, *edocti à Deo*, & copiosiori Spiritus Sancti Luce in Novo Testamento perfusi. Sic omnes debent esse *τέλειοι*, & habere *αἰσθητήρια*

γεγυ-

γυμνασμένα, Hebr.5.14. non quæ *homo exterior*, sed quæ *interior* habet per *allusionem* ad αἰσθητήρια extrema linguæ & palati, per quæ dubia & incerta, grata & ingrata discernuntur. Quæ αἰσθητήρια ut quivis Christianus habeat, anniti omni studio debet, æque ac ut sit τέλειος perfecto in Ecclesia sic quilibet in Ecclesia debet esse ἄρτιος & ad omne opus bonum ἐξηρτισμένος, hoc est, תם, שלם, נבון secundùm *perfectionem partium*, quamvis non attingat quamdiu *viator* est, *perfectionem graduum*, quæ reservatur *comprehensori*. 4. Peccatur *Elencho partium* & *paralogismo* παρὰ τὸ ἐν τῷ μέρει, alia enim ratio est autoritatis quæ vel Timotheo peculiaris erat, vel Ministris verbi competit, alia eorum quæ ad Christianos omnes pertinent, inter quæ est applicatio illa Scripturæ & ratiocinationes ex ea, quamvis dispari gradu. 5. Peccatur *falsa suppositione* denuò, non esse quorumvis Ministrorum verbi vel Christianorum etiam promiscue, etsi dispari gradu, *se servare & alios*, sensu ab Apostolo indicato, quo Johanni Baptistæ tribuitur τὸ ἐπιστρέψαι καρδίας, *Convertere corda*. Sic Paulus adscribit sibi τὸ σώζειν *servare*, Rom.11.14. Quod verò publicè fit à Ministris verbi, privatim fieri debet à quibusvis Christianis partim verbo, partim exemplo. Ut enim cuivis Christiani dicuntur ἀπολλύειν fratrem, καταλύειν τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ *destruere opus Dei, quantum in ipsis est*, dum scandalum præbent fratri Rom. 14.13.15.20. Sic iidem dum voce vel *exemplo* alios ad pietatem præbent, eodem sensu possunt dici σώζειν *servare* alios, quantum in se est. Nec infrequens sacris Scriptoribus id tribuere *causis secundis*, quod est *primæ*, id est, *instrumento*, quod est *agentis principalis*.

VI Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, singulare fuisse Timothei χάρισμα præ multis aliis & prædictum à Propheta aliquo, & collocatum Timotheo *ad impositionem manuum cum* seria numinis divini invocatione. 2. *Per negationem*, illis tantùm licere applicare Scripturam & illationes *per consequentias* struere ex Scriptura, qui eadem prorsus cum Timotheo χαρίσματα habent. 3. Gratis supponitur Paulum vel Timotheo tantùm istam Scripturæ applicationem tribuere, vel illis duntaxat qui eadem cum Timotheo χαρίσματα habent, quod est affirmare τὸ ἀμφισβητούμενα. Atqui aphorismus ille Paulinus *indefinitus* est, & naturam ac usum S. S. declarat quo fine data sit, quæ commoda etiam ex ea haberi possint à quibusvis.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. *Peti* τὸ ἐν ἀρχῇ, sufficere lectionem contextus sacri. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*. Si probationes ex *verbis formalibus* ducere licet, licet ratiocinari per consequentias ex Script. quia illę ipsæ etiam probationes consequentiarum usu dari non possunt. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐν μέρει. Paulus loquitur de Scriptura, & de iis quæ *ante scripta* sunt. Ergo usum ratiocinationum per consequentias proscribit. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Scripturam docet esse *utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem* &c. Ergo illius usum in ratiocinationibus per consequentias ductis probat, nec enim aliter Scriptura ita potest in universum esse utilis. Sic quia *ante scripta* ad παιδείαν nostram applicari vult, probat eundem modū procedendi, quippe sine quo ad nos applicari nequeunt. 4. Peccatur

Elencho à dicto secundùm quid, aliud enim eſt, ea ſcripta eſſe, quæ ſunt *fundamenta* probationum; aliud, ea eſſe ſcripta, quæ ſunt *inſtrumenta* earum. Sufficit verò priora ſcripta eſſe. Adde, ipſas ratiocinationes per conſequentias *materialiter* & *virtualiter* vel *fundamentaliter* ſcriptas eſſe, etſi non *formaliter*, vel αὐτολεξεὶ, quia ea ſunt ſcripta, quibus ratiocinationes illæ innituntur.

VIII. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, nos & ad Scripturas remitti, & ad ſolas Scripturas, velut ad *fundamenta* probationum, nec ab illis *declinandum*, vel *ad dextram*, vel *ad ſiniſtram*, nec illis aliquid addendum 2. *Per negationem*, ob id applicationem Scripturæ per conſequentias prohiberi, vel uſu ratiocinationum per conſequentias legitimas declinari *ad dextram* vel *ſiniſtram*. Peccatur itaque *Elencho à dicto ſecundùm quid*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον. Immò tantum abeſt ut ratiocinationibus iſtis per conſequentias à Scripturis recedatur, vel illis aliquid addatur, ut ea duntaxat quæ in Scripturis ſunt eruantur, & traducantur ad uſum. Κατὰ τὸ βίαιον, itaque, eo ipſo, quo omnes remittuntur, ad Scripturas, jubentur eas per conſequentias explicare & applicare, prout illi qui ad leges civiles remittuntur, pari ratione jubentur illas applicare ad uſus varios, qui in vita humana occurrunt.

IX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*. Illa enim quæ ſcripta ſunt, *perfecta* ſunt, ſed *in ſuo genere*, non *in omni genere*: in *genere fundamenti* credendorum & faciendorum, quatenus omnia & *dogmata* continent, & *præcepta morum*, quæ neceſſaria ad fidem & vitam Chriſtianam. Et hactenus urgemus meritò perfectionem Scripturæ contra Pontificios. Haudquaquam verò eatenus ea quæ *ſcripta* ſunt *perfecta* dicuntur, quaſi nec *explicatione* opus haberent, nec *applicatione*. Prout & regula perfecta eſt, & tamen ejus applicatione opus eſt, nec iſta applicatio intercedit perfectioni regulæ, ſed potius eam & probat & notificat. Sic corpus Legum perfectum eſt, nec tamen ob id minus neceſſaria Legum explicatio & applicatio. Unde hîc etiam peccatur *Elencho oppoſitorum*, opponuntur enim componenda.

X. Ad 7. *Except. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*, vel *falſa ſuppoſitione*, per Scripturas intelligi ſolam *literam* Scripturæ. 2. Peccatur *Elencho oppoſitorum*, conſolationem Scripturarum intelligi oppoſitè ad illationes per conſequentias ſtructas ex Scripturis. Immò per hoc inſtrumentum Scriptura demum commodè applicari poteſt ad conſolationem noſtri in variis ærumnis. 3. Peccatur ὁμωνυμίᾳ in termino ratiocinationum humanarum, vel enim is ſumitur *formaliter* vel *fundamentaliter*: ſi poſteriori modò ſumatur, fatemur nullam ſolidam conſolationem ex iis haberi poſſe; ſi priori, id negamus, modò earum *fundamenta* ex Scripturis ducantur. Immò nulla Scripturæ ſive *explicatio*, ſive *applicatio* inſtitui poteſt ſine ratiocinatione humana, immò ne lectio quidem λογική.

XI. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho à dicto ſecundùm quid*: Paulum velle Timotheum intentum eſſe lectioni Scripturarum, *ſecundùm quid*, verum

verum *absolutè & exclusivè*; falsum, quasi tantùm lectioni eum vellet esse intentum, & non *explicationi* etiam & *applicationi* Scripturæ. 2. Peccatur *Elencho oppositorum.* Paulus vult Timotheum esse intentum lectioni Scripturæ: Ergo non ratiocinationibus per consequentias ex ea ductis. Ista verò componenda; non opponenda. Immò, quia vult eum intentum esse lectioni, vult eum non syllabis tantùm Scripturæ hærere, sed ἐντεχνῶς adhibitis principiis rationis colligere, quid in Scriptura contineatur, & quid ex ea per sanas consequentias educi debeat vel inferri.

XII. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Paulum ratiocinationes humanas proscribere, proscribit ille duntaxat vanas & falsas, *oppositas* veritati revelatæ in Scriptura, haudquaquam verò ei *subordinatas.* 2. Peccatur παρερμηνεία verborum Pauli, ματαιολογία enim vel *vaniloquentia* quam proscribit Apostolus, non est ratiocinatio sana per consequentias ex Scriptura, sed est curiosa & anxia de rebus vanis dissertatio, quas vocat *versu* 5. μύθους & γενεαλογίας ἀπεράντους, quales erant non tam gentilium fabulæ de Diis suis θεογονία sua, quàm Judæorum (quos ut legis Doctores ἐλεγκτικῶς in sequentibus perstringit) deliria similia Talmudicis de *Lilith, Behemoth, Leviathan*, & aliis id genus nugis febrilibus. Quibus μύθοις accedebant anxiæ Disputationes & concertationes genealogicæ, sive super genealogia Christi per Josephum contexta à Matthæo, & per Mariam à Luca, sive super genealogiis privatarum familiarum, quæ genus referre videbantur ad שם אנשי ad *viros celebres* inter veteres, eo præsertim tempore, ubi jam abolita erant multarum familiarum monumenta ab Herode & aliis tyrannis. Sequentibus temporibus disputationibus illis vanis accessêre Gnosticorum γενεαλογίαι τῶν αἰώνων, & circa eorum συζυγίας, ex quibus innumeræ oriebantur quæstiones & disceptationes, quæ verè & meritò ἀπέραντοι dicuntur Paulo. Adde, per eandem ματαιολογίαν, (ob *versum sequentem*) intelligi posse vanam legis interpretationem & detorsionem à suo scopo. Quæ omnia haudquaquam tangunt veram Scripturæ tum *explicationem*, tum *applicationem per consequentias*, quippe quæ non ματαιολογία est, sed πιθανολογία, & utilis ac necessarius Scripturæ usus, ob quem data est. 3. Peccatur *ignoratione Elenchi*, damus, illorum Legis Doctorum ματαιολογίαν esse cavendam, qui *nec intelligunt ea de quibus loquuntur, nec ea de quibus affirmant*, *legitimè* etiam Lege esse utendum, nec pro libitu, vel secundùm corrupta carnis ratiocinia Scripturam, vel explicandam vel applicandam esse. Ista verò omnia ἀναντίρρητα sunt, nec ἀμφισβητούμενα inter nos. Nec ob *abusum* Legis & Scripturæ, qui damnatur à Paulo, tollendus ejus *usus*. 4. Peccatur falsa suppositione, legitimas ratiocinationes *per consequentias* ex Scriptura ductas esse ἑτεροδιδασκαλίας, vel doctrinam adversam sanis sermonibus Christi, quod supponitur, non probatur. 5. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, Paulum proscribere legitimum consequentiarum usum, eò quod proscribit *insanias circa quæstiones & pugnas de verbis*, quales innumeræ erant inter Philosophos paganos, ut qui in varias scissi erant αἱρέσεις, & in placita mutua certatim invadebant,

ita ut circa λογομαχίας maximam partem Stoicarum disputationum, adeoque *circa nomina* consumi jam olim à *Cicerone* observatum fuerit. Adde, Apostolum ejusmodi ζητήσεις proscribere, quæ sunt λογομαχίαι per ἐν ἀσ- δειῶν, & ex quibus pessimi duntaxat fructus erant exspectandi. Tales κενοφωνίαι & κενολογίαι innumeratæ maturè à *Gnosticis* in Ecclesiam Christianam etiam invectæ fuêre, quales Apostolus vocat ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, tangens vel imperitiam vel malitiam sive Doctorum inter Judæos, sive Philosophorum inter Paganos, qui postquam Christo nomen dederant, spreta simplicitate Euangelii sibi adscribebant singularem quandam scientiam, aliis ut rudibus præ se spretis. Quale οἴημα & qualis typhus in *Gnosticis* postmodum in Ecclesia apparuit, denominatis ἀπὸ τῆς γνώσεως, sed quæ verè ψευδώνυμος fuit.

XIII. Ad 10. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Paulum hortari Timotheum, ut teneat *expressam formam sermonum, quos à se audiverit.* 2. *Per negationem*, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων everti per ratiocinationes *per consequentias* institutas. Immò revera repræsentatur illa, & ad usum convenientem per eas applicatur. Sive enim ὑποτύπωσις sumatur pro *conceptu objectivo de fide quam* credebat Timotheus, sive pro *conceptu formali de fide quâ* credebat, vel de Idea doctrinæ illius quam habebat animo suo impressam, debebat in utraque ὑποτυπώσει constanter perstare. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, sufficiebant sanè Timotheo ea quæ à Paulo audiverat *in genere fundamenti*, nec enim alia doctrina, veritas alia ipsi tradenda erat. Hoc tamen non obstabat vel *explicationi* vel *applicationi* illius doctrinæ per quam ut *per instrumentum* & propagari poterat veritas illa, & referri ad scopum & usus suos. 4. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἐπίμονον; In talibus *manendum* erat Timotheo, quæ ipsi concredita fuerant: Ergo non licuit illi ex iis per consequentias ratiocinari. Notat duntaxat Apostolus, Timotheum non debere abduci ab hoc *fundamento*, haudquaquam verò non licere ei argumentari ex hoc fundamento. Immò κατὰ τὸ βίαιον, quia Apostolus vult Timotheum *manere* in hac doctrina, & illi immorari, vult Timotheum eam attentè ἐρευνᾶν *ruminari*, meditari, & eam tum nosse, tum docere, ut constaret Auditoribus, qualis esset tam *intensivè*, quàm *extensivè*. Opponitur itaque hoc non ratiocinationibus per consequentias, sed aberrationi à sana doctrina, & deflexioni ad vanam & falsam.

XIV. Ad 11. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem, sacras literas* potuisse Timotheum *sapientem reddere ad salutem*, h. e. plene informare & instruere in sapientia necessaria ad salutem, quod Hebræorum sibi vocant מחכימת σοφίζειν, quod Legi adscribitur, Ps. 19. 8. & à *Varino* exponitur per σοφὸν ποιεῖν & σοφίας ἀντιλαμβάνεσθαι, quam significationem hîc habet, non verò illam quam *Suidas* notat, qui σοφίζειν exponit λόγοις ἀπατᾶν. 2. *Per negationem*, sacras literas hoc præstare sine *explicatione* & *applicatione* conveniente per ratiocinationes & consequentias. Immò ut illæ sufficiant *in genere fundamenti*, per istas *in genere instrumenti* convenienter *explicari & applicari* debent, & sine hoc procedendi modo non possunt nos σοφίσαι εἰς σωτηρίαν.

XV.

XV. Ad 12. *Exc. Resp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, & παρερμηνείᾳ loci 2.Corint.10.4.5. ubi sermo duntaxat de λογισμοῖς de *ratiocinationibus* vanis Philosophorum Paganorum quibus se extollebant & oppugnabant Euangelium: λογισμοὶ itaque illi perstringuntur à Paulo qui instar ὀχυρωμάτων & velut ὕψωμα opponebantur simplicitati & humilitati Euangelii. Ubi apposité Paulus subtilitates Philosophorum, & fastuosas eorum declamationes de virtutibus suis moralibus quibus turgebant & fidebant, argutationes etiam eorum inani sapientiæ nomine comendatas, immò ἀποδείξεις ex disciplinarum humanarum fundamentis, quibus suas δόξας munire solebant, comparat cum *munimentis*, ut quæ valida quidem viderentur, dejicerentur tamen passim ab Apostolo Spiritu Dei potenter verbo illorum cooperante, prout jam olim in Historia Iosuæ mero buccinarum sono & clangore dejecta fuêre munimenta Hierichuntis, Ios.6. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*, & *fallacia divisionis*. Ratiocinationes evertuntur à Paulo quæ se opponunt Euangelio, vel cognitioni Dei: Ergo omnes ratiocinationes. Immò sine illis isti Paganorum λογισμοὶ non poterant everti. Nec λογισμοὶ illi divellendi à sequente ἐξηγήσει, tales nimirum intelligi qui sunt ὕψωμα ἐπαιρόμενον prout καὶ non tantùm est συνδετικὸν in Scriptura, sed quandoque etiam ἐξηγητικὸν, ut Col.2.8. 3. Peccatur παρερμηνείᾳ phraseos, & *Elencho à dicto secundùm quid*, vel *divisionis*, aliud enim est, αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα, *captivare omnem cogitationem se opponentem Christo*, vel se efferentem suprà Euangelium, aliud, simpliciter omnem cogitationem vel ratiocinationem per consequentias institutam proscribere. Patet verò ex ἀκολουθίᾳ verborum Apostoli, quale νόημα intelligat, nimirum ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ. Aliud etiam, αἰχμαλωτίζειν νόημα, aliud, id simpliciter damnare. Prius probat Apostolus, posterius non item. Tunc verò αἰχμαλωτίζεται πᾶν νόημα, quando & primæ veritati primus datur locus, & humana sapientia subjicitur divinæ, non præfertur, nec Agari *magisterium* permittitur in domo Dei, sed *ministerium* duntaxat, ubi etiam canon Apostoli observatur, τὸ μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, Rom.12.3. *Varini* expositio hic subtilior est quàm solidior, innuens αἰχμαλωτίζειν hic esse Paulo αἰχμαλώτους ἐκ τῆς τοῦ πονηροῦ τυραννίδος λαμβάνειν ἀπὸ δουλείας εἰς ἐλευθερίαν quod per fidem revera fit, sed tamen hic non est de mente Apostoli, sed tantùm ita agendum esse cum ratiociniis nostris, quæ se efferunt supra Deum, ac solet agi cum iis qui velut ληφθέντες τῇ αἰχμῇ ἐν πολέμῳ adeoque qui se & permittere coguntur victori & submittere. Et hæc *argumenta inartificialia* ex *Scriptura* petita sufficere possunt ad κατασκευὴν assertionis orthodoxæ de legitimo consequentiarum usu.

DISPVTATIO XXVI.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQUENTIIS.

Thesis I.

A*Rgumenta inartificialia* à nobis distributa retrò fuêre, Disputatione XXI. Thesi V. in ea quæ duci possunt. 1. Ex *Scriptura*. 2. Ex *Antiquitate probata*: *Prius* argumentorum genus à nobis hactenus fuit excussum & vindicatum. Restat *posterius*, quod hac disputatione & discutiendum & vindicandum. Quod quidem argumentum non urgemus velut apodicticum in Scholis Theologicis, ubi sola auctoritas divina demonstrativa est, ἐκ περιόντος tamen ἐπιμέτρου vicem confundendis Adversariis hic adjicimus.

II. Argumentum istud ex antiquitate probata tale est: Quem modum procedendi observavit Ecclesia vetus orthodoxa, & Doctores orthodoxi ad imitationem Christi & Apostolorum in defensione veritatis, quem modum contrà damnavêre Hæretici subvertentes veritatem, is legitimus est. At usum ratiocinationum *per consequentias* observavit Ecclesia vetus orthodoxa, contra damnavêre Hæretici. Ergo is legitimus est. *Majoris* propositionis *consequentia* patet, nec enim ab auctoritate humana argumentamur simpliciter, & *absolutè*, sed *secundùm quid* ab auctoritate Ecclesiæ orthodoxæ, & quidem procedentis ad imitationem Christi & Apostolorum. *Minor* inductione probanda venit.

III. *Primam* probationem ducimus a *praxi Conciliorum Oecumenicorum*. Concilium *Nicanum* Oecumenicum, I. indictum à *Constantino Magno* Anno Æræ Christ. CCCXXV. probavit *per consequentias* τὸ ὁμοούσιον ex Scriptura contra Arianos, negantes Christum debere dici ὁμοούσιον Patri. Sic Concilium *Constantinopolitanum* Oecumenicum, II. indictum à *Theodosio* I. vel *Majore* Anno Æræ Christ. CCCLXXXI. probavit divinitatem Spiritus S. *per consequentias* ex Scriptura contra Macedonianos eam negantes. Sic Concilium *Ephesinum* Oecumenicum, III. indictum à *Theodosio II.* vel Minore & Valentiniano, Anno Æræ Christianæ CCCCXXXI. vel, ut volunt alii, CCCCXXXIII. probavit & unitatem personæ Christi, & Mariam Virginem esse Θεοτόκον *per consequentias* ex Scriptura contra Nestorianos utrumque negantes. Sic Concilium *Chalcedonense* Oecumenicium. IV. indictum à *Martiano* Anno Æræ Christianæ CCCCLI. duas in Christo naturas post unio-

unionem distinctas remanere probavit *per consequentias* contra Entychem & Dioscorum. His addi potest Concilium *Constantinopolitanum* II. Oecumenicum V. indictum à *Iustiniano* anno Æræ Christianæ DL, vel secundùm alios DLIII. quod probavit Patris, Filii & Spiritus S. ὁμουσίαν, duplicem verbi nativitatem, unum eundemq; esse Deum, Verbum & Christum, & alia id genus *per consequentias* ex Scriptura ductas contra Theodor. Mopsvestenum & Sectarios alios. Sic Concilium *Constantinopolitanum* III. quod est Oecumenicum VI. & vocatur etiam à quibusdam Synodus Trullana à sacri palatii loco in quo coactum fuit, indictum à *Constantino Pogonato*, anno Christi DCLXXXI. probavit per consequentias ex Scriptura duas in Christo voluntates, divinam & humanam reperiri contra *Monotheletas*.

IV. *Secunda* probatio ducitur à *praxi Patrum Veterum* laudatissimorum, qui ad Christi & Apostolorum imitationem *per consequentias* ex Scriptura in confutandis Hæreticis & hæresibus processêre. Ex quibus sufficere possunt testimonia aliquot. *Tertullianus* libro de præscriptionibus cap. 17. monet non interpretanda esse verba Scripturæ *sine disciplina rationis.* Sic *Augustinus* hanc methodum disputandi docet libr. I. contra *Cresconium* Grammaticum cap. XIII. & sequentibus, & ipse adhibet contra Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos & alios. Sic libr. 2. de Doctr. Christi. cap. XXXI. & sequentibus prolixè commendat disputandi disciplinam, quæ plurimùm valeat ad omnia genera quæstionum, quæ in libris sanctis sint, penetranda & dissolvenda. Docet etiam, eam *regulas connexionum* & *veritatem consequentiarum* suppeditare Theologo. Sic *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXVII. ubi Spiritus S. divinitatem probat contra Pneumatomachos utilissimum hunc aphorismum docet: Τὰ μὲν, inquit, οὐκ ἔστι, λέγεται δέ: τὰ δὲ ἔστι, οὐ λέγεται: τὰ δὲ οὔτε ἔστιν, οὔτε λέγεται: τὰ δὲ ἄμφω καὶ ἔστι καὶ λέγεται. Et istorum demonstrationes ibidem subjicit. Sic quærit ibidem unde habeant Hæretici τὸ ἀγέννητον, & τὸ ἄναρχον, & addit, δεῖξον ταῦτα ὀνόμασι, ἢ ἡ ἀθετητέον, ἐπειδὴ οὐ γέγραπται, ἢ διαγραπτέον, καὶ τέθνηκας ἐκ τῶν σῶν ὑποθέσεων καθάπερ θέντων τοῖς τῶν ὀνομάτων, καὶ τὸ τεῖχος τῆς καταφυγῆς, ἐφ' ᾧ ἐπεποίθεις ἢ δῆλον, ὅτι ἐκ τῶν ταῦτα συναγόντων κἂν μὴ ταῦτα λέγηται. Ibidem egregiè perstringit hærentes syllabis & litteris, & inquit, eos συλλαβαῖς ἀναλυτεῖν & ἀφεῖναι τὰ πράγματα. innuitque se potius respicere τὰ νοούμενα. quàm τὰ λεγόμενα. Plurima alia in eam rem appositè ibidem leguntur. His subjici potest *Maximus Monachus*, qui hoc ipsum argumentum solidè & eruditè aliquot Orationib. exequitur, præsertim Oratione περὶ τῶν λεγόντων μὴ πιστεύειν. Haudquaquam verò opus, nos prolixè probare, hanc Patrum Orthodoxorum sententiam fuisse, quum ea satis pateat ex illorum praxi, ut qui omnes sive in probandis sanis dogmatibus, sive in subruendis dogmatibus falsis, ratiocinationibus per consequentias id genus passim ex Scriptura utuntur, adeoq; supponunt non tantùm licere ita ex Scriptura argumentari, sed etiam id & justum esse & necessarium. Immò *Clemens Alexand.* notat lib. I. Strom. ἡ ἀπὸ τῆς ἀποδείξεως λόγων, ἀκριβὴς πίστις ἐνστάζεται τῇ ψυχῇ τῶν προσχωρούντων, ὥστε μηδ' ἂν ἄλλως ἔχειν τὸ ἀποδειχθὲν οἴεσθαι: τοῖς τε αὖ δι' ἀπάτης ὑποτρέχουσιν ὑποπίπτειν οὐκ ἐᾷ.

Adeoque eo ipso innuit non tantùm hunc procedendi modum facere ad κατάληψιν veri, verùm etiam ad διάκρισιν falsi, ne in errorem incidamus. Sic elegantissimè ab illo dicitur Servatoris quidem doctrina esse αὐτοτελὴς καὶ ἀπροσδεής, ex sese scilicet, Philosophiæ tamen Græcæ accessionem non quidem potentiorem facere veritatem, sed tamen ἀδύνατον παρέχει τὴν κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, & esse velut φραγμὸν & θριγκὸν vineæ, eo quod repellat τὰς διαλεκτικὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλάς. Sic libro septimo Stromatum docet veritatem debere σαφηνίζεσθαι διὰ τῆς ἀκολουθίας (*per consequentiam*) τῶν ἀποδείξεων.

V. *Tertia* probatio ducitur *à praxi Hæreticorum* damnata à Patribus Orthodoxis, illi quippe hæresibus suis defendendis jam olim isto stratagemate usi fuêre, & exegêre à Patribus probationes ex Scriptura αὐτολεξεὶ deductas. Hac stropha Arianos jam olim usos fuisse docet Disputatio à quibusdam tributa *Athanasio*, quamvis falso, quasi peculiari Dialogo illo cum Ario congressus fuisset. Arius ibi non tantùm urget ποῖαί εἰσιν αἱ γραφαὶ αἱ φάσκουσαι ἀΐδιον τὸν υἱόν, eo quod αὐτολεξεὶ hoc de Filio non dicatur, sed disertè etiam ἔγγραφον ἀπόδειξιν petit, ἐκκλίνας, inquit, ἀπὸ τῶν συλλογισμῶν, ἔγγραφόν μοι δὸς ἀπόδειξιν, εἰ ἀληθινὸς Θεός ἐστιν ὁ υἱός, ὥσπερ κἀγώ σοι φωνὴν παρέθηκα εὐαγγελικήν. Sic introducitur Athanasius in Epistola, qua probantur τὰ ἱερὰ δόγματα κατὰ τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως sub finem, Arianos velle, non debere ἐπεισάγεσθαι ἀγράφους λέξεις. Et respondet, id quidem æquum esse, ad coarguendum tamen κακουργίας Eusebianorum coactos fuisse Episcopos λευκότερον ἐκθέσθαι τὰ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν διατρέποντα ῥήματα, ostenditque sufficere, τὰ περὶ τῆς συνόδου γραφέντα διάνοιαν ὀρθὴν ἔχειν: contra τὰ λογάρια Arianorum σαθρὰ esse. Patres etiam Synodi τὴν αἰτίαν καὶ τὴν διάνοιαν à se sancitam è Scripturâ hausisse docet. Sic Athanasius Epistola de iis quæ gesta in Synodis Ariminensi & Seleuciensi, docet, meritò Synodum pro verbis ambiguis [ἐκ τοῦ Θεοῦ] λευκότερα scripsisse, Filium esse ἐκ τῆς οὐσίας, & subjicit exceptionem hæreticorum, ἀλλ' οὐ γέγραπται ταῦτα, καὶ ὡς ἀγράφους τὰς φωνὰς ἐκβάλλουσι. Respondet *Athanasius*, hanc denuò esse πρόφασιν ἀναίσχυντον. Addit, si censeant τὰ μὴ γεγραμμένα ἐκβάλλειν, διὰ τί τῷ Ἀρείῳ ἐξ ἀγράφων ἐπινοηθεῖσι τούτων ῥημάτων συνεφώνησαν, &c οὐκ ἐπαισχύνονται, ἀλλὰ καὶ μάχην ὑπὲρ αὐτῶν ἀγωνίζονται. Et quærit appositè, ubi Ariani repererint in Scriptura τὸ ἀγέννητον τὸ τῆς οὐσίας ὄνομα, & alia id genus. Concludit itaque aut oportere illos καθ' ἑαυτῶν γράφειν, ἢ μηδὲν τοὺς Πατέρας αἰτιᾶσθαι: Acacium etiam & Eudoxium & Patrophilum dicit γράφειν τὰ ἄγραφα. Quod ipsum etiam consequentiarum Adversariis impingi potest. Sic docet Arianorum propaginem in Isauriam scripsisse se τὸ ὁμοούσιον & τὸ ὁμοιούσιον ἐκβάλλειν, ὡς ἀλλότριον τῶν γραφῶν, & se περιαιρεῖν τὸ τῆς οὐσίας ὄνομα, ὡς μὴ κείμενον ἐν ταῖς γραφαῖς. Eximium quin etiam aphorismum subjicit Athanasius, nihil referre κἂν ἀγράφοις τις λαλῇ λέξεσι, modò pio id sensu fiat, hæreticum verò sermonem κἂν τὰς ἀπὸ τῶν γραφῶν χρήσηται λέξεις, οὐδὲν ἧττον ὕποπτον ἐστὶ, καὶ τὸν νοῦν διεφθαρμένον. *Athanas.* etiam ostendit variis in locis, veram Scripturæ interpretationem tum demum dari, ubi & tempora & causæ & scopus

di-

dictorum attenduntur, & antecedentia simul ac consequentia ponderantur, quæ omnia sine ratiocinationibus *per consequentias* expediri nequeunt.

VI. Easdem technas ab *Eutyche* adhibitas docent Acta Concilij Chalcedonensis, ubi quærit, ποία γραφὴ εἶπε, δύο φύσεις; Eadem stropha usus fuit jam olim *Maximinus* Pneumatomachus, petens sibi αὐτολεξεὶ ex Scriptura S. ab Augustino probari, Spiritum S. esse adorandum: cui meritò opponit Augustinus lib. 3. cont. Max. cap. 3. ex iis quæ legimus *aliqua etiam quæ non legimus*, intelligi posse. Sic in Dialogo qui legitur in Scriptis Athanasij, qui tamen Theodoreti potius est, colloquentes introducuntur Orthodoxus & Macedonianus πνευματομάχος. Iste inquit, nullibi scriptum esse, ὅτι Θεός ἐστι τὸ πνεῦμα. Respondet Orthodoxus *per concessionem*, demus hoc ipsum non esse scriptum, sufficere sibi, modò Scriptura naturam divinam Spiritui S. tribuat, & τὰς θείας ἐνεργείας. Instat Macedonianus, cur Orthodoxus dicat id quod scriptum non est, respondet is, id scriptum esse, αὐτὴν τὴν φύσιν τὸ ὄνομα ἐπικείμενον ἔχειν, & retorquet hanc ipsam quæstionem, ubi scriptum sit, Spiritum ὅμοιον εἶναι κατ' οὐσίαν, & quum faterentur Macedoniani, à Patribus suis τὸ ὁμοίως κατ' οὐσίαν de Filio dici, quærit Orthodoxus, an hoc dixerint pro arbitrio ἐκ' ἰδίας αὐθεντίας, an ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῆς γραφῆς. Quum hoc ultimum fateri cogeretur Macedonianus, infert Orthodoxus, τὴν ἔννοιαν τῆς γραφῆς docere etiam τὸ ἄκτιστον πνεῦμα, &c.

VII. Eundem errorem errasse jam olim Hæreticos quosdam alios anonymos docet Dissertatio alia inserta operibus Athanasij Tom. 2. contra illos qui contendebant, ὅτι χρὴ δέχεσθαι τὰς φωνὰς καὶ μὴ σκοπεῖν τὰ δι' αὐτῶν σημαινόμενα, specie cuiusdam venerationis, quasi illa transcenderent captum hominum. Opponit illis Auctor, quem Photius Theodoretum etiam esse asserit Num. 46. §. 16. tales id satagere, ut subvertant πάντα τῶν ἀνθρώπων, & ne homines amplius sint λογικοὶ, sed omnia recipiant ἀδοκιμάστως ἀπεριέπτως, ἀδιερευνήτως & ὀλιγωρίστως. Sic Prophetarum & Apostolorum voces frustra auribus nostris insonare, καὶ πάντα λόγον αἰωρεῖσθαι καὶ ἀσύνετον μένειν. Et disertè dicit, tales nolle nos τὸ ἀκόλουθον τῶν λεγομένων σκοπεῖν, *spectare consequentiam dictorum*, adeoque minas suas in se implere; *Audiendo audietis, & non intelligetis*. Et exemplo verò allegato ibidem ab Auctore, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, patet, tales fuisse Eutychianorum traducem. Absurdum verò censet Auctor iste Orthodoxus, ἀκούειν τοῦ ῥήματος, καὶ μὴ ζητεῖν τὸ διανόημα τοῦ φθεγξαμένου. Et disertè quærit, ποῦ οὖν ἢ τοῦ λόγου τὸ ἀκόλουθον ἢ ἀκούοντος ὠφέλιμον: *ubi verò, inquit, est consequentia sermonis, aut utilitas audientis?* Τάχα καὶ πρὸς ὀλίγον ἦλθεν μαθητεύεσθαι διὰ ἀνθρώπους προστάττουσιν, ὅπερ μέλλουσι φέρειν μὴ ἀκούειν τῇ ἀκοῇ δέχεσθαι, κύριος δὲ τοιοῦτον μηδὲν τῇ ψυχῇ προσίεσθαι. Et addit, Apostolum aliter nos instituisse, & velle nos habere τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. Quærit verò, qua ratione aliquis possit rectè discernere μὴ λαμβάνων τὴν τῶν λεγομένων σύνεσιν. Ita etiam procedendo aliquem se in brutorum classem conjicere censet, immò ne ex animalibus quidem mundis esse, οὐ μηρυκάζοντα, *non ruminantem* καὶ λεπτοποιοῦντα τὴν λογικὴν τροφὴν πρὸς ἀνάπτυξιν εἰς τὴν

ὄντα ἄνθρωπον, ſubjicit, non oportere γυμνὰ τοῦ νοῦ ἁρπάζειν τὰ ῥήματα, ſed ſpectare diligenter, quid Deo ſit conueniens, quid nobis conducibile, &c. Illos qui aliter agunt, & ratiocinationum id genus uſum proſcribunt, obnoxios eſſe καινοτομίαις ἁπάσαις, & confugere ad tales ματαιολογίας. Concludit, τὸν τὰς λέξεις δεχόμενον, καὶ μὴ καταμανθάνοντα τὰ σημαινόμενα, nec conciliare poſſe τὰ δοκοῦντα μάχεσθαι ἀλλήλοις, nec aptas ſolutiones reperire, nec quod ſcriptum eſt, implere poſſe, ut ſciamus unicuique reſpondere.

VIII. Sic *Maximus* in Oratione πρὸς τοὺς κελεύοντας μὴ πιστεύειν, eundem errorem impingit Adverſariis Orthodoxorum, quod vellent ἁπλῶς recipienda eſſe τὰ λεγόμενα, ſine ἐξετάσεως, & fidem vocare τὴν ἀβασάνιστον συγκατάθεσιν. Docet verò Maximus, abſurdum eſſe ἀλόγως πιστεύειν, neque conſiderare inter alia, quid ſit, εἰ τῇ φύσει κατάλληλον, εἰ τῇ ἀληθείᾳ σύμφωνον, εἰ τῷ σκοπῷ ἀκόλουθον, εἰ τῷ μυστηρίῳ ἁρμόδιον, εἰ τῆς εὐσεβείας ἄξιον. Subjicit ibidem Maximus verba eximia: καὶ τί κέρδος ἔξω, ἢ τίς ὄνησις τῇ διανοίᾳ τὸ μαθεῖν ταῦτα λογιζομένῃ, ἀλλ᾽ αὐτὴν μὲν τῷ ἤχῳ τῶν ῥημάτων βόσκεσθαι, ψυχὴν δὲ μηδεμίαν τῶν λεγομένων συνέσεως δέχεσθαι. Quo ipſo appoſitè docet *Maximus*, ſubverti fidem ubi ad *ſonum* verborum potius attenditur, quàm ad *ſenſum*, & negligitur naturæ rei, ἀκολουθίας, ſcopi, & aliorum id genus penitior conſideratio. Docet etiam Maximus, hoc eſſe ὅλον αἴτιον τῆς πλάνης καὶ τῶν κακῶν, & ſolemne Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus, v. g. Manichæis vel Arii, vel Apollinarii, vel ſimilium κακοτρόποις, ut eleganter loquitur, ut velint omnibus à ſe dictis fidem adhiberi ſine examine, eos etiam παραιτεῖσθαι τὴν ἐξέτασιν, ἵνα φύγωσι τὸν ἔλεγχον.

IX. *Except.* 1. Humanam auctoritatem non ſtringere in argumento Theologico. Vel enim καθόλου ſiue *in uniuerſali* à nobis procedi, vel ἐν μέρει ſiue *ex particularibus*: Si *prius*, nos in nos ipſos incurrere, & id nobis licere velle, quod perſtringamus in Pontificiis. Adeoq; vel argumentum ab autoritate humana ductum Pontificiis concedendum eſſe, vel nobis eo non utendum. Si *poſterius*, nihil concludi. 2. Eccleſiæ primitivæ aliam eſſe rationem, aliam noſtræ: illam *à Spiritu S. ductam* fuiſſe *in omnem veritatem*, ex ſingulari promiſsione, noſtram non item. 3. Vel nos Scripturam pro ſola veritatis regula habere, vel non: Si *prius*, non debere nos auctoritates humanas pro regula vel credendorum vel faciendorum aliis obtrudere. Si *poſterius*, nos evertere κυρίαν δόξαν quam tueamur contra Pontificios. 4. Si Scriptura ſit regula perfecta fidei noſtræ, debere nos ex illa probare legitimas &, utiles eſſe ratiocinationes *per conſequentias*, & hoc modo probata eſſe articulos fidei. Id verò probandum non eſſe ex Conciliis vel Patribus, quum monumenta iſta antiquitatis nolimus eſſe regulam fidei noſtræ. 5. Concilia & Patres in plurimis erraſſe, noſtro judicio. Nequaquam itaque eorum autoritatem ſibi obtrudi poſſe. Procliue enim ſibi eſſe excipere, æquè in hoc argumento ab illis vel peccatum eſſe, vel peccari ſaltem potuiſſe, ac nos velimus ab iis peccatum eſſe in aliis. 6. Si Patres Orthodoxi ratiocinationibus per conſequentias bene uſi fuerint, Hæreticos malè illis uſos fuiſſe. Præſtare itaque eas declinare quàm adhibere cavendis Hæreticorum ſtrophis. 7. Τὸ ὁμοιούσιον non malè rejectum fuiſſe jam

olim,

olim, ἄγραφον quippe, & humanæ potius, quàm divinæ auctoritatis. 8. Alia multa esse definita ab illis Conciliis, etiam Oecumenicis, quæ à nobis non probentur. Causæ itaque nihil esse cur illis nitamur. 9. Patres etiam à nobis citatos in multis secundùm nos impegisse. *Tertullianum* prętrerquam quod Montanista fuerit, *militiam* proscripsisse, eo quod qui gladio usus fuerit, gladio pereat, nec Christianus debeat esse ultor injuriarum, sed filius pacis, nec tamen nos velle ipsius sententiam in eo sequendam esse. Sic eundem eos duntaxat baptizandos censere, qui Christum nosse potuerunt, & docere, cunctationem *Baptismi* utiliorem esse præcipuè circa parvulos. 10. *Augustini* errores varios nō esse incognitos, nihil itaq; obstare quo minus opinio quam habuit de consequentiis reliquis ipsius erroribus accenseatur. 11. *Clementem Alexand.* salutem etiam adscripsisse Paganis, quasi per Philosophiam suam ad eam pervenissent, Diabolos etiam pœnitentia duci posse, censuisse, secundas nuptias fornicationem vocasse, & alios id genus errores errasse. 12. Diputationem cum Ario velut in Concilio Nicæno institutam ψευδεπίγραφον esse, & falsò tribui Athanasio, quum Arius hac Disp. conversus dicatur, quod pugnat cum Hist. Eccl. Eundem Athanasium propugnasse descensum localem Christi ad inferos, quem tamen non admittamus. Eundem censuisse, aliquos justificatos fuisse ἐν τῷ φυσικῷ νόμῳ. Gemina *Theodoreto & Maximo*, aliisq; id genus Scriptoribus veteribus opponi posse.

X. Expendenda ista omnia, sed compendiò, ut pateat Lectori, falsa opponere, esse περὶ τὸ φρέαρ χορεύειν, nec istis omnibus ratiocinationis nostræ momentum vel vim everti. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, argumentum nostrum non procedere καθόλου ab autoritate humana. 2. *Per negationem*, nos id nobis licere velle, quod perstringimus in Pontificiis. Id verò in illis damnamus, quod ut Iudæi olim Abrahamum, sic ipsi Patres opponant Christo, quod Patrum Scripta ὑποβολιμαῖα & notha nobis obtrudant pro genuinis, quod mentem eorum depravent, quod authenticam probandi vim illis quandoque tribuant, & alia id genus peccata in veterum Scriptorum allegatione peccent. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid.* Nec enim simpliciter ab auctoritate humana argumentum ducimus, sed ab auctoritate humana se componente ad imitationem Christi & Apostolorum. Quod hîc à Conciliis & Patribus factum, patet ex collatione eorum quæ in Scriptura S. in hoc genere reperiuntur.

XI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, aliam in quibusdam esse Ecclesiæ primitivæ rationem, aliam nostræ. 2. *Per negationem*, in hoc argumento aliam illius, aliam nostræ rationem esse. Processit enim Ecclesia vetus in hoc argumento non ex iis quæ ipsi erant peculiaria, sed ex fundamentis, quæ nobis cum illa sunt communia. 3. Κατὰ τὸ βίαιον, si Ecclesia primitiva *ducta* fuit *in omnem veritatem*, & tamen ratiocinationibus *per consequentias* usa fuit, utique ista eius praxis laudabilis est, & eò magis imitatione hodieque exprimi potest. 4. Peccatur *falsa suppositione* quasi promissio ista Iohann. 16.13. directè non pertinuerit ad Apostolos, à quibus constituta Ecclesia, & quibus majori mensura donorum opus fuit ad tantum munus ritè fungendum, ut & singulari quadam ratione ipsi edocerentur à Spiritu,

& velut θεόπνευστοι alios docerent θεοπνεύστως, adeoque αὐτοπίστως.

XII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Scripturam à nobis pro sola veritatis regula haberi. 2. *Per negationem*, auctoritatem humanam à nobis pro regula vel credendorum faciendorum obtrudi aliis. Peccatur verò *suppositione falsa*, nos Concilia & Patres allegando, *regulam* proponere credendorum & faciendorum, quum proponamus tantum *exemplum*. Peccatur etiam *Elencho à dicto secundùm quid*, aliud enim est, aliquid proponere: aliud, aliquid proponere pro *regula*: Aliud, id facere *primariò*: aliud, id facere *secundariò*: Aliud, id facere *ad necessitatem*: aliud ad συγκατάβασιν. Aliud, id allegare ex auctoritate humana, quod est consentaneum Scripturæ S. & in ea fundatum: aliud, id adducere quod ab ea recedit.

XIII. Ad 4. *Exc. Resp.* Peccari *falsa suppositione*, gemina: 1. Argumentum istud ex Scriptura probatum non fuisse: Id verò à nobis præstitum, & ex ea ostensum Disputationibus superioribus, legitimas & utiles esse ratiocinationes *per consequentias*, & hoc modo probata quandoque esse *articulos fidei*, quandoque *conclusiones Theologicas* ex iis structas. 2. Omnem allegationem proponi pro regula.

XIV. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Concilia multa & Patres multos errasse. 2. *Per negationem*, vel errasse in omnibus, vel in hoc errasse, quod probandum, non supponendum, vel eorum, qui interdum errant, testimonia adduci non posse, non quidem ad *fundationem* fidei, sed tamen ad *confirmationem fidei* jam fundatæ. 3. Peccatur *Elencho parium*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον. In aliis à Conciliis & Patribus sæpe peccatum fuisse probari potest ex Scriptura: in hoc non item.

XV. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*: Aliud enim, *uti* ratiocinationibus per consequentias; aliud, illis *abuti*. Prius licet, posterius non item. 2. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *non causa*, nec enim ob abusum rei alicujus illius usus tollendus est. Alioquin & Scripturæ lectio & verborum *formalium* allegatio, & doctrinæ Pauli de Prædestinatione & justificatione propositio rejicienda foret, quod pessimis strophis detorta fuerit utraque jam olim ab hominibus pervicacibus. Sic baptismo olim multi abusi, haudquaquam itaque ille administrandus foret. Immò Scriptura & bonitate Dei & innumeris aliis id genus plurimi malè utuntur, nec tamen illa intercedunt, quominus iis bene uti & possimus & debeamus.

XVI. Ad 7. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, vel τὸ ὁμοούσιον non malè rejectum fuisse ab Antitrinitariis veteribus, vel id ἄγραφον esse, vel humanæ potius quàm divinæ authoritatis. Nec enim habenda ratio χρήματος, sed πράγματος non *soni*, sed *sensus*. 2. Τὸ ὁμοούσιον meritò à Patribus Synodi Nicænæ sancitum fuisse demonstrabitur, faciente Deo, suo loco.

XVII. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. Demus, per συγχώρησιν, alia quædã esse definita in Conciliis etiam Oecumenicis quæ à nobis non probentur, satis, symbola eorum sint orthodoxa. Sed hoc argumentum alius loci est. 2. Supponitur *falsa hypothesis*, nos Concilia in omnib. probare, vel iis superstruere fidem

fidem noſtram. At tum demum illa apud nos auctoritatem obtinent *quando* ſequuntur & *quà* ſequuntur primam veritatem, & illi hærent.

XVIII. Ad 9. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſsionem:* Patres a nobis citatos in multis impegiſſe. 2. *Per negationem:* Illos qui non ſequendi ſunt, quando impegêre, ſequendos non eſſe, quando non impegêre. 3. Errores *Tertulliani* ſuper militia, libro *de Corona militis*, & ſuper baptiſmo, libro *de Baptiſmo*, & ſuper paracleto Montani paſsim, & alios id genus nævos ejus meritò averſamur, ut ἀγράφοις & ἀντιγράφοις, uſum verò principiorum rationis vel ratiocinationes per conſequentias non item, ut ἐγγράφοις & conformes praxi Chriſti & Apoſtolorum.

XIX. Ad 10. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſsionem*, Auguſtino humanitùs quædam contigiſſe, & ab illo in aliquibus peccatum v.g. in adſtruenda neceſsitate Euchariſtiæ & aliis quibuſdam id genus. 2. *Per negationem*, eandem eſſe rationem ſententiæ illius de ratiocinationibus per conſequentias, quod dicitur, non docetur. Peccatur itaque *Elencho partium*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον.

XX. Ad 11. *Exc. Reſp.* Pari ratione 1. *Per conceſsionem*, erraſſe in multis *Clementem Alexandrinum*, & ſigillatim in allegatis. 2. *Per negationem*, cum in hac cauſa erraſſe, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Immò ſic argumentum ducendum foret ad veriſsima etiam, verbi gr. eum erraſſe in iis quæ de Scriptura, & creatione, & invocatione, & Eccleſia, & aliis id genus orthodoxè idem Scriptor tradit.

XXI. Ad 12. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſsionem*, Diſputationem illam cum Ario velut ab Athanaſio inſtitutam ψευδεπίγραφον eſſe, tum ob rationem allegatam cui contradicit Hiſtoria Eccleſiaſtica, tum quia titulus docet, Diſputationem illam cum Ario, ſeries, eam cum Ariano aliquo inſtitutam fuiſſe. Adde, tempus Nicænæ Synodi per ἀσυγχρονισμὸν evidentem ibi perperam notari, quaſi habita fuerit Anno CCCX. quum conſtet eam habitam fuiſſe Anno CCCXXV. Periodi Iulianæ 5038. Olymp. CCLXXVI. primo, Conſtantini M. XX. U. C. MLXXVIII. Coſſ. Paulino & Juliano, ut patet ex Faſtis. Adde in titulo dici, Diſputationem illam habitam in Synodo Nicæna, nihil verò tale apparet in tota ſerie. Adde, divinitatem Spiritus S. ea diſputatione ab Ariano impugnari, quæ quæſtio in Synodo Nicæna haudquaquam mota legitur, ſed poſt illam demum. Quæ in Spiritum S. blaſphemia Arii ſucceſſoribus, non Ario impingitur ab ipſo Athanaſio in Epiſt. II. ad Serapionem. 2. *Per negationem*, eam non eſſe Scriptoris vetuſti, & non multa habere egregia, & ἀξιομνημόνευτα, inter quæ & iſtud eſt quod à nobis notatum fuit, ſuper ratione diſputandi ex Scriptura. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον & ex *particularibus*. Athanaſius in quibuſdam erravit. Ergo & in hoc argumento. 4. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, ea quæ *Theodoreto* & *Maximo* opponi poſſunt, eorum teſtimonia evertere. Nec enim dicta ab illis cenſemus αὐτόπιστα, ſed ἀξιόπιστα, veriſſima tamen in hac cauſa, quia conformia τοῖς αὐτοπίστοις. Et hæc de *argumento inartificiali* ex *autoritate humana* pro ratiocinationibus per conſequentias inſtitutis data ſufficiant.



DISPVTATIO XXVII.

Κατασκευαστική,

DE
CONSEQVENTIIS.

THESIS I.



RGVMENTIS *inartificialibus* pro uſu legitimo ratiocinationum per conſequentias in probandis fidei articulis, tum è Scriptura, tum ex antiquitate probata retrò pertractatis; Progredimur ad argumenta *artificialia* aliquot præcipua, tum proponenda, tum vindicanda, pro methodi noſtræ inſtituto.

II. Argumenta *artificialia* diſtribui poſſunt in *oſtenſiva* & *apagogica*, quorum illa directè & *à priori* inſtitutum concludunt, iſta indirectè & *à poſteriori*.

III. Argumentum *artificiale oſtenſivum* primum hoc eſt: Quod neceſſarium eſt ad quamvis veritatem vel *eliciendam* vel *probandam*, id neceſſarium etiam eſt ad eliciendam & probandam veritatem articulorum fidei. Vſus legitimus ratiocinationum per conſequentias, neceſſarius eſt ad quamvis veritatem vel *eliciendam* vel *probandam*. Ergo, &c. *Majoris conſequentia* patet, quia 1. Veritas velut *genus* ſub ſe habet veritatem Theologicam vel articulorum fidei, ut ſpeciem. Modus procedendi neceſſarius in omni veritate, non poteſt non eſſe neceſſarius in hac vel illa veritate ſive *elicienda* ſive *probanda*, ob conceptum quendam communem *convenientiæ*, quam ſpecies omnes involvunt ratione ſui generis, prout conceptum *diſconvenientiæ* involvunt ratione ſuarum differentiarum. Prout ex adverſo, quod eſt ſiue inutile ſiue noxium in quauis veritate vel *elicienda* vel *probanda*, id etiam ſiue inutile ſiue noxium eſt in *elicienda* vel *probanda* veritate Theologica.

IV. *Minor* propoſitio probatur per partes. 1. *In elicienda veritate* neceſſarius eſt ratiocinationum per conſequentias uſus, quia omne quod elicitur, elicitur ex aliquo principio, in quo *virtualiter* ſive *eminenter* continetur. Qui verò articulus fidei ex Scriptura elici poteſt, ut principio, v. g. Sa-

v. g. Sacrosanctam Scripturam esse infallibilem, quia est θεόπνευστος, nisi ratiocinando, Deum esse infallibilem, adeoque quicquid à Deo inspiratum, perfectissimam enim naturam & ens primum nec falli, nec fallere posse. Sic Alcoranum non esse scriptum θεόπνευστον, quia continet falsa & Scripturæ contraria, supponit ratiocinationes istas, Deum esse veracem, & quicquid à Deo est, verissimum esse, Deum imperfectioni & errori obnoxium nec esse nec esse posse, Deum sibi non contradicere: Duo contradictoria non posse esse simul vera; & quæ sunt alia id genus. Et in genere, posito aliquo principio, necessariò ponuntur omnia eo contenta. Ut qui Christum dicit esse Deum, dicit esse omniscium, omnipotentem, & qui hominem dicit, dicit eum esse finitum, quantum, habere partes extra partes, &c.

10 V. 2. Nec minor necessitas in *probanda veritate* aliqua usu ratiocinationum per consequentias v. g. qui vult probare satisfactionem Christi esse infiniti valoris, ex eo quod persona Christi est θεανδρική, vel quia est actus personæ infinitæ, debet uti istis ratiocinationibus: Actus metiendos esse ex natura subjectorum; Personam θεανδρικὴν esse infinitam, ergo & actum ejus. Sic qui vult probare, Deum non esse corporeum, quantum, visibilem, quia est spiritus, debet supponere ratiocinationes istas, spiritum & corpus habere rationes formales oppositas, contradistincti unius positionem includere negationem alterius: & contradictoria de eodem subjecto verificari non posse.

11 VI. *Exc.* 1. Veritatis divinæ aliam esse rationem, aliam veritatis humanæ. Illam niti sola revelatione, istam sola demonstratione. Ad illam itaque exigi claram duntaxat Scripturæ literam, quamvis ad istam exigatur ratiocinatio per consequentias. 2. Modum procedendi divinum confundi cum humano, quod non magis admitti debet, quàm ipsa veritatis divinæ & humanæ confusio. Ut verò ista sæpe opposita sunt, sic & modum procedendi oppositum statui debere. Sic v. g. veritatem divinam de creatione, quæ docet ex nihilo aliquid fieri, esse contrariam veritati humanæ, quæ docet ex nihilo nihil fieri. 3. Incertum fore semper & dubium, modum nostrum procedendi, sive in eliciendo sive in probando, quia fallibilis est intellectus noster & totus eius processus. Ex fallibili verò principio nihil certi duci posse. 4. Contraria vel elici sæpe vel probari ex locis variis à variis, qui tamen uti velint istis ratiocinantibus per consequentias, verbi gratia. Ex verbis Christi, *hoc est corpus meum*, aliquos probare transsubstantiationem, alios consubstantiationem, alios prædicationem tantùm Sacramentalem. Qui verò definiri possit, quis ex illis legitimè hic ratiocinetur? 5. *Hæreticos* in Ecclesia veteri ejusmodi ratiocinationibus falsis & eruisse & probasse ex Scriptura, verbi gratia. *Arianos*, Christum non esse Deum ὁμοούσιον Patri, quia dicitur à Christo, Pater major me est. *Macedonianos*, Spiritum Sanctum non esse Deum; quia dicitur Spiritus Sanct. nondum fuisse. Sic *Euchetas* sategisse continuas preces esse fundendas, quia Apostolus inquit, indesinenter orandum esse, sic

de aliis. 6. *Iudæos* & alios Christianæ religionis hostes ratiocinationibus id genus abduci ab Euangelio, v. g. absurdum esse, Christum esse Deum & hominem, quia divina & humana natura, ut finita & infinita, non posſint copulari, & quia sequeretur plures esse Deos, & Deum mutationi esse obnoxium & incipere esse, quod ante non fuit. 7. Veritatem divinam sic nunquam sufficienter defendi posse contra Hæreticos & Sophistas, humana enim arma humanis armis repelli & superari posse, ratiocinationes ergo ratiocinationibus. Sin sola Dei verba opponantur, cadere omnem oppositionem humanam & everti de facili. 8. Sic aperiri portam rixis, disputationibus, & artibus ingenii humani, & Sophistis tum arma suppeditari, tum campum aperiri latum profligandis Christi discipulis, sapientiam etiam carnis foveri, quæ est inimicitia adversus Deum, Rom. 8. ℣. 2. 9. Alienum hoc esse à simplicitate discipulorum Christi, qui unam Christi vocem audire debent & illi uni hærere. 10. Deum destruere ratiocinationes ut arma carnalia, at arma nostræ militiæ alia esse. Et hoc disertè Apostolum profiteri, 2. ad Corinth. cap. 10. ℣. 5.

VII. Haudquaqum verò ob ista omnia deserendum nobis vadimonium. *Ad 1. Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς vel *per concessionem*, aliam esse rationem veritatis divinæ, aliam humanæ, illam niti revelatione, istam demonstratione. 2. Ἀρνητικῶς, vel *per negationem*, inde sequi, ad veritatem divinam eliciendam, duntaxat Scripturarum literam exigi, non verò ratiocinationes per consequentias. Rationes negationis sunt. 1. Quia non sequitur, ea quæ disconveniunt in aliquibus, disconvenire in omnibus, & peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*. Vtut itaque disconveniant veritas divina & humana, partim *origine immediata*, partim *materia*, partim *terminatione*, conveniunt tamen necessariò in iis, quæ generis naturam sequuntur, aliâs vel veritas divina, veritas non esset, vel humana non esset talis. 2. Quia ipsa Scripturæ S. litera expresſè ratiocinationes per consequentias imperat. v. g. dum vult nos ἐρευνᾶν scrutari Scripturas, & ex Moyse ac Prophetis inferre, Iesum Nazarenum esse Mesſiam promissum, conferre Scripturas, omnia probare & quæ sunt alia id genus. Quia Deus vult nos uti intellectu in legendis & conferendis Scripturis, & cultum nostrum ex iis haustum, esse λογικὴν λατρείαν, non ἄλογον, Rom. 12. 1. 3. Peccatur *elencho* τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, quod nititur revelatione, in eo non posse procedi per ratiocinationes à consequentiis. Aliud enim est, id, *cui innititur* veritas divina; aliud id, *quo utitur*. Prius est revelatio sola, posterius sunt etiam ratiocinationes. Veritas verò humana non tantùm *utitur* ratiocinationibus, sed etiam illis *nititur*. Veritas humana etiam sæpè extruitur ex ratiocinatione humana vt principio, & in eam resolvitur, divina non item.

VIII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Supponi falsum, modum procedendi nostrum, divinum esse, humanus is est æquè ac nos sumus homines. Vt itaque gratia non evertit naturam, nec Theologia lumen rationis, sic nec reue-

revelatio divina ratiocinationes legitimas. Divinus procedendi modus est per meram & simplicem intuitionem sine compositione, divisione, discursu. Humanus verò per ista. Et aliud est modo procedendi diuino vti, *originaliter*, h.e. præscripto nobis à Deo; aliud, modo procedendi diuino *formaliter* uti, hoc est, qui in se diuinus sit, qualis in homines nec cadit nec cadere potest, non magis quàm ipsa natura divina ejusque perfectio. 2. Peccatur *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, sic confundi modum procedendi diuinum & humanum, applicatur tantùm instrumentum commune ad diuersa objecta. Nec magis confunditur, quàm quum ratio nostra vel Deum concipit aut spiritualia, vel mundum aut mundana, vel suspicit in cœlum, vel despectat in terram. Adde, modum procedendi omnem in diuina veritate resolvi tandem in revelationem, in humana non item. 3. Supponitur falsum, veritatem divinam & humanam habere se ut opposita, quæ tamen potius se habent ut subordinata. Nec enim verum vero potest esse contrarium, ut quod omne à prima veritate est, & vt Deus veritatem divinam nobis communicat per reuelationem verbi, sic communicat humanam per naturam & *objectivam* & *subjectivam*, partim per opera sua, partim per principia & theorica & practica, nobis ab eo insita. 4. Nec exemplum allatum ostendit veritatem humanam esse contrariam diuinæ, vel istam illi. Nec enim oppositio datur, nisi servatis oppositionis legibus quæ hic haudquaquam servantur. Aliud enim est, ex nihilo nihil fieri, partim *formaliter*, per modum generationis vel productionis physicum, partim *efficienter* per potentiam finitam, quod repugnat. Ex nihilo tamen aliquid fieri partim *formaliter*, per modum creationis vel productionis hyperphysicæ, partim *efficienter* per potentiam infinitam, non repugnat: Nec enim termini sumuntur ὡσαύτως.

IX. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Sic modum procedendi nostrum semper fore incertum & dubium. Nec enim ex potentia fallibilitatis semper inferendus actus. Non magis quàm ex fallibilitate visus, vel auditus nostri, concludimus, nihil certi nos vel audire vel videre posse. 2. Adde, peccari *paralogismo accidentis*, quod enim intellectus noster interdum fallatur in ratiocinando, hoc fit *per accidens*, non per se. 3. Vel καθόλου procedit hoc argumentum, ex fallibili principio nihil certi duci posse, vel ἐν μέρει, ἐν μέρει nihil concludit, si καθόλου, sequitur nihil certò à nobis intelligi posse, adeoque nos debere incertos esse, an sit Deus, an Mesias, an Scriptura, an Ecclesia, & alia id genus indubitata, quæ omnia blasphema sunt & impia. 4. Si ex intellectu nostro ut fallibili etiam principio nihil certi duci potest, κατὰ τὸ βίαιον, illi qui sic sophisticantur nihil quicquam certò scire possunt: Nec *Pontificij* affirmare, Petrum esse caput Ecclesiæ, quia vocatur Petra, vel notas veræ Ecclesiæ à se intelligi, vel se ea intelligere, quæ in *Patribus*, in *Conciliis* & *diplomatibus* Pontificum leguntur: Nec *Anabaptistæ*, se bene intelligere locum Matth. 28. 19. ex quo volunt euertere pædo-

BBB

baptiſmum, vel locum 1.Cor. 15. 47. de oppoſitione primi & ſecundi Adami, ex quo volunt inferre, Chriſtum corpus ſuum duxiſſe è cœlo. 5. Sic ἀκαταληψία & pyrrhonismus, vel ſcepticiſmus introducentur in Eccleſiam; ut itaque ſenſus liberandi ſunt ab impedimentis, quibus eorum certitudo inhibetur, quæ vel in *objecto*, vel in *medio*, vel in *organo* deprehenduntur, ſic & liberandus intellectus ab impedimentis ratiocinationem noſtram impedientibus. Nec magis obſtat intellectûs fallibilitas certitudini noſtræ in materia theologica, quàm in quavis materia, adeoque ſic cadent omnes artes & ſcientiæ ſuperſtructæ ratiociniis intellectus & demonſtrationes ſecundùm ea inſtitutæ, aut ex iis deductæ.

X. Ad 4. *Exc. Reſp.* 4. Peccari primò *in Theſi* fallaciâ & *conſequentiæ*, & *non cauſæ*; Elencho etiam *accidentis*. Nec enim abuſus ratiocinationum confundendus cum vero earum uſu. Nec res conſiderata in ſe, & *in abſtracto* damnanda ob perverſam ejus applicationem *in concreto*. Sic & multi falluntur in objectis variis dignoſcendis per viſum, v.g. remus in aqua videtur fractus qui talis non eſt. Sic videtur ſæpe rotundum vel remotum quod tale non eſt, Sol exiguus, terra recedere: Nec ob id tamen dicendum, incerta omnia eſſe, quæ ſenſibus iſtis apprehenduntur. 2. Peccatur *in hypotheſi*; Nec enim ratiocinationes quibus ſuperſtruuntur vel transſubſtantiationis vel conſubſtantiationis dogmata conſequentiæ ſunt *innata* verbis Chriſti, ſed *illata* in ea. Vt itaque uſum ratiocinationum legitimum defendimus, ſic illegitimum qualis hic adhibetur, averſamur. Et ut quęvis ratiocinatio ſuas habet leges, ad quas reduci, & ſecundùm quas inſtitui debet, ſic & ſecundùm eaſdem examinari debet pro diverſa rei natura. Quo examine ſetiò, ut oportet, inſtituto, patebit, iſtas ratiocinationes haudquaquam legitimas eſſe, quippe quæ incurrunt in leges ejus & naturam *ſubjecti*, & vel tollunt tum ſignum, tum ſignatum, vel convertunt ſubjectum in prædicatum, & prædicatum in ſubjectum, prius facit illatio de transſubſtantiatione, poſterius illatio de conſubſtantiatione, ultima verò & ſignum integrum relinquit & ſignatum, & terminorum propoſitionis ſitum & connexionem debitam obſervat.

XI. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *elencho conſequentiæ*, nec enim ex abuſu ratiocinationum, qui animadvertitur in Hæreticis, judicandum de earum uſu, vel ſi ille damnandus eſt, iſte pariter damnari debet, non magis quàm ſi ebrioſi videant geminas Thebas, arquati omnia lutea, viſus ſanus & integer aliorum ex eo præjudicium ullum patitur. Nec quia abutuntur ratiocinatione Sophiſtæ, ea Philoſophi veri uti non debent. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*, ſi ex abuſu ratiocinationum ſequitur earum uſum proſcribi debere, ſequitur, ob abuſum allegationis ipſius litteræ S. Scripturæ proſcribi debere iſtius litteræ uſum. At quot Hæretici clarâ litterâ abuſi fuere; Illa ipſa exempla hic ſufficiunt quæ nobis oppoſita, vbi ipſius litteræ περβυλεία æquè peccatur ac ratiociniis multis.

XII. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον* & *paralogiſmo parium*.

parium. Aliud enim eſt, loqui ratiocinationibus exſtructis ex Scriptura à Iudæis & *ſecundùm eam*, aliud eſt loqui de iis, quæ ſtruuntur contra Scripturam ab iis vel Hæreticis aliis. Aliæ ſunt quæ ſubordinantur revelationi, & in eam reſolvuntur, aliæ, quæ ei opponuntur. Aliud etiam ratiocinatione uti, ut *inſtrumento* ad deprehendendam *veritatem connexionum*, aliud ea uti, ut *menſura dogmatum*. Prius fieri debet, poſterius non item.

2. Exempla allata impingunt diſertè in Scripturam, negando ea quæ clarè in ea traduntur, ob ratiocinia non formata ab intellectu ſano, ſed corrupto & occupato præjudiciis; nec enim unio hypoſtatica duarum naturarum infert earum vel exæquationem, vel confuſionem, nec ſequitur plures eſſe Deos, ſed plures tantùm perſonas diuinas, nec ſequitur Deum vel mutationi obnoxium eſſe vel revera ei actu ſubjici. Facta enim iſta unio ἀτρέπτως æquè ac ἀσυγχύτως.

XIII. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. Supponi falſam *hypotheſin*, quaſi ratiocinationes noſtræ ſint arma, quibus uti debeamus, vel utendum cenſeamus in pugna cum hæreticis. At arma noſtra ſunt Scripturæ Sacræ, & quæ in iis eſt revelatio. Delectus tantùm & applicatio armorum iſtorum inſtituitur per ratiocinationes, unde non ratiocinationes opponuntur à nobis ratiocinationibus, ſed Scriptura per ratiocinationes neceſſarias explicata & applicata iis opponitur. Nec magis in eo quicquam decedit verbo, dum ita tractatur, quàm cum Apoſtolus jubet id ὀρθοτομεῖν. 2. Adde ratiocinationes oppoſitas ab adverſariis, & ex ratione vel natura ſæpe ductas iiſdem neceſſariò euertendas. Ut verò iſta potiſsima arma non ſunt nec oſtenſiva nec defenſiva in ſcholis Theologicis, ſic etiam pro talibus haberi non debent. Adhiberi tamen poſſunt quandoque pro re nata, modo adhibeantur ſecundum Scripturam, & analogiam fidei, & ad ejus partim elucidationem, partim vindicias.

XIV. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho accidentis*, hæc vitia per ſe ſequi uſum ratiocinationum, vel ubique vel ſemper. Nec vitia iſta imputanda ratiocinationibus, ſed ratiocinantibus. 2. Imò ſic κατὰ τὸ βίον ſæpe retunduntur artes Sophiſtarum, pateſcunt ſtrophæ, diſſolvuntur nodi nexi, & obſtruuntur ora contradicentium. 3. Peccatur *elencho παρασυλώσεως* iſtius loci & *ignoratione Elenchi*. Aliud enim eſt loqui de ratiociniorum uſu legitimo, aliud, de ſapientia carnis. Illa ſubordinata ſunt revelationi, iſta oppoſita, illa illi ſubjiciuntur, iſta præponitur. Illa Scripturam habent pro domina & menſura, iſta non item. Nec ratiocinia hic intelligimus vel carnis aut hominum animalium *reduplicativè*, ſed ratiocinia hominum ſpiritualium diſcernentium ſpiritualiter ea quæ ſunt Spiritus Dei. Et Apoſtolus per τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, intelligit τὸν φρονοῦντα σαρκικῶς *abstracto* poſito pro *concreto*, carne ſumpta non *Phyſicè* ſed *Ethicè*, non pro ſubſtantia carnis, ſed pro corruptione eius, quatenus opponitur τῷ φρονήματι τοῦ πνεύματος. Sic intelligitur quod à carne eſt *efficienter*, & verſatur *objectivè* circa carnalia, & *terminativè* tendit ad πλησμονὴν τῆς σαρκός. Col. 2.23. quale φρόνημα mors dicitur ab Apoſtolo, non *formaliter* ſed *cauſaliter*,

quia est causa mortis, vel *abstracto* sumpto pro *Concreto*, θάνατος vocatur, hoc est, θανατηφόρος ὤν.

XV. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, hoc esse alienum à simplicitate discipulorum Christi. 2. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *oppositorum*, unam Christi vocem audire, impedire vsum ratiocinationum, vel ista inter se pugnare, modo adhibeantur, vt ostensum, cum temperamento legitimo. 3. Κατὰ τὸ βιαιον, quia Christi vox audienda, ratione utendum, scrutandæ Scripturæ, vox peregrina & mercenaria conferenda cum voce Christi, & discernenda ab ea, cauendum à fermento falsarum doctrinarum, & omnia media illa adhibenda, quibus ab eo cauere nobis possumus quàm optimè. 4. Supponitur falsum, nos velle discipulos Christi vel simplicitatem debitam exuere, vel eam opponi ratiocinationum usui, vel istum illi, vel nos velle oves Christi *niti* ratiociniis, non *uti* tantùm, quod falsum. Nec enim oves Christi brutæ, sed rationales sunt.

XVI. Ad 10. *Exc. Resp.* Peccari παρερμηνεία loci 2.Cor.10.5. & *fallacia divisionis*. Nec enim per λογισμοὺ ibi intelliguntur quævis ratiocinationes, sed λογισμοὶ qui sunt ἐπαιρόμενοι κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ. Talibus ratiocinationibus haudquaquam utendum. Nec si πᾶν νόημα debet captivari sub obsequium Christi, sequitur id debere everti. Dividuntur etiam componenda, & τὸ ὕψωμα, quod sequitur est ἐξηγητικὸν istorum λογισμῶν, ut ἡ κενὴ ἀπάτη τῆς φιλοσοφίας, Coloss.2.8. ubi ἓν διὰ δυοῖν ut 2.Corinth.10.5. intelligitur enim ὕψωμα λόγου & λογισμῶν pseudodoctorum, tumor & fastus sapientiæ & eloquentiæ carnalis quo turgebant & se efferebant præ Paulo. Istæ ratiocinationes merito destruuntur à Deo, non verò illæ quæ se submittunt revelationi, & instrumenta tantùm sunt eius melius & percipiendæ & explicandæ ac applicandæ. Ex his patet quæ ratiocinationes sint arma carnalia, quæ non, illæ nimirum unæ, quæ sunt ὕψωμα & ὀχύρωμα velut contra Deum, quod Deus æquè dejicit ad sonum verbi sui ac olim muros Hierichuntis. Sic Theophylactus bene ibi intellligit τοὺς συλλογισμοὺ καὶ τὸν τῦφον αὐτῶν. Et ista sufficiunt ad vindicias primi argumenti artificialis.

DIS-

DISPVTATIO XXVIII.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

Thesis I.



ARGVMENTO *primo* artificiali *ostensivo* pro usu legitimo ratiocinationum per consequentias in Scholis Theologicis & proposito & vindicato, progredimur ad *secundum*, quod pari ratione & proponendum & vindicandum.

II. Argumentum verò istud tale est: Sine quo veritas omnis in Scriptura contenta & nostro bono proposita cognosci non potest, illud necessarium est ad convenientem Scripturæ cognitionem. At sine usu ratiocinationum per consequentias veritas omnis in Scriptura contenta & nostro bono proposita cognosci non potest. Ergo usus ratiocinationum per consequentias necessarius est ad convenientem Scripturæ cognitionem.

III. *Majoris consequentia* patet: quia ideo & Scriptura tradita, & Dei voluntas in ea revelata, & ea Ecclesiæ commissa, ut omnis veritas in ea contenta & nostro bono proposita intelligatur, & ad *usus* partim *theoricos*, partim *practicos* referatur; adeoque ex ea habeantur omnia credenda, facienda, & omittenda, idque *adæquatè* & plenè: Sine quo itaque ista haberi non possunt quæ ad plenam Scripturæ sacræ intelligentiam necessaria sunt, illud ipsum etiam necessarium est, & tale censeri debet.

IV. *Minor* sic *probatur*: Si una propositio in Scriptura Sacra continet sæpe plures alias *virtualiter* & *implicitè*, & istæ sine usu ratiocinationum per consequentias ex illa educi non possunt, sequitur earum usum esse necessarium ad veritatem omnem in Scriptura contentam intelligendam: Verum prius. Ergo etiam posterius. Plures sæpe propositiones in una contineri patet. 1. *Dicto* sapientissimo & verissimo, solam Scripturam *plures res* habere *quàm verba*, scripta humana omnia *plura verba quàm res*. 2. *Ratione*; Scripturam Sacram esse principium fidei, in principiis verò *virtualiter* continentur multa principiata; ut notum. 3. *Inductione exemplorum*: Sic verbi gratia in propositione ista Matth. 3. & 17. è cœlo pronuntiata; *Hic est filius meus dilectus*, continentur *implicite* & *virtualiter* propositiones aliæ plurimæ, quales sunt Jesus Nazarenus est genitus ex essentia Patris: Est verus & æternus acc summus Deus; Oppo-

nentes se filio isti peribunt; Doctrina ejus non potest non esse vera. Per illum solum possumus fieri Filii Dei. Sic in propositione *Unus est Mediator Dei & hominum*, nimirum *homo Christus Iesus*, 1.Tim.2.5. plurimæ propositiones virtualiter latent; Homines à Deo esse alienatos; Mediatione eos opus habere ut cum Deo conciliari possint; Hanc non dari ex Lege, nec per Mosem; Mediatorem illum esse θεάνθρωπον: Eum esse infinitæ virtutis: Doctrinam ejus amplexandam, Mediationem ejus & credendam ut veram; & applicandam nobis ut salutarem; Mediatores & mediationes alias rejiciendas; Sanctos nec intercessionis nec redemptionis Mediatores esse, & quæ sunt alia id genus. Qui verò sine usu ratiocinationum talia eruentur ex propositionibus id genus?

V. *Exc.* 1. Apertè & *explicitè* proposita in Scriptura Sacra sufficere ad salutem, quæ unicuique plana sint & obvia 2. Propositionem quamvis non debere censeri nisi unam, aliâs eam ambiguam esse vel æquivocam; tales verò in Scriptura non haberi, nisi & ipsa statuatur æquivoca, & ejus auctor λοξίας instar Apollinis Delphici. 3. Sic plures sensus singulorum Scripturæ locorum constitui, quod tamen impugnemus in Pontificiis. 4. Sic in infinitum extendi posse verba Scripturæ, & quidvis ex quovis siue ratiocinationum obtentu, sive sophisticatione varia elici, & animos ac oculos omnium dementari ac fascinari. 5. Non omnes esse capaces ratiocinationum & illationum id genus, adeoque vel necessaria & sufficientia ad salutem sine illis haberi posse; vel multos destitui necessariis ad salutem. 6. Consequentias ex Scriptura ut principio erutas, peperisse fabulas Talmudicas, glossas Rabbinicas, commenta humana alia & illationes falsas. v. gr. Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, quia vocatur Petra; Traditiones Romanas esse admittendas quia Apostolus commendat traditiones: Panem transsubstâtiari in corpus Christi, quia Christus dicit panem esse corpus suum: sic filiam sæpe suffocare matrem & commenta humana divinam veritatem; Integrum enim esse quibusvis hæreticis tales fingere. 7. Consequentias ex Scriptura ductas eadem facilitate negari posse quâ affirmantur, & tandem acquiescendum non in Scriptura aliquid dicente, sed in ratiocinatione aliquid ex dictis pro arbitrio eruente. 8. Sic Philosophos ac exercitatos in captionibus & arte disputandi optimos Scripturæ vel interpretes fore vel vindices, nec ullum illis parem in asserenda vel vindicanda veritate. 9. Verbum fidei, quod unum necessarium non esse longinquum à nobis, propinquum admodùm Rom. 10. v.8. In eo acquiescendum. 10. Mosen & Prophetas & Christum audiendos, & solos quidem, non ratiocinationum humanarum artifices & subtilitatum Magistros; Sic Aristoteli plus tribuendum fore quàm Deo in Scriptura loquenti. 11. Vel istas consequentias ex Scriptura elicitas esse Dei verbum vel non: Si sint Dei verbum, dari aliquod Dei verbum non scriptum: Si non sint verbum Dei, eas nec necessarias esse ad salutem, nec objectum fidei nostræ. 12. Hoc esse sapere plus quàm sapiendum, & ultra sobrietatem, contra monitum Apo-

Apostoli Rom.12.v.3. Hoc non esse Scripturam tradere *ἐν ἁπλότητι*, v.8. nec hærere *legi* & *testimonio*, sed *Spiritibus deceptoribus*.

VI. At speciem ista habent, soliditatem non habent: Hinc tacta propiùs vanescunt, & vel falsa supponunt vel inferunt, adeoque argumentum à nobis propositum non evertunt, sed firmant ac commendant. Ad 1. *Except. Respond.* 1. *Συγχωρητικῶς per concessionem*, apertè & explicitè in Sacra Scriptura proposita sufficere ad salutem, sed rectè & intellecta & applicata ex sensu & intentione auctoris Scripturæ. 2. *Ἀρνητικῶς* & *per negationem*, ea rectè vel intelligi vel applicari sine ratiocinatione per consequentias posse. Sic verbi gratia, propositio; *Omnis credens servabitur*, apertè & explicite in Scriptura sacra tradita intelligi non potest, ut oportet, nisi per ratiocinationem, & nisi inquiratur, & consideretur quæ sit fides quæ exigitur, & qualis, & qui sint actus necessarii ut homo credat, quod etiam sit objectum fidei, vel quid sit credendum: si nec applicari potest à Petro vel Paulo, nisi ratiocinatione instituta: Quod de omnibus credentibus dicitur in genere, id in individuo dicitur de unoquoque credente, adeoque ego credens etiam servabor. Distinguendum itaque inter *dogmata* & dogmatum veram tum *explicationem* tum *applicationem*; sive inter dogmata *abstractè* considerata vel *objectivè*, & ea considerata velut *in concreto* & *subjectivè*, prout ea ab homine percipiuntur & applicantur, qua ratione ratiocinationes id genus à nobis statuuntur necessariæ, prout actus varij necessarii sunt, non ad cibi substantiam, sed ad ejus applicationem convenientem. 3. Peccatur *falsa hypothesi*, quasi vel in Scriptura tantùm proponantur, vel à nobis discenda sint ea quæ absolutè necessaria sunt ad salutem: Et proponuntur verò, & discenda etiam sunt multa facientia partim ad uberiorem necessariorum explicationem, partim ad uberiorem eorum applicationem, & ad majorem fidei *ἀσφάλειαν*. 4. Distinguendum etiam inter *τοὺς νηπίους* in Ecclesia & *τοὺς τελείους*, istis plura necessaria quàm illis & quædam sufficere possunt illi qui implet *τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου* in Ecclesia, 2.Corinth. 14. 16. quæ non sufficiunt iis qui habent *τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ*, Hebr. 5. 14. Istis potissimum usum ratiocinationum id genus vindicamus, præsertim illis qui sunt *ἄνθρωποι τοῦ θεοῦ*, 2.Timoth.3. 12. nomen Prophetarum erat in Testamento Veteri, 2.Reg.4.40. & Prophetis Novi Testamenti, hoc est, Ministris verbi aptatur.

VII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, quamlibet propositionem non esse nisi unam *formaliter* & *explicitè*: falsum verò, eam unam semper esse *virtualiter* & *implicitè*, imò sic multæ sæpe in una & ex una. 2. *Per negationem*, propositionem *virtualiter* aliàs continentem esse vel ambiguam vel æquivocam, quod non magis verum in Scriptura, quàm in disciplinis humanis, quarum propositiones non vocantur ambiguæ vel æquivocæ, quamvis plures lateant in una & ex ea educantur. Sic ex una Euclidis, Aristotelis & aliorum propositione variæ inferuntur aliæ,

ficio haberi possunt; Obtentus, argutationes, sophisticationes ratiocinantium vitia sunt, non ratiocinationis.

X. Ad 5. *Except. Resp.* 1. *Elencho à dicto secundùm quid*; aliud enim, quarumvis ratiocinationum & illationum capacem esse, aliud, aliquarum. Illa capacitas particularis est, universalis ista: Nemo enim hominum ita bardus est, natura non impedita vel ætatis imbecillitate vel cerebri vitio extraordinario, qui non & logica naturali polleat, & ratiocinationum aliquarum sit capax. 2. Peccatur *falsa suppositione*, easdem illationes & ratiocinationes à singulis exigi: Ut verò gradus in Ecclesia sunt diversi, *hominum* vel *servorum Dei antonomasticè* talium, & aliorum qui non sunt tales, idiotarum vel τῶν νηπίων & τῶν τελείων; sic etiam diversi sunt gradus ratiocinationum & illationum; quidam exiguntur ab illis, quidam ab istis. Nec omnis gradus ratiocinationis, vel quævis illatio est de necessitate, vel necessaria ad salutem, sed quædam tantùm quæ communis esse potest: Sic v.g. nemo fidelis esse potest, qui non inferat se servandum quia credit, eò quod omnis credens sit servandus.

XI. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. *Συγχωρητικῶς, per concessionem*, illationes & ratiocinationes istas esse falsas, & ab Hæreticis sæpe alias id genus fingi, & commenta humana quandoque suffocare divinam veritatem: Talia itaque cavenda, nec ulli quicquam fingere integrum, minus fingere ex Scriptura, vel aliquid ei affingere. 2. *Ἀρνητικῶς, per negationem*. consequentias vel ratiocinationes ex Scriptura ut principio erutas peperisse fabulas Talmudicas, glossas Rabbinicas, commenta humana & illationes falsas; ratiocinantium ista vitia sunt *per accidens*; non ratiocinationum *per se*: nec talia ex Scriptura eruta, sed ex cerebro ratiocinantium. Nec magis ista Scripturæ impingenda; quàm ea quæ ducuntur ex litera Scripturæ malè intellecta.

XII. Ad 7. *Except. Respond.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, consequentias omnes ex Scriptura ductas eadem facilitate negari posse qua affirmantur, habita ratione *juris* & quoad *potentiam moris*. Imò si illæ ex Scriptura revera ductæ sunt, ut oportet, recipiendæ sunt una cum earum principio. 2. Falsum supponi, sic tandem acquiescendum esse non in *Scriptura* sed in ratiocinatione; aliud enim est *objectum* in quo acquiescimus, quod est veritas Scripturæ; aliud *instrumentum* per quod ista veritas eruitur in qua acquiescimus, quod est ratiocinatio. 3. Supponitur etiam licere ex Scriptura aliquid eruere pro arbitrio, quod falsum: Nec enim erui debet nisi quod in Scriptura est, nec fingenda non exstantia in Scriptura, sed educenda ea quæ in ea exstant.

XIII. Ad 8. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, illos qui & Scripturarum cognitione pollent & artis disputandi sunt gnari, & facilitatem habere majorem in asserenda vel vindicanda veritate, & dexteritatem 2. *Per negationem*, illos qui in solis artibus Philosophicis magis sunt exercitati tales esse. Immò illi potissimi & optimi erunt Scripturæ vel interpretes vel vindices qui cum Apollo erunt *potentes in Scripturis*, Act. 18.24. Quum

enim *veritas sententiarum* probanda sit ex Scripturis *veritas* verò *connexionum* tantùm per ratiocinationes exquirenda vel elucidanda, illorum ratio potior semper erit qui *sensus* habebunt magis in Dei verbo *exercitatos*, ex quo petitur plerumque medium in Scholis Theologicis. Hinc idiotæ sæpe in Veteri Ecclesia & Patrum nostrorum memoria, *potentes in Scripturis* os obstruxêre subtilissimis Philosophis, imò & mulierculæ quandoque. 2. Peccatur *elencho à dicto secudùm quid*, distinguendi enim artifices vel exercitati in captionibus struendis ab iis, qui sunt artifices vel exercitati in iis dissolvendis. Illi haudquaquam opportuni Scripturæ sunt vel interpretes vel vindices, sed isti tantùm. Et quamvis isti non ignorent rationem nectendarum captionum, ab iis tamen abstinent, veritatis quippe studiosi, non mendacii, nec conscientiarum impediendarum, sed expediendarum cupidi. Distinguendi itaque Philosophi *æquivocè* tales, ab iis qui verè tales & *univocè* tales; Philosophi in Schola Christi subacti ab iis qui ejus vel ignari sunt vel hostes, illi qui Agerem subjiciendum esse censent Seræ, ut ancillam dominæ, & Ægyptiorum aurum ad structuram duntaxat tabernaculi conferunt, adeoque *magisterium* Scripturæ *ministerium* Philosophiæ tantùm tribuunt, ab iis qui isti *magisterium* adscribunt, & subordinationem debitam inter utrumque tollunt.

XIV. Ad 9. *Exc. Resp.* 1. Peccari παρερμηνείᾳ loci Rom. 10.8. cujus scopus duntaxat est, ostendere, verbum fidei, i.e. doctrinam Euangelii de Christo mortuo & resuscitato, fidei nostræ & *causam* & *objectum*, & quod per fidem recipitur ut per instrumentum (unde & λόγος πίστεως vocatur, 1. Timoth. 4.6.) propinquam esse fidelibus, non remotam ab eorum sive intelligentia sive assensu, sive sensu etiam, nec amandare fideles ab bonum aliquod difficulter & nonnisi sub conditione homini ἐν ἀγῶνι consequendum; sed vim suam exercere & in corde & in ore fidelium, illud producendo in iis fidem, istud eliciendo ab iis confessionem. 2. Peccatur παρὰ τὸ ἑπόμενον· nec enim ulla consequentia; Verbum fidei (id est, doctrina Euangelii) est propinquum. Ergo in eo vel asserendo vel vindicando non utendum ratiocinationibus. Sic & verbum legis propinquum erat, & tamen ratiociniis in ejus explicatione & applicatione utendum erat. Eadem ratio objectorum multorum & naturalium & moralium, quanquam propinquorum. 3. Peccatur *elencho à dicto secundùm quid* & *oppositorum*; Acquiescendum sanè in verbo ut principio unico externo *veritatis dogmatum*; sed explicato & applicato convenienter, adeoque non oppositè vel *exclusivè* ad ratiocinationes & earum usum, sed *inclusivè*.

XV. Ad 10. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, Mosem, Prophetas & Christum audiendos, & solos quidem, & quoad *res traditas* vel credendas vel faciendas omittendasve, & quoad *modum* eas *tradendi*. Nec vel dogmata ab iis non tradita habenda pro divinis, vel alio modo tradenda quàm ii ea tradita voluêre. 2. *Per negationem*, ratiocinationum humanarum artifices

artifices non audiendos quoad *instrumenta* cognitionis & facilioris & ordinatæ magis, ut res traditæ plenè cognoſcantur & ordinatè, & is obſervetur modus eas tractandi qui reſpondeat naturæ ſubjecti. 3. Peccatur etiam *elencho à dicto ſecundùm quid:* Aliud enim, audiri ratiocinationum humanarum artifices ſupra vel contra Scripturam, aliud, eos audiri ſubordinatè ad eam; Aliud, eos audiri ut artifices *dogmatum*, aliud, ut artifices *instrumentorum* dogmatibus & explicandis & applicandis idoneorum. 4. Peccatur *falſa hypotheſi:* ſic Ariſtoteli plus tribuendum fore quàm Deo in Scripturis loquenti: Nec enim præcipuum petitur ab Ariſtotele, materia nimirum vel *veritas dogmatum*, ſed tantùm *veritas connexionum*. Nec ratiocinationum regulæ Ariſtotelem auctorem habent, ſed præceptorum tantùm, diu quippe ante natum Ariſtotelem repertæ, & lumine naturali erutæ, adeoque à Deo ipſo ſubminiſtratæ.

XVI. Ad 11. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, vel *fallacia homonymiæ*, adeoque *quatuor terminorum:* Conſequentiæ enim ſumuntur vel *materialiter* vel *formaliter: Materialiter* ſunt Dei verbum, *formaliter* non ſunt: Sunt etiam verbum Dei quoad *rem*, & *ſenſum*, non ſunt quoad *literam & ſonum*, ex. gr. utrumque & Filium & Spiritum S. Patri ὁμοούσιοι eſſe, verbum ſcriptum eſt κατὰ πρᾶγμα quamvis non ſit ſcriptum κατὰ γράμμα. 2. Peccatur *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Sic dari aliquod Dei verbum non Scriptum. Nec enim illa duntaxat ſcripta quæ αὐτολεξεὶ in Scriptura leguntur, ſed & quæ ſive κατὰ τὴν διάνοιαν, ſive κατὰ τὴν συνακολουθίαν in Scriptura continentur & ex ea eruuntur.

XVII. Ad 12. *Exc. Reſp.* 1. Vel peti τὸ ἐν ἀρχῇ, *vel paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον peccari, nec enim hoc eſt, ſapere plus quam ſapiendum: Hoc enim convenit illis, qui vel dogmata fidei non ſcripta, nec intellecta in ſcriptis fabricant, vel placita humana iis anteponunt, vel dogmatum fidei menſuram conſtituunt ratiocinia ſua, vel ſuam aut humanam ſapientiam aliam præferunt divinæ, vel plus ſibi ſapientiæ aut donorum tribuunt quàm revera habent παρὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. Damnatur itaque ibi ὑψηλοφρονεῖν, ſuperbia ſapientiæ carnalis, & typus animi ac tumor. 2. Eodem *paralogiſmo* peccatur, ſic Scripturam non tradi ἐν ἁπλότητι. & vitium eſt in παρερμηνείᾳ loci, Roman. 12. 8. ἁπλότης enim ibi non opponitur ratiocinationum uſui, ſed τῇ πανουργίᾳ, vafritiei, fallaciis ac aſtutiis humanis illorum qui habent לב & לב cor & cor, linguam & linguam, & vel diſſimulant opes ſuas, vel non ex proportione opum ſuarum in pauperes ſunt liberales, vel qui alio & animo & fine pauperibus aliquid erogant quàm quo id erogari debet. 3. Peccatur eodem *paralogiſmo*, dum dicitur hoc non eſſe hærere *legi & teſtimonio*, uti ratiocinationibus per conſequentias, ſed ſpiritibus deceptoribus. At maximè & *legi & teſtimonio* hærent illi qui non tantùm in verba utriuſque, ſed in verum ſingulorum ſenſum inquirunt, & utrumque nos ſeriò volunt τηρεῖν. Illos verò non hærere *legi & teſtimonio* intelligit Propheta, Eſa. 8. 20. qui Pythonum & ariolorum deteſtanda oracula & murmura

potius consulebant, quàm legem Mosis, & testimonium toties à Deo iteratum & inculcatum per Prophetas. Tales hærent *spiritibus deceptoribus*, & quotquot errorum magistros eorumque placita Scripturæ S. adversa sequuntur, quales sunt illi quos dicit Apostolus, 1. Timoth. 4. 3. *prohibere contrahere matrimonium*. jubere *abstinere à cibis quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione.* Et sic etiam absolvimus *secundi argumenti ostensivi* vindicias.

DISPVTATIO XXIX.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

Thesis I.



Ertium argumentum *ostensivum* adstruendo usui legitimo ratiocinationum per consequentias istud subjicimus: Quod necessarium est tum ad *præceptorum* Dei, tum ad *sanctionum* præceptis adjectarum applicationem, illud in Scholis Theologicis adhiberi debet. Usus legitimus ratiocinationum per consequentias necessarius est tum ad *præceptorum* Dei, tum ad *sanctionum* illis adjectarum applicationem. Ergo in Scholis Theologicis adhiberi debet.

II. *Majoris* consequentia patet: *Minor* probatur per partes. 1. *De præceptis*: Si præcepta sint communia, & debeant applicari per argumentationem ab universali ad particulare à *thesi* ad *hypothesin*, usus ratiocinationum id genus necessarius est. At debent ita applicari: Et *Major* patet, quia sine istarum usu applicatio illa fieri non potest, ut nec ulla illatio à genere ad speciem, ab universali ad particulare. *Minor* probatur inductione aliquot exemplorum à *præceptis* tum *affirmativis* tum *negativis*. *Affirmativa* sunt, unum Deum habendum coram facie nostra, sanctificandum Sabbathum, honorandos parentes, quæ necessariò applicanda per ratiocinationem ad singula individua; Deus unus colendus omnibus; Sanctificandum Sabbathum; Honorandi parentes. Ergo ista incumbunt & Titio & Sempronio & Mævio & aliis omnibus. Sic *præcepta negativa* sunt, non occides, non furaberis, & alia id genus, quæ necessariò per geminam ratiocinationem applicanda. Ergo nec Titio occidendum est vel furandum, nec Sempronio, nec Mævio, nec ulli alii. Sic *sanctiones* tum comminatoriæ pœnarum, tum promissoriæ, (sit venia verbis) beneficiorum pari ratione applicandæ usu ratiocinationum per consequentias. Omnis qui

qui fecerit hæc vivet: Ergo & Titius & Sempronius & Mævius vivent, ſic faciendo: Sic, omnis credens ſervandus. Ergo & illi credendo verbo propoſito. Pari ratione, maledictus omnis non permanens in iis quæ ſcripta ſunt in libro legis. Ergo & Titius & Sempronius &c. non permanentes in iis ſunt maledicti. Et ſi omnis non credens damnandus ſit. Ergo & Titius & Sempronius non credentes.

III. *Exc.* 1. Hoc ipſum Argumentum procedere à particulari ad univerſale, adeoque vitioſum eſſe: Si quædam conſequentiæ tolerari poſſint vel probari, omnes tolerari vel probari debere. II. Illationem à *genere ad ſpeciem*, eſſe evidentem, nec difficultatem parere, multas verò conſequentias tales non eſſe, quæ & obſcuræ ſint, & longè petitæ, & quarum ratio ita evidens non eſt ut illationum à genere ad ſpeciem, ab univerſali ad particulare. III. Conſequentias rejici de quibus inter partes non convenit, at de iſtis inter partes convenire. Peccari itaque *Elenchoparium*. IV. Applicationem vel generalium, vel univerſalium propoſitionum ad ſingularia vel particularia non eſſe ratiocinationem per conſequentiam: poſſe enim inſtitui ſine ſyllogiſmo, cùm univerſale nihil aliud ſit quàm ſingularia ſua. Præcipiendo ergo, verbi gratia honorem parentum filiis omnibus, prohibendo homicidium hominibus omnibus, eo ipſo ſingularia omnia ſub iſtis univerſalibus contenta deſignari. V. Proceſſum iſtum ab univerſali ad particulare quibuſvis, Idiotis etiam, notum eſſe, & familiarem, immò pueris. Uſum verò ratiocinationum per conſequentias non item. VI. Si eliceretur iſta applicatio univerſalis ad particulare per ratiocinationem inſtitutam, conſequentiarum interventu, concluſionem futuram Philoſophicam, non articulum fidei, ut quæ ſemper, ſecundùm ipſum Ariſtotelem ἕπεται τῷ χείρονι προτάσει. Et quum principiatum tale ſit quale principium eſt, ſi principium ſit ratiocinatio humana, principiatum etiam tale fore. VII. Si hærere velimus uni iſti ratiocinationis ſpeciei, litem non fore inter nos, & hactenus eas admitti poſſe; deſerendas verò ſic eſſe ratiocinationes innumeras alias quæ affingantur à nobis Scripturæ. VIII. Illam ipſam illationem ab univerſali ad particulare, vel à genere ad ſpeciem obnoxiam eſſe variis exceptionibus. Nec ipſam itaque eſſe ſine difficultate, minus alias. Sic v.g. Sabbathum Judaicum omnibus ſanctificandum imperari, nec tamen nobis Chriſtianis ſub Teſtamento Novo, homicidium prohiberi omnibus in ſpecie, nec tamen Magiſtratui. Honorem parentum filiis, & tamen licere iſtis interdum recedere ab iſto honore, quando à parentibus urgentur ad ea facienda vel omittenda quæ præceptis divinis aliis adverſantur.

IV. Haudquaquam verò argutationes iſtæ intercedunt firmitati argumenti noſtri. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, quaſi vel omnes vel quaſvis conſequentias cenſeremus probandas aut admittendas. Diſtinguendæ verò conſequentiæ *Scripturæ* & *noſtræ*, *innatæ* & *illatæ*, *veræ* & *falſæ*, *fundamentaliter* vel *materialiter* in Scriptura exſtantes & non tales, *uſu*

ratiocinationum erutæ, & eductæ earum *abusu*. Prioris generis consequentias duntaxat urgemus, non posterioris. 2. Supponitur denuo, argumentum nostrum procedere à particulari ad universale: procedit verò vel *à pari* ad *par*, vel *à simili* ad *simile* vel potius ab *inductione* aut *exemplo*, quæ sufficiunt universali sive affirmationi sive negationi convellendæ. Universaliter negatur ab Adversariis quibusdam, consequentiis utendum esse in negotio fidei. Oppositum demonstratur ex consideratione tum præceptorum tum prohibitionum divinarum, tum sanctionum partim promissoriarum, partim comminatoriarum; Ex qua demonstratione inferri potest falsitas propositionis universalis, negantis usum consequentiarum, & eam defendens urgeri potest κατὰ τὸ βίαιον, vel *per apagogen* ad absurdum.

V. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per concessionem*, illationem à genere ad speciem esse evidentem, nec difficultatem parere. 2. Hoc ipsum retorquemus κατὰ τὸ βίαιον, quia illatio ejusmodi evidens est, admittenda est, adeoque aliquis usus ratiocinationum per consequentias, 3. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, non dari consequentias multas alias evidentes quæ difficultatem non pariant inter homines qui ratione utuntur, nec ejus sibi facultatis usum interdicunt, quę homines distinguit à brutis. Sic v.g. à *definitionis* convenientia datur illatio evidens ad *definitum*, à *materia* ad *materiatum*, à *forma* ad *formatum*, ab *essentia* ad *proprietates*, à *proprietatibus* ad *essentiam*, à *toto* ad *partes*, & plurimæ aliæ id genus, in quibus eadem evidentia, nec major difficultas. Tales verò censemus admittendas. 4. Falsum supponitur, consequentias vel obscuras, vel longe petitas, probari à nobis, aut urgeri, quamvis distinguendæ sint consequentiæ *immediatè* ex dictis Scripturæ elicitæ ab elicitis *mediatè* in prosyllogismis & Episyllogismis, quæ ut ut *comparatè* longius petitæ sint, non desinunt tamen esse necessariæ, quando cum *immediatè* ex Scriptura petitis connexionem necessariam habent, qualis v.g. consequentia reperitur à Christo adhibita Matth. 22. 13. 32.

VI. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peccari falsa *suppositione*, illas tantum consequentias admittendas, de quibus inter partes conuenit. At sic nec à Christo, nec ab Apostolis ejus nectendæ fuissent consequentiæ multæ veræ, quippe de quibus haudquaquam conueniebat inter ipsos & Adversarios. 2. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Aliud enim, adhibere consequentias de quibus convenire debet *de jure* inter Adversarios & nos, aliud, loqui de iis de quibus *actu* & *de facto* inter nos & Adversarios convenit. Prioris generis consequentias adhibere licet, æquè ac posterioris. Aliâs enim vel stupor vel iniquitas adversariorum esset mensura vel contentorum in Scriptura, vel eliciendorum ex ea.

VII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, applicationem propositionum generalium vel universalium ad specialia aut particularia objecta non institui per ratiocinationes & consequentias, nec enim ejusmodi applicatio ab ullo mortalium institui potest, quin supponat hoc

hoc fundamentum ex *Logica* siue *artificiali* siue *naturali* saltem, particulare contineri sub uniuersali, speciem sub genere, & prædicata essentialia communia utrobique eadem esse. 2. κτ᾽ τὸ βίαιον, hoc ipsum uniuersale nihil aliud esse, quàm singularia sua, non nisi per ratiocinationem inferri potest. 3. Peccatur *Elencho à dicto secundùm quid*. Vniversale sanè nihil aliud esse quàm singularia omnia *fundamentaliter* nimirum & *materialiter* in *esse materiali*, siue in prædicatis essentialibus communibus, quamvis habeant *rationes formales* distinctas, & uniuersale quà uniuersale *reduplicativè* aliter & considerari debeat & explicari, aliter singularia: illud unum est, ista multa, illud *præscendit ab hic* & *nunc*, ut barbarè loquuntur Scholæ, h. e. à *conditionibus individuantibus* & determinantibus, ista non item. In illo spectatur potissimum οὐσία, in istis ὑπάρξεις. Illud manifestatur in istis, ista verificantur per illud, illud continet ista sub se, ista continentur. Conceptus communis utrobique datur *genericus, differentialis*, ut liceat βαρβαρίζειν, vel *formalis* non item. 4. Κατὰ τὸ βίαιον denuò hoc ipsum retorquemus, quia dum honor parentum imperatur filiis omnibus, & Titio & Sempronio & Mævio imperari censetur, hac ratiociuatione instituta. Quod filiis, omnibus incumbit etiam his incumbit filiis. Honor parentum, &c. Ergo. Adde ratiocinatione utendum esse, qualis & quantus honor debeatur parentibus à filiis, quàm distiuctus ab honore debito vel Deo, vel hominibus aliis, quæ ejus debeat esse vel *intensio* vel *extensio* aut latitudo. Sic in prohibitione homicidii simili illatione opus. Nec illatio uniuersalis hic formari potest *absolutè*, sine errore, nisi excipiantur, & personæ publicæ instructæ authoritate politica gladii, & priuatæ quædam, inspiratione divina extraordinaria impulsæ ad aliquorum internecionem, qualis eminuit in Pineha, & Levitis à Mose ad judicia Dei adhibitis.

VIII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, processum ab uniuersali ad particulrre quibusvis esse obvium, Idiotis etiam & pueris. II. *Per retorsionem*, eo ipso sequitur aliquem usum ratiocinationum per consequentias talem esse, adeoque eas haudquaquam *absolutè* vel improbandas, vel proscribendas in Scholis Theologicis 3. Per *distinctionem*: Peccatur enim *Elencho à dicto secundùm quid*: nec enim *absolutè* & *simpliciter* omnem ratiocinationem per consequentias censemus apertam & quibusvis obviam: sed eam duntaxat quæ cuivis pro suo ordine & gradu necessaria est.

IX. Ad 6. *Exc. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione*, conclusionem fore Philosophicam, si exstruatur per ratiocinationem à consequentiis, non verò articulum fidei, quum contra ipsa *materialiter* contineatur in Scriptura. Sic v.g. in Syllogismo quem exstruebat olim Apollo. Cui soli conveniunt characteres & criteria omnia Mesiæ in Scriptura, is est Mesias. At Jesu Nazareno ista omnia conveniunt, E. est Mesias. Conclusio ista utut per ratiocinationem educta nec αὐτολεξεὶ exstans in Scriptura, non desinit esse articulus fidei, quia Moses & Prophetæ de Mesia loquendo hunc ipsum designarunt, qui postmodū in plenitudine tēporis exhibitus

DDD

fuit. II. Peccatur παρβολωσίᾳ aphorismi Aristotelici, qui agit hactenus duntaxat partim de *materia* partim de *forma* propositionum, v.g. si aliqua ex propositionibus fuerit vel *particularis* vel *negativa* vel *contingens*, conclusionem etiam fore talem. Quum enim conclusio sese habeat ut effectus ad propositiones ut ad causas, effectus non potest esse melior causis, nec causæ pejoris effectu. III. Peccatur *paralogismo à dicto secundùm quid*. Distinguendum enim inter *principia dogmatum*; vel *veritatis sententiarum*, & inter *principia veritatis eductionum*. Illa ducuntur ex Scriptura, ista ex ratione. Quia verò *veritas sententiarum* potissima est, illa spectatur potissimùm & ex ista judicium fit de conclusione. Conclusio itaque *argumenti* Theologica erit, quia *principium dogmatum*, vel *veritatis sententiarum* tale est. Adde ratiocinationem non esse *principium rei*, sed *cognitionis rei*, imò non tam *principium* quàm *instrumentum*, quo cognoscitur id quod cognoscitur.

X. Ad 7. *Except. Resp.* 1. Κατά τι βίαιον si aliqua ratiocinationis per consequentias species admitti debet, falsum, eam in genere prohiberi vel improbari debere. 2. Peccatur *fallacia* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Ob id deserendum consequentiarum aliarum vel ratiocinationum per eas usum, quæ procedunt *à pari* vel simili fundamento. Nec enim alias vel urgemus vel probamus quàm illas quarum structura sit legitima.

XI. Ad 8. *Except. Resp.* 1. *Per negationem*, illationem ab universali ad particulare obnoxiam esse exceptionibus, modò illatio fiat legitimè, nec subsumatur sub universali quod non est subsumendum. Sic v.g. quando Sabbathum Judaicum omnibus imperari dicitur, subsumptio debet fieri convenienter, & *Syncategorema distribui* ad omnes Judæos, non ad omnes homines, & referri ad periodum convenientem, isti Sabbatho præfixam, ad tempus usque διορθώσεως, ubi ut loci sic etiam temporis cultui publico destinati fieri debuit mutatio. Sic propositio universalis homicidii *distribui* debet denuò ad omnes personas privatas, non publicas: sic honor parentum imperatus filiis intelligi semper debet *subordinatè* ad honorem Dei debitum, haudquaquam verò *oppositè* ad eum. Supponitur itaque semper, supponi saltem debet, honorem illum debere exhiberi parentibus *in Domino* & *ad aras* usque, talem nimirum qui honori illius, qui honorem istum parentum imperavit, haudquaquam vel intercedit vel adversatur, cujus ὑπεροχὴ ut infinitè superior est: Sic omnia ad eum referenda, & ex ejus præscripto metienda.

DIS-

DISPVTATIO XXX.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

THESIS. I.



Argumentis *ostensivis* pro legitimo ratiocinationum per consequentias usu in Scholis Theologicis retrò & propositis & vindicatis, adjicimus *argumenta* quædam *apagogica*, pro methodi nostræ instituto, ducentia ad absurda eos, qui istum procedendi modum in omnibus disciplinis usitatum proscribunt.

II. Argumentum *primum apagogicum* est. Quo sublato tollitur tum necessaria veri confirmatio, tum nessaria falsi confutatio, illud sine absurditate negari non potest. Atqui sublato usu legitimo ratiocinationum per consequentias, tollitur tum necessaria veri confirmatio, tum necessaria falsi confutatio. Ergo ille sine absurditate negari non potest.

III. *Majoris consequentia* patet. *Minor* probatur. Quo sublato, tollitur omnis argumentatio, & omnis disputatio, illo sublato tollitur & necessaria veri confirmatio, & necessaria falsi confutatio. At sublato ratiocinationum per consequentias usu tollitur omnis argumentatio & omnis disputatio. Ergo, &c. *Major* denuò evidens est sua luce. *Minor* pari ratione patet, quum nec argumentatio ulla dari possit sine usu ratiocinationum per consequentias, nec illatio, nec erroris ullius revictio. *Argumentationem* nullam sine consequentia dari posse, notum omnibus illis qui nondum ære lavantur: Nec *illationem*, v.g. adulterium nobis esse fugiendum, quia à Deo prohibitum, sobrietati studendum, quia est à Deo imperata. Errorum etiam revictio dari nequit, nisi ratiocineris, hoc dogma esse erroneum, quia opponitur veritati in Scriptura contentæ, verum autem vero contrarium esse non posse, nec duo contradictoria simul vera, & quæ sunt alia id genus.

IV. *Exc.* 1. Ex sola Scripturæ litera posse haberi sufficientem veri confirmationem, & falsi confutationem. 2. Expedire omnem disputationem de rebus fidei tollere, adeoque & id per quod instruuntur & foventur disputationes. 3. Methodum disputandi posse ex arte ratiocinationes per consequentias docente hauriri, sed non materiam. 4. Res fidei credendas simpliciter ut revelatas, non ut demonstratas per ratiocinationes.

V. At levia ista & nullius commatis. Ad 1. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, ut patet tum ex *confirmatione*, E. G. τῦ ὁμοουσίου Flii & Spiritus Sancti cum Patre, processionis Spiritus à Filio, abrogationis Sabbathi Judaici, & aliis id genus: tum ex *confutatione*, verbi gratia, impietatum Alcorani, & pertinaciæ Iudæorum de obseruandis ceremoniis & cultu legali veteri. 2. Supponitur falsum, dari vel ullam veri confirmationem, vel ullam falsi confutationem, sine suppositionibus id genus; Idem non posse simul esse, & non esse, contradictoria non posse simul esse vera Scriptores sacros nec deceptos fuisse, nec decipere posse, ut θεοπνεύστους, & quæ sunt alia id genus.

VI. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari vel *falsa suppositione*, vel *elencho à dicto secundùm quid*, expedit sane disputationes varias tolli, quæ nimirum vel temeritate humana sine causa moventur, vel pertinacia & contendendi libidine foventur sed haudquaquam expedit omnem disputationem tolli necessariam, partim ad veri confirmationem, partim ad falsi revictionem, prout & à Prophetis interdum disputatum, & à Christo, & ab Apostolis. 2. Peccatur *suppositione falsa* alia, omnem disputationem institui contra Adversarios. At quædam instituitur partim ad necessariam nostri & institutionem de vero, partim ad nostrorum confirmationem in eo. Haudquaquam itaque proscribendum est id, per quod instituitur omnis disputatio. 3. Peccatur *paralogismo accidentis*, aliud enim est, considerare id quod *per se* expedit, aliud quod sæpè expedit *per accidens*, his vel illis positis. Sic multis sæpè ratiocinationibus per consequentias opus haudquaquam foret, absque Adversariorum multorum erroribus & pertinacia esset, & aliud est, loqui de eo quod expedit, sublato omni errore, hæresi, contradictione, aliud, loqui de eo quod expedit iis præsuppositis, qualia & semper data, & semper adhuc dari, obvium est omnibus.

VII. Ad 3. *Except. Resp.* 1. *Per concessionem*, methodum disputandi & posse & debere hauriri ex arte, ratiocinationes per consequentias docente. 2. *Per negationem*, materiam disputandi ex ea à nobis peti, vel petendam doceri, quum distinguamus apertè inter *veritatem connexionum* & *veritatem dogmatum*, cum *Augustino*, & illam duntaxat ex arte disputandi arcessamus, istam ex Scriptura.

VIII. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Si res fidei simpliciter sint credendæ: Ergo usu ratiocinationum per consequentias opus non esse. Immò & eruta per consequentias necessarias ex Scriptura credenda. 2. Peccatur *elencho ex particularibus*, nec enim omnes res fidei simpliciter in Scriptura proponuntur, sed per consequentias ex ea sæpe sunt eruendæ, ut suprà de ὁμοουσίῳ & processione Spiritus Sancti demonstratum. Ergo & per eas credendæ. 3. Peccatur *paralogismo oppositorum*. Nec enim opponuntur ista, credere aliquid simpliciter ut revelatum, & credere id ut demonstratum per ratiocinationes, qui illæ ipsæ ratiocinationes docent, hoc vel illud credendum, quia in Scriptura reve-

revelatum, quamvis non αὐτολεξεὶ & totidem Syllabis, πραγματικῶς tamen & ὄντως. Adeoque *ratio formalis*, sub qua aliquid credendum, eadem semper manet, nimirum divina revelatio, quamvis accedant ratiocinationes ut *instrumenta*.

IX Argumentum *secundum apagogicum* est. Sine quo nec *Athei* convinci, nec *infideles* ad religionem Christianam adduci possunt, nec *Haeretici* ab erroribus suis abduci, nec *Fanatici* retundi, illud tolli sine absurditate non potest. At sine usu legitimo ratiocinationum per consequentias, nec *Athei* convinci possunt, nec *Infideles* ad Religionem Christianam adduci, nec *Haeretici* ab erroribus suis abduci; nec *Fanatici* retundi. Ergo usus ratiocinationum id genus sine absurditate tolli non potest.

X. *Majoris consequentia* patet. Nec enim Deus nos voluit destitutos esse mediis necessariis partim ad *Atheorum*, partim ad *Infidelium*, partim ad *Haereticorum*, partim ad *Fanaticorum* convictionem, sine quibus quippe nec veritas defendi posset, nec Ecclesia se tueri contra Adversarios suos.

XI. *Minor* probatur per partes. 1. Quoad *Atheos*, quia illi primò per naturam revincendi. Qui verò id fieri potest sine usu ratiocinationum per consequentias, sive naturae habeatur ratio, quae *objectivè* est extra nos sive ejus quae *subjectivè* est in nobis. *Priori* modo argumentatione opus ab effectu ad causam. Sic à visibilibus mundi (praeeunte ad id etiam Apostolo Rom. 1. v. 22.) ad invisibilia Dei, ut ex effectibus ad causam, & ex magnitudine effectuum ad magnitudinem causae cognoscendam ducimur. *Posteriori* modo, qui urgeri possunt ex συμφύτων principiorum naturae impressorum, & ex conscientiae subsumentis actibus ac *cogitationibus* partim *accusantibus* partim *excusantibus*, sine usu ratiocinationum per consequentias? Immò quî non ratiocinationes omnes id genus eludi possunt ab *Atheis* isto argumento, rationes per consequentias non adhibendas in probanda fide?

XII. 2. Quoad *Infideles*, quo nomine complectimur partim *Gentiles*, partim *Turcas*, partim *Judaeos*: Quî poterunt revinci, verbi gratia, Gentiles multi, Deum non esse corporeum, non esse plures Deos, & alia id genus, sine ratiocinationibus per consequentias, verbi gratia, corporeum non posse esse ens primum vel summum, utpote compositum: Non posse dari plura infinita, omnipotentia, &c. Sic quî *Turcis* poterunt probari & contradictiones Mahummedis, & falsitates Alcorani sine ratiocinationibus per consequentias? Substernenda semper principia ista, idem non posse esse verum & falsum, absurda & inepta & impia non posse esse à Deo summè sapiente & summè bono, & alia id genus. Sic qui *Judaeis* probabit Christianus ullus sine usu ratiocinationum per consequentias, Jesum Nazarenum esse Messiam? An non quum αὐτολεξεὶ id haudquaquam reperiatur in Scriptura Testamenti Veteris, ratiocinandum: Cui soli competunt omnia Criteria Messiae, à Mose & Prophetis praedicta, is est solus & verus Messias: Jesu Nazareno soli conveniunt, &c.

Ergo est solus verus Messias. Sic nec τὸ ὁμοούσιον personarum, nec abrogationem Sabbathi, circumcisionis, ceremoniarum, nec incarnationis Christi veritatem ullis Iudæis sine ratiocinationum per consequentias usu ullus unquam probabit.

XIII. Sic nullis *Hæreticis*, v.g. Samosatenianis persuaderi unquam sine ratiocinatione per consequentias poterit, vel Filium & Spiritum S. esse Patri ὁμοούσιον, vel Christum assumpsisse naturam humanam in communionem suæ hypostaseos, vel verè & propriè satisfecisse pro nobis, vel justitiam satisfactionem exigentem esse Deo essentialem, vel alia id genus.

XIV. Sic qui *Fanatici* Enthusiasmos, somnia, revelationes & alia id genus obtrudentes revinci poterunt nisi ratiocinatione instituta, talia contradicere Scripturæ, adeoque nec vera esse posse, nec à Deo profecta? Sublato itaque isto procedendi modo in Scholis Theologicis, nec omnes isti hostes Ecclesiæ revinci possunt, nec ulla veritas illis demonstrari, quam non facile de pulmone & ex imis fibris se revellere posse putent, excipiendo probationes vel revictiones nostras, ratiocinationes per consequentias esse, adeoque nec solidas, nec urgentes.

XV. *Exc.* 1. Tales judicio Dei relinquendos, nec ob illos qui extra Ecclesiam sunt, turbandam Ecclesiam. 2. Eo ipso quia talia retoqueri possunt contra ratiocinationes ex consequentiis, iis utendum non esse. 3. Opponendam talibus Ecclesiæ veræ authoritatem, antiquitatem, miracula, vel simpliciter verbum scriptum, si istis non credant, eos suæ pertinaciæ permittendos esse, & ejusdem daturos pœnas. 4. Si porta ista aperiatur disputandi per ratiocinationes ex consequentiis vel *Atheis*, vel *Infidelibus*, vel *Hæreticis*, vel *Fanaticis*, eos omnia ratiocinationibus & argumentationibus similibus eversuros, quæ ipsis possint opponi.

XVI. Sed nequicquam ista obtenduntur errori. Ad 1. *Except. Resp.* 1. Peccari *falsa suppositione* & à *dicto secundùm quid.* immò verò tales, quantum fieri potest, lucrifaciendi Domino, instruendi, monendi, ad Deum adducendi. Pertinaces demùm, seriò ac sæpè, moniti, relinquendi judicio Dei, non simpliciter negligendi. 2. Peccatur itidem *falsa suppositione*, hoc procedendi modo turbari Ecclesiam, imò sic juvatur illa & defenditur. Ut enim turbatur ratiocinationum *abusu*, sic juvatur earum *usu*.

XVII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Peccari *paralogismo* παρὰ τὸ ἐνδεχόμενον & à dicto *secundùm quid.* Nec enim talia verè & *de jure* retorqueri possunt; sed de *facto* tantùm, idque non simpliciter, sed ex *hypothesi*, ratiocinationibus per consequentias in rebus fidei utendum non esse. Haudquaquam verò sequitur, usum ratiocinationum id genus proscribendum ob aliorum abusum. 2. Supponitur falsum, retorsiones id genus non posse vel erroris vel absurditatis argui à defensoribus veritatis.

XVIII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per negationem*, talibus authoritatem Ecclesiæ opponi posse, qui vel negant absolutè esse Ecclesiam, vel secundùm

dùm quid, hanc Ecclesiam, quæ se dicit esse Ecclesiam, esse veram Ecclesiam, quod ipsum probandum argumentis, adeoque adhibita ratiocinatione ex consequentiis. 2. *Per negationem*, vel antiquitatem, vel miracula vel alia id genus esse *motivum*, aut primum, aut præcipuum, quo revinci debeant hostes veritatis. 3. Peccatur *falsa hypothesi*, verbum scriptum talibus opponi posse, sine usu ratiocinationum aliquarum per consequentias.

XIX. Ad 4. *Except. Resp.* 1. Peccari *elencho accidentis*, oppositio sanè ratiocinationum id genus, & earum abusus *per accidens* sequetur earum usum, non *per se*. 2. Supponitur falsum, falsas ratiocinationes nec sisti tandem posse, nec everti. 3. Supponitur falsum aliud, *eventum* præstari in talibus debere, non *officium*, nec sufficere defensoribus veritatis, ut satisfaciant *causæ*, quamvis non satisfaciant *personis*, ut veritatis decisionem dent *formalem*, quamvis non consequatur *eventualis*, non ratiocinationum defectu sed ratiocinantium quandoque.

DISPUTATIO XXXI.

Καταςκδαςικὴ,

DE

CONSEQUENTIIS.

Thesis I.



Argumentis *apagogicis*, vel ducentibus ad absurdum, hactenus pertractatis, adjicimus adhuc sequentia & veritati sententiæ nostræ, & absurditati sententiæ oppositæ luculentius demonstrandæ.

II. Argumentum *tertium apagogicum* tale est: Quo sublato tollitur funditus omnis certitudo in Religione, omne studium pietatis & cultus Dei, id haudquaquam sine gravi absurdo tolli potest. At sublato usu ratiocinationum per consequentias tollitur omnis certitudo in Religione: omne studium pietatis & cultus Dei. Ergo is sine gravi absurdo tolli non potest.

III. *Majoris* consequentia sua luce patet. *Minor* probatur. Quo sublato nec *credenda*, nec *facienda* certò nobis constare possunt, nec an cultus noster Deo sit gratus, eo sublato tollitur omnis certitudo in Religione, & omnis Dei cultus. At sublato usu ratiocinationum per consequentias nec *credenda* nec *facienda* certò nobis constare possunt, nec an cultus noster Deo gratus sit. Ergo eo sublato tollitur omnis certitudo in Religione, imò omne studium pietatis & cultus Dei.

IV. *Majoris* in prosyllogismo *consequentia* probatione haudquaquam eget. *Minor* probatur per partes. 1. *De credendis*: Si nec principium *essendi* Sacræ Theologiæ, nec principium *cognoscendi*, nec sub utroque intelligenda certò nobis constare possunt; sine usu ratiocinationum per consequentias, sequitur eo sublato credenda certò nobis constare non posse. Verum prius. Ergo & posterius. *Major* denuò demonstrationis non eget. *Minor* probatur. 1. *Principium essendi* Sacræ Theologiæ est Deus trinunus. Qui verò Deum personis trinum, essentia unum esse ulli certò constare potest sine ratiocinationum per consequentias usu, quum id αὐτολεξεὶ vel totidem syllabis in tota Scriptura haudquaquam extet? Deum verò non trinunum agnoscere vel colere, est Idolum agnoscere vel colere, non verum Deum. 2. *Principium cognoscendi* pari ratione certò nobis constare non potest, nisi ratiocinatione adhibita per consequentias. v.g. Libros & stupendis propheriis multis seculis ante eventus ipsos patefactis refertos, & sanctissimis præceptis plenos, & omnem impietatem ac impuritatem damnantes, & incomparabili majestatis ac simplicitatis temperamento conceptos, & harmonia admiranda doctrinæ, quamvis diversissimis & locis & temporibus & instrumentis scriptos, sibi constantes, omnem antiquitatem humanorum scriptorum longè transcendentes, & eorum à quibus scripti nævos & [illegible], gravia etiam peccata liberè & ingenuè detegentes, & conscientiam lectoris pii miro modo afficientes, non posse non esse divinos, & à Deo inspiratos. 3. Pari ratione *sub utroque* principio *intelligenda* sine ratiocinationum per consequetias usu æque nobis constare non possunt, verbi gratia, Deum esse summè simplicem, infinitum essentia æque ac virtute, summe & immutabiliter bonum, adeoque qui mali causa esse nequit nec *Physica* nec *Ethica*, cui justitia peccat vindicatrix essentialis sit, & qui summum & αὐτοκρατορικὸν de creaturis omnibus disponendi jus habeat, & alia id genus. Sic libros istos sacros principium & regulam fidei nostræ esse, illis consona, admittenda, illis dissona, rejicienda esse, falli illos non posse nec fallere, qui iis contenta docent, & illis hærent, & gemina alia nemini certo constare possunt sine usu ratiocinationum per consequentias.

V. II. Sic nec *facienda omittendave* nobis certò constare posse sine usu ratiocinationum per consequentias evidens est, ver. gr. Nec Idola Gentilium Saturnum, Martem *idololatria directa* adoranda, nec verum Deum per Idola colendum nobis esse *idolatria indirecta*, nec Sabbathum septimæ diei sed primæ observandum, nec Titio vel Sempronio adulterium admittendum vel furtum, eleemosynam verò ab utroque dandam, & alia similia. Adeoque sublato usu ratiocinationum per consequentias, subvertitur omnis certitudo in Religione & quoad *credenda* & quoad *facienda*.

VI. III. Studium etiam pietatis & cultum omnem Dei sic tolli, ex eo patet, quia sine usu isto Mævius vel Titius idololatra aut profanus certò scire

ſcire non poſſunt, impietatem ſuam Deo diſplicere, & ſibi incumbere judicium Dei eo nomine. Sempronius contra aut alius Deum verè & purè ex præſcripto colens, ſcire non poteſt, ſe Deo rem gratam præſtare, & Deum ſibi eſſe & fore propitium, quamdiu ipſum eo modo colat. Quæ omnia omnem religionem & cultum Dei & ſtudium pietatis funditus tollunt.

VII. *Exc.* 1. *Principium eſſendi* ſatis conſtare ex litera Scripturæ, Deum eſſe, & illum eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. 2. *Principium cognoſcendi,* hoc eſt libros ſacros divinos eſſe, pariter ſatis conſtare ex litera Scripturæ, quum omnis Scriptura dicatur θεόπνευστος. 3. Deum dicere, eſſe omnia iſta prædicata ſimul dicere, Scripturam etiam immenſitatem Dei diſertè commemorare, bonitatem etiam & potentiam. 4. Libros iſtos ſacros regulam unam & ſolam vel adæquatam eſſe, non eſſe ex credendis, ſecundùm alios inſpirationes & Enthuſiaſmos excludi non debere, ſecundum alios Eccleſiæ traditiones adjiciendas eſſe. 5. Facienda & omittenda ſatis ex Decalogo conſtare. 6. Studium pietatis univerſaliter imperari, impietatis damnari, illud Deo gratum, iſtud exoſum eſſe, ſatis apertè dici, adeoque cultum Dei ſatis ſtabiliri, & ſtabilitum relinqui etiam ſine ratiocinationum per conſequentias uſu.

VIII. Haudquaquam verò vel iſta vel alia id genus à nobis dictis intercedunt. Ad primam *Exceptionem Reſp.* 1. *Ἀρνητικῶς, per negationem*, hoc ipſum nobis conſtare poſſe ſine uſu ratiocinationum per conſequentias. verbi gratia, Scripturam à Deo eſſe ob characteres quos impreſſos habet: Quod à Deo docetur, non poſſe non eſſe verum. Quod tale, credendum eſſe mihi, alii. 2. *Συγχωρητικῶς, Per conceſſionem*, demus, ſatis conſtare ex litera Scripturæ & Deum eſſe, & illum eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. An verò *ſecundùm literam* docetur & *αὐτολεξεί*, Deum eſſe unum eſſentiâ, trinum perſonis? An non conſequentiæ hîc ducendæ, quamvis & neceſſariæ & apertæ à nominibus, proprietatibus, & ἀποτελέσμασι & cultu Dei? An non opus ratiocinatione, naturam Dei non poſſe eſſe niſi unam, ſimplicißimam, quippe & infinitam, & primam, Patrem ergo Filium & Spiritum Sanctum non poſſe eſſe tres Deos. Et cùm prædicata perſonarum characteriſtica adſcribantur Patri, Filio & Spiritui Sancto, eos eſſe perſonas. Et quia proprietates characteriſticæ diſtinctæ illis adſcribuntur, eos eſſe perſonas diſtinctas.

Ad 2. *Exc. Reſp* 1. *Ἀρνητικῶς, per negationem, principium cognoſcendi* eſſe diuinum, hoc eſt, libros ſacros eſſe diuinos vel à Deo inſpiratos, nobis conſtare certò poſſe ſine interventu ratiocinationum per conſequentias. Verbi gratia, Iſtam Scripturam veram eſſe quæ hoc dicit, quia habet κριτήρια veritatis infallibilis in ſeipſa, argumentatione *artificiali* inſtituta, iſtam Scripturam θεόπνευστον eſſe, hos ipſos libros propoſitos pro talibus habendos. Quod θεόπνευστον eſt, & infallibile eſſe, & mihi credendum & quæ ſunt alia id genus. 2. *Συγχωρητικῶς, per conceſſionem*, demus

hoc constare posse ex litera Scripturæ, haudquaquam tamen constare potuit *antecedenter*, sed *consequenter* tantùm, præmissis nimirum istis ratiocinationibus.

X. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem* Deum dicere, esse omnia Dei prædicata simul dicere, sed non sine ratiocinatione per consequentias istas vel alias. Deum esse, esse ens primum esse, & summum, adeoque summè unum, & per consequens summè simplex. Peccatur itaque *elencho à dicto secundùm quid*, & hoc ipsum retorquetur κατὰ τὸ βίαιον. 2. Per *negationem*, vel simplicitatem vel immensitatem essentiæ Dei in Scriptura αὐτολεξεὶ exprimi, quamvis doceantur per consequentias necessarias & invictas, & quæ eandem vim habent, ac si ipsa Scripturæ litera expressa forent totidem syllabis. Sic falsum, litera Scripturæ exprimi, Deum immutabiliter bonum esse, non posse esse causam mali, justitiam peccati vindicatricem Deo essentialem esse, & Deum αὐτεξουσιότητα in creaturas omnes jus habere pro arbitrio de singulis disponendi.

XI. Ad 4. *Except. Respond.* 1. Peccari *contradictione in adjecto*, & statui *oppositum in apposito*, Scripturam esse regulam, & non esse vel unam, vel summam, vel adæquatam, quod enim non tale, regula non est, & sic definitum datur & evertitur definitio. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, vel inspirationes & Enthusiasmos Fanaticorum partem regulæ istius facere, vel supra aut extra regulam illam esse, vel traditiones Ecclesiæ hoc nomine & obtentu obtrudendas esse, quippe quum & inspirationes internæ, & traditiones omnes externæ Ecclesiasticæ *regulata* sint vel *regulanda*, ut liceat nobis βασανίζειν non regula. Et vel istæ siue inspirationes internæ, siue traditiones externæ *subordinata* sunt Scripturæ & illi conformes, vel *opposita*: si *prius*, admitti possunt, sed post examen ad regulam illam Scripturæ institutum. Si *posterius*, rejici debent, nec enim Spiritus Dei potest esse ita vel non. Etsi Angelus è cœlo etiam annuntiaret aliud Euangelium, deberet ille nobis esse anathema.

XII. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. *Per concessionem*, facienda & omittenda satis ex Decalogo constare, sed *implicitè* non *explicitè*, per usum ratiocinationum per consequentias. Peccatur itaque Elencho *à dicto secundùm quid.* 2. Per *negationem*. omnia facienda vel omittenda ex Decalogi litera haberi posse. At cum præceptis vel prohibitis disertè; & antecedentia comprehendenda sunt & consequentia, & causæ & occasiones. Et una virtus præcepta plures alias sub se continet, vitium unum prohibitum plura alia: Sub affirmativis præceptis intelligenda etiam negativa: Sub negativis etiam affirmativa, & comprehendendæ virtutes oppositæ vitiis, & vitia opposita virtutibus. Actus interni etiam conjungendi cum externis, & quæ sunt alia id genus. Quæ omnia sine usu ratiocinationum per consequentias nec erui possunt ex Decalogo, nec intelligi.

XIII. Ad 6. *Except. Resp.* 1. *Per concessionem*, studium pietatis universaliter imperari, impietatis damnari, illud Deo gratum, istud exosum dici,

sed

sed in genere, & indefinitè, & quoad res & quoad personas. 2. *Per negationem*, vel singularem multorum actuum pietatis aut impietatis designationem, vel applicationem istius declarationis Scripturæ generalis & indefinitæ institui posse à singulis personis, sine usu ratiocinationum per consequentias. Sine istis itaque cultus Dei haudquaquam relinquitur stabilitus, ut par est. Restat argumentum quartum *Apagogicum* disputatione sequente excutiendum ad plenam κατασκευὴν huius materiæ pertractationem.

DISPVTATIO XXXII.

Κατασκευαστική,

DE

CONSEQVENTIIS.

Thesis I.

SEQVITVR argumentum *quartum* & ultimum *apagogicum* astruendo legitimo ratiocinationum per consequentias usui. Illud verò tale est: Quo sublato nec *Anabaptistæ*, nec *Pontificij*, nec ulli alij quicquam contra Religionem Reformatam probare, nec dogmata sua tueri, vel nostra impugnare possunt, illud tolli ab iis sine absurditate non potest. At sublato usu ratiocinationum per consequentias nec *Anabaptistæ*, nec *Pontificij*, nec ulli alij quicquam contra Religionem Reformatam probare possunt, nec vel dogmata sua tueri, vel nostra impugnare: Ergo usus iste ab illis tolli sine absurditate nequit.

II. *Majoris consequentia* patet, argumento instituto ad *hominem*, & κατὰ τὸ βίαιον adversariis impacto, ut qui censent se jure & solidè dogmata sua contra nos tueri, & nostra oppugnare.

III. *Minor*, neutrum illos sine usu ratiocinationum per consequentias præstare posse probatur. prius *in genere* de utrisque: Quia & Anabaptistæ & Pontificii utuntur argumentis & illationibus. Nullum verò argumentum formari potest, nulla illatio institui sine usu ratiocinationum per consequentias.

IV. *In specie* probatur inductione de singulis; *Verbi gratia*, *Anabaptistæ* pædobaptismum esse illicitum ex eo probant, quia Christus præmissam voluerit institutionem & doctrinam administrationi baptismi, cujus infantes non sunt capaces, Matth. 28. 19, 20. Sic Christi naturam humanam non

esse ex substantia Mariæ Virginis probant ex eo, quod *secundus homo* dicatur *cælestis* vel *è cælo*, oppositè ad primum hominem qui dicitur esse è terra, 1.Corinth. 15.5.42. Sic *Pontificii*, ut probent Pontificem Romanum esse caput vel fundamentum Ecclesiæ, id probant ex eo, quia Christus Petrum vocarit vel constituerit Petram vel fundamentum Ecclesiæ. Sic probant Ecclesiam Romanam non posse errare, quia Paulus Ecclesiam vocet columnam & firmamentum veritatis. Baptismum esse necessarium, quia sine aqua & spiritu nemo possit ingredi in regnum cælorum. Votum paupertatis esse legitimum, quia Christus dixerit juveni, vade & vende omnia. Anti-Christum nondum venisse, quia Enoch & Elias nondum apparuerint. Inductio ista dilatari posset per dogmata omnia quæ affirmantur siue ab Anabaptistis, siue à Pontificiis. Eadem ratio omnium illorum dogmatum, quæ impugnant in Ecclesiis Orthodoxis: *verbi gratia*, de usu Scripturæ Testamenti Veteris de juramentis, &c. Sic de judice controversiarum, de numero sacramentorum, de imperfectione sanctificationis, de rejectione meritorum, siue de congruo, siue de condigno, & quæ sunt alia id genus, quæ ab illis sine ratiocinationum per consequentias usu oppugnari haudquaquam possunt. Vnde vel usus ille relinquendus, vel sequitur omnia illorum argumenta contra Ecclesias Orthodoxas una eademque opera everti, & ex una parte Anabaptisticorum scriptorum Scripta *agonistica*, ex altera vasta illa *Bellarmini, Perronii, Becani, Valentiæ* & aliorum volumina concidere, qui siue ex Scriptura, siue ex Conciliis aut Patribus, siue ex traditione aliquid aut probatum eant, aut in nobis impugnatum, id nec instituunt, nec instituere possunt sine usu ratiocinationum per consequentias. Aggrediatur etiam aliquis ex Pontificiis, *verbi gratia*. probationem purgatorii, Missarum, indulgentiarum, potestatis Papæ sine isto instrumento, quos hic conjungimus cum Anabaptistis, quia eundem errorem errant, quum de istis omnibus ipsi fateri cogantur, nihil αὐτολεξεὶ exstare in Scriptura.

V. *Exc.* 1. Non esse necessariam operosam dogmatum, vel articulorum fidei probationem. Fidem requiri & assensum ultroneum & nudum, non extortum per demonstrationes, sed innitentem authoritati Ecclesię. 2. Non esse etiam necessariam dogmatum erroneorum confutationem: sine illa multos salvari posse. 3. Satis esse, dogma Scripturæ litera expressum tueri, vel non expressum rejicere, nec se oppugnari posse sine usu ratiocinationum per consequentias, quas rejiciant. Patrum multorum expressa verba sufficere nobis confutandis. 5. Ecclesiæ infallibilitatem subvenire fallibilitati ratiocinationum per consequentias, & sic eas firmari, casuras cæteroquin vel errori aut contradictioni obnoxias futuras sine ea. Data igitur infallibili aliqua authoritate dirigente in Ecclesia usum ratiocinationum istarum interdum tolerari posse, sublata haudquaquam. Hinc se certos esse posse de suis consequentiis, & earum firmitate, nos non item de nostrarum illationum certitudine & veritate. 6. Vel argumentum hoc verum esse, quod à nobis hic nectitur;

vel

vel falsum. Si verum, debere nos optare, ut tollatur usus ratiocinationum per consequentias, quia sic contra nos nihil probari possit, nec errores nostri revinci. Sin sit falsum, illud à nobis frustra opponi, imo opponendum non esse. 7. Pari modo semper se regerere posse contra probationes nostras, nihil illis certò probari ob fallibilitatem intellectus nostri utentis ratiocinationibus per consequentias.

VI. Sed nec ista tanti, ut argumenti propositi vim eludere ullo modo possint, quod ex singularum exceptionum confutatione patebit. Ad 1. *Exc Resp.* 1. Peccari *ignoratione elenchi*, vel *paralogismo à dicto secundùm quid.* Nec enim quæstio, an operosa probatio necessaria sit ad dogmatum vel articulorum fidei receptionem vel admissionem, & an illa dari possit sine usu ratiocinationum per consequentias. 2. Peccatur *elencho* παρὰ τὸ ἕτερον & *oppositorum*, fidem requiri. Ergo non usum ratiocinationum per consequentias. Iste enim *antecedenter* requiritur, illa *consequenter*, & opus primò bene cognoscatur, id quod credendum, antequam sequi possit vel assensus vel fiducia. 5. Supponitur falsa hypothesis, fidem consistere in nudo assensu, quod est πρῶτον ψεῦδος, & fidem extorqueri per demonstrationem, ex sententia nostra, quod falsum, qui scimus & profitemur fidem esse donum Dei, & habitum infusum, sed & scimus, antecedere ordinariè media varia, inter quæ est meditatio verbi Dei, & illatio unius ex alio ratiocinationes ex consequentiis. 4. Supponitur itidem falsum, vel fidem nostram inniti debere authoritati Ecclesiæ, adeoque authoritati humanæ, non divinæ immediatè, qualem habet Scriptura Sacra, vel posse aliquid inniti authoritati ipsius Ecclesiæ, sine prævio usu ratiocinationum per consequentias: Ecclesiæ infallibilitatem competere, & authoritatem supremam in terris, ob assistentiam Spiritus sancti perpetuam illi promissam, à quo ducatur in omnem veritatem. Et illam ipsam Ecclesiam, quæ se dicit talem authoritatem habere, esse illam Ecclesiam cui promissiones illæ sunt factæ, ob κοινωνίαν ejus, & istas promissiones esse veras & certò implendas, hoc sensu & fine quippe factas. Sic Scripturam, quæ eas proponit, esse infallibilem, eò quod sit θεόπνευστος. Nisi enim ista; vel gemina alia præmittantur, (quamvis falsò à Pseudo-Ecclesia vindicentur suo corpori) assensus ille obtineri non potest.

VII. Ad 2. *Exc. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς *per concessionem*, non esse necessariam confutationem *formalem* dogmatum erroneorum, quasi ab omnibus & singulis instituendam. 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem*, eam non esse necessariam Dei servis in Ecclesia, quæ tamen sine usu ratiocinationum per consequentias institui nequit. Peccatur igitur *paralogismo ex particularibus*. 3. Peccatur *elencho à dicto secundùm quid*; Aliud enim est, necessariam esse confutationem dogmatum erroneorum, aliud necessariam esse eorum rejectionem. Prior haudquaquam necessaria est omnibus, posterior necessaria est; Nec enim verum & falsum simul à fidelibus tenendum est, vel Christi & Anti-Christi vox etsi opposita simul habenda pro vera.

VIII. Ad 3. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, satis esse, dogma aliquod Scripturæ litera expressum tueri, non expressum rejicere. Et κατ' τὸ βίαιον retorquetur & in Anabaptistas & in Pontificios. Probent Anabaptistæ litera Scripturæ expressum esse, v. g. Christum novam & inauditam ante doctrinam docuisse: Christum perfectiorem legem proposuisse; Legem non habuisse nisi promissiones terrenas. Scripturam Veteris Testam. hodie non nobis esse necessariam, imò ad nos non pertinere. Corpora nostra non resurrectura eadem quoad substantiam. Probent *Pontificij* expressâ Scripturæ literâ doceri, vel Missas, vel limbos, vel purgatorium, vel Pontificis sui authoritatem in spiritualibus & temporalibus, vel ullum privilegium Ecclesiæ Romanæ concessum præ Ecclesiis aliis. Sic si ea quæ non expressa sunt litera Scripturæ, rejici debent, reliqua pleraque dogmata & Anabaptistarum, & Pontificiorum rejicienda erunt. 2. Supponi vel falsam *hypothesin*; usum ratiocinationum per consequentias rejiciendum; quà talem. Rejiciendus ille tantùm quà vitiosus, & quando demonstratur eum esse vitiosum. Nec quæstio quid rejiciant Adversarij *de facto*, sed quid rejicere debeant & possint *de jure*.

IX. Ad 4. *Exc. Resp.* 1. Supponi *falsam hypothesin*, Patrum dicta vel αὐτόπιστα esse vel authentica, & omnia ab iis probata, probanda à nobis, vel rejecta ab illis, rejicienda à nobis esse. 2. Distinguendi etiam & Patres & eorum scripta, & sensus inquirendus, & partim ipsi secum, partim alij cum ipsis sæpe sunt conferendi, & ratiocinationes necessariæ instituendæ. Supponendum saltem, Patres non potuisse errare, & nobis admittendum esse pro vero, quod ab illis traditur, immò quod ab illis profectum, infallibile esse. Illorum verba non esse exigenda ad regulam aliam, & alia id genus. 3. κατὰ τὸ βίαιον hoc ipsum retorqueri potest. Patrum enim expressa multa verba & Anabaptistis opponi possunt & Pontificiis.

X. Ad 5. *Exc. Resp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, & πρῶτον ψεῦδος, vel Ecclesiam in terris esse infallibilem in *thesi*, vel Ecclesiam Romanam in *hypothesi*. Immò quî Ecclesia infallibilitate sua illis consequentias suas probare potest, qui eam variorum errorum peragunt ream. 2. Peccatur *falsa suppositione* ratiocinationes omnes per consequentias errori aut contradictioni obnoxias esse, quæ non firmentur authoritate dirigente Ecclesiæ. Aliud etiam, ratiocinationes obnoxias esse errori, aliud eas actu erroneas esse. Illud separari non potest à ratiocinatione humana, istud potest, & tum fit, quando ratiocinans adhæret Scripturæ & eam ex seipsa explicat & applicat secundùm analogiam fidei. 3. Supponitur denuò falsum, certos esse posse Pontificios de firmitate suarum consequentiarum ob authoritatem Ecclesiæ infallibilis dirigentis. Possunt id esse ὑποληπτικῶς, haudquaquam verò ὄντως & revera, *de facto*, non *de jure*. Principio enim isto subruto, subruuntur omnia illa, quæ ei sunt superstructa. Supponitur etiam, nos certos esse non posse de nostrarum illationum certitudine & veritate, ob carentiam istius Ecclesiæ infallibilis dirigentis. Sat enim

 nos ha-